




Hoechstetter
1627









3259/A
3259/A

PHILIPPI HOECHSTETTERI AVGVSTANI MEDICI PHYSICI Patriæ,

RARARVM OBSERVATIONVM MEDICINALIUM PARS SECUNDA,

Continens Decades tres sequentes, nimirum, quartam, quintam & sextam:

IN QVIBVS NON SALTIM Medicæ leguntur historiæ, variæ & raræ, sed etiam Theorica ac practica iocunda, utilia, ac necessaria tùm ei cui praxis curæ est, tùm cui cordi.



AVGVSTÆ VINDELICORVM,
Typis Ioannis Prætorij,
Sumptibus Sebastiani Myly, Bibliopolæ Augustani.
M, DC, XXVIII.



ILLUSTRI PROSAPIÆ:

GENEROSITATI NATALITIÆ; NOBILI AB ATTAVIS FAMILIÆ; INgenij vivacis aciei eximiæ, manui & menti industriæ.

INCLUTÆ REIPUBLICÆ LIBERÆ IMPERIALIS CIVITATIS Augustæ Vindelicorum, civibus, & membris Augustissimis; Comitibus, Baronibus, Patritijs, nobilibus, mercatoribus, & quibus, industria & solers manus, quos ob labores artificiosos tota ferè Europa suspicit; qui opera medica usi sunt meâ, ut benè illorum & sanè vivere indè emerserit, & tristitiæ quàm minimum eis accesserit, offert & dedicat ipse civis & Medicus, physicus patriæ & Nosocomij quod pijs eleemosinis vestris floret.

Philippus Hœchstetterus August.



EDICE VIVERE ESse pessumè vivere, vulgare. Annuo dū

Medicorum , renuo dum illo-
rum, quorum ex medica institui-
tur vivere regula: Vitam sine
voluptate quotus quisque verè
adpetit; omnes suavitatis expe-
tunt plurimum, tristitiæ habere
cupiunt quàm minimum. Du-
plicem Voluptatem esse, res ipsa
loquitur. Cœlestis una, Scelesta
altera. Hujus nos, quibus ars Me-
dica curæ est, profitemur hostes,
cantante sic poëta;

Principio quis tàm vitiorum est im-
piger hostis
Quàm Medicus?

Eob. Hessus.

Siquidem scelesta illa larvâ men-
titur suâ virtutem, suis adblandi-
tur suavijs, at pòst vitiosum, ac
nocivum conscientiæ imprimit
aculeum, testātem de lervæo suo
veneno. Omnes hāc detestantur
philosophi; abominantur Chri-
stiani; ejus agnoscunt præstigias
boni

boni. Vitæ nostræ hæc struit insidias; vim facit naturæ; miseriam conciliat animo; terrorem incutit conscientiæ; inimicitias inter DEUM & homines serit. O Bonum, cujus emptio fit dolore! quod vix pœnitentia expiat: O bonum, cujus pedissequæ sunt cruciatus longiores ipsa voluptate! O delitiæ quibus diuturniores molestiæ, & noxæ ancillantur, quàm fuit suavium! O felicitas, quæ in sempiternos desinit luctus!

Immensum potus desiderium, longus nec sobrius conviviorum adparatus, poculorum variæ formæ, creber usus, scyphorum densus imber, quibus Nyseo ad ebrios ructus, titubantes pedes, blæsas linguas, sanctè litatur; cõfessum jam apud Germanos vitium, quas delitias, quæ've suavia

habet? Ipsa Convivia, quæ salis & mensæ communio, & occasio & signum amicitię, D. Chrysostomo dicuntur, à silentio scrupuloso aut religioso veriùs, honestatem ęmulante incipiunt; mox uni peroranti attentæ prębentur aures, laxatur tum majestas taciturnitatis, solviturque in hilaritatem, hanc excipit risus, qui in triclinio sæpè personat, maximè spiritu jam à potu calefacto; hinc strepitus, ac madidarum vocum tumultus, singultientia verba, eructatę sententiæ, susurrus, garritus, crocitus, rugitus, ruditus ac grunnitus varius; cantantium tinnitus, clangor & murmur, dissonantia; crepitus & cregitus instrumentorum musicalium; interim nulla craterum quies, excicantur calices frequentes, exhauriuntur cyathi, obambulant pocula.

Homil. 24. ad Corinth. 1.

cula. Itaque hunc urget craterum tempeſtas, alium ſepes cingit vitreaminum; illum deſerunt vaſa, hic inundatio fit mutuis ſcyphis; ſiccantur calices, evacuantur lagenæ; vino madet corpus, obſtupeſcit mens, hebetantur oculi, tardatur lingua, inundatur ſolum vini reducis fonte, & odore locum corrumpit turpiſſimo; greſſus ad ſigmatis modulantur titubantes normam; nonnulli ſemianimes quaſi concidunt, aut rapiuntur in lectos ſordidiſſimo funere, ibi ronchi fiunt ad terrorem, & inſtar apoplecticorum ſtertunt ad formidinem, immobiles jacent, ac quaſi ſenſibus privati; experrectis Polyphemus cum ſuis Cyclopibus manè in cerebro malliat; nauſeoſus ſtomachus fœtores eructat, turbantes venti, & murmurantes in cavo ſibilant abdominis, mox bilis ferit

amaritudo linguam', tremiscit horretq; venrriculus, ac ęstuantem per superiora reijcit hostem. quod si intestina cruditates rapiunt, flatuosum in eis auditur murmur, fluctuans humor sentitur, dolor cruciat lancinans, plurima non sine torminibus, & languore corporis deponit alvus. Quod si venis intrudatur, vitium infertur sanguini, progressus ejus tardatur, & vasorum intercipitur spatium. Quæ si adurunctur, spiritibus ignem, & succis vitium adferunt. Corpus inde horrore tremiscit, prę frigore riget, igne aduritur, æstu consumitur. Si verò eorum copia suffocat vigorem caloris, hepatis aufertur tonus, pedibus œdema datur, abdomini tuberosa moles.

Et quis vivere hoc vitam nuncupabit? Hygieinæ Sacerdotes ac mystę, hostes talis vitæ se profiten-

tentur; & se omnibus ejus conatibus, erroribus ac noxis maximo opponunt conamine, juxta illud.

Pro vita Medicus tot vitæ pugnat in hostes. Non sic vivere vos dicunt; nec suave vivere hoc esse pronunciant: quum delirij, & tristitiæ habeat quàm plurimum.

Libidini quos mala Suadę, si illicita amori impuro, vagę Veneri, & Cupiditati salaci, quę aliarum Nationum vitium, subijcit; his cruciatuum agmina, malorum catervas sociat; tabescit dorsum, exangue circumfertur corpus, lues deformat Indica, torquet, & equuleo ęmulas adfert castigationes. Ipsa per se illicitæ titillatio libidinis exigui est temporis, clunibus quàm cerebro jocundior. O suavium breve, quo longi membrorum emuntur cruciatus; quo oculis nebulę circum-

funduntur, quo nervis tremor conciliatur, cerebro ſpiritus ſubripiuntur, dorſo vis. Sceleſta, & verè Sceleſta voluptas. Cui ancillatur caterva malorum, quę vitium animę & corpori infers, quam nec ipſe voluptuarius Epicurus exoptaret! Te ſic deteſtantur Medici; te ejurant myſtę Hygieinę. Rident & hi inutiles omnes labores, qui & ipſa actione inepti ſunt, ut choreas, ſaltationes, Curſitationes &c. nec in eis quicquam ſuavitatis ineſſe pronunciant: Segnitiem, ſomnos lõgiores, corporibus graves, menti nocentes, ingenia hebeſcentes, membris ſtuporem conciliantes, gliribus cõcedunt, nec delitias in ſe habere adfirmant; niſi quod triſtitię onera in ſomno obſcurentur.

Aliud ſuavium, alias delitias, aliam voluptatem, omnis triſtitiæ

expertem, ostendunt vobis Medici: & hoc VIVERE optimum VIVERE pronunciant esse. Oraculum Divinum Coum, MEDIOCRITATEM suadet, violentiam arcet, à *Labore*, à *Cibo*, à *Potu*, à *Somno*, â re *Venerea*. Epid. 6. sect. 6. Hæc sic tractata suavia dicit, delicias vocat, non carere voluptate ait, ipse usus in mediocritate castramentatus oblectationem vocat; quum tristitię habeant quàm minimum.

Nullus cui virtus cordi est, negat hoc: sed is solus pessimum tale vivere dicet, qui pessimus ipse. Ego cum poëta sic exclamo.

O vocem! Furias quæ decuisse queat.
Sed quid exclamo;
Namqúe graves arti pœnas hi sæpê dedere, *Eob. Hessus.*
Qui tantum probris impetiêre decus.

Sacrę, sanctę, inviolatæ, & cœlestis vo-

ſtis voluptatis nos Medici ſumus Myſtę: imperantes hominibus labores, mediocres non Naturę inferentes vim, ſed qui robur articulis addunt, qui eorum diſſipant ſupervacanea, qui ſopitos in eis vitę igniculos excitant; qui ſpiritibus alacritatem, & ſenſibus acumen dant. Diſplicet otium eis, ſuperſtitiosè religioſum; ſegnities tota reijcitur; certis, eâ torpere ſenſus, corpus humectari & debilitari, animam languefieri.

Cibos veſtræ menſę imponimus eos, non qui gulę blandiuntur illecebris, conditura varia, ac ſecundum Apitij normam, Eoi ardores & fervores copioſos immiſcentes, ut nil ſapere videatur, niſi ſacris aromatum ſapor feriat linguam, palatum inflammet, gnari, his tumidum abſumi radicale, ſpiritus accendi, bilioſis, ac ſalſis ſuccis incrementum dari.

Non enim nostrum est foco flã-mam ignis, salsis acredinem, acri-bus causticum addere vitium. Nec inservire solemus quorundam corruptę phantasiæ, ut fœtida exhibeamus ad spiritus inquinamentum; aut putrida cum vermibus subsilientibus, ut in caseo, pro cibo demus, aut quibus muria longiori alluvio, nescio quē saporem adfricavit, pro delitijs adponamus. Ea enim sacræ nostrę Medicinę providentia est ac dexteritas, ne ea quę nauseam ciêre solent, adpetitum prosternunt, & concoctionem disturbant, sed quorum sapor bonus, odor jocundus, & quod gustatum sanę sapit menti, suadeat. Viroso enim & tetro odore inquinari spiritus; putridis & fœtidis corrumpi chylum, infici sanguinem, & morbis materiam dari, dictat. Ideoque cibos succi boni, coctu-

ra optimè temperatos adponimus, qui ſapore grato linguam, odore jocundo palatum reficiũt, quique à ventriculo digeruntur facilè, & ſuâ corpus alunt bonitate. Non vobis tenuis menſa, in quo ſolum ſplendet ſalinum, olus cibus eſt, unda potus, à nobis paratur Medicis: quin locatur primus in tabula Panis, benè fermentatus, juſtè ſalitus, optimè elaboratus, cujus origo ex frumẽto nitido, maturæ meſſis, qui ex furno ritè coctus prodijt, trium, non plurium dierum. Mox in parophide adferuntur, carnes pullorum, aut galli ſpadonis, gallinarumvè juvenum, vel phaſianorum, vel perdicum, aut avium parvarum in agris degentium, vel turdorum, ſeu merularum, vel turturum, pipionum aut ficedularum, vituli, caſtrati juvenis, ut Montanus in Conſilio 87. co-

Montanus Conſil. 87.

quo mandat: his nos Germani agninam aſſatam, bubulam juniorem, & juvenci ſpadonis elixam, quæ nobis tenera eſt, mollis, ſucci plena, ſapida, non multum illi diſſimilis, quam ex lacte vitellinam vocitant Itali, non fibroſa, non dura, nec craſſa melancholici ſucci parens, ut Italorum bubula, Reinero Solenandro, Culinario dictatore, in ſect. 3, conſ. 10. Sect. 5. c. 3. Sect. 3. c. 13. Sect. 1. c. 12 ſic ordinante adjūgimus; maximè Auguſtæ, cui Hungaria aut Bohemica loca ſylvoſa juvēcum ſpadonem mittunt. Buccellam carnis ſuillæ, à benè habita ſue, cui pinguedo copioſa animam, non ſuffocat, etiam à Reinero Solenandro adponitur, qui ſale aut pipere ejus corrigit malitiam. Hœdina aſſata aliquando conceditur. In his omnibus ſacram nos obſervamus mediocritatem ac S. 5. c. 3.

ſim-

ſimplicitatem, nunquam plura & diverſa jungimus genera. Scimus quibus elixæ, quibusvè aſſæ carnes conveniant: gnari, cui carni debeatur coctio in aqua, cui in veru toſtio.

Medicos igitur quovis Apitio ſapidiores cibos imponere menſæ hinc videtis, quum palato gratos, ventriculo acceptos, & corpori ſanos dent. Novit ars noſtra, & ex culina providere, & cibis morbo obviam ire, viresq́ue reſtaurare. Brodia carnis pinguia exhibet extenuatis: roriſmarino, petroſelino, cumino, aut aromatibus alterata cacochymicis: Carnes ſylveſtres non arcet à tabulis, ſed hinnuli, capreæ, leporis juvenis laudat: Quin aprugnam tabidis coquit: Fumoq́ue duratas pituitoſis ventriculis, & qui labore multo adpetitum cõcepêre. Nemo parſimoniam Medico-

Schola Solernitana. R. Solenãder S. 5. conſ. 8. Id. S. 3. c. 10.

dicorum accuſet; ex rure, ex ſylvis, ex aëre, ex aquis, ignis vi temperatos pro epulo apparant cibos. Piſces mediocres ex fluvijs, & ſaxatiles petunt, quales ſunt, truta, ſatur, gobius, perca, mullus, lucius infans, & qui ſunt his ſimiles, dictante R. Solenandro: Sic paluſtres, lacuſtres, & ex ſtagnis prohibet Montanus. Fructuum eſus mediocris conceditur & bonorum, ut pomorum, ſubacidorum, dulcium, maturorum; Uvarum paſſarum corinthiacarum, prunorum paſſorum, dulcium & ſubacidorum benè adſervatorum: ceraſorum exiccatorum. Ficus, uvas, quas Gręci fructuum honores vocant, laudat Urbinus in Conſilio Montani 87. Has Medici in prima menſa eſſe volunt; quibus adjungunt Melones, carnem cucumeris & cucurbitæ. Pyra verò & Cotonea

R. Solenāder S. 3. Conſ. 10.

Idem.

nea mala ſecundæ menſę hono-
res dicunt, ut ventriculus ijs ad-
ſtrictus corrugetur, ne ex paten-
te ad cerebrum vapores adſur-
gant. Et ne nil deſit menſis, Ra-
pas, paſtinacas, ſiſeris radices co-
ctas concedunt; Sic ut habeas
quod refrigeret, decoctum hor-
deum aceto jocundum. Endi-
via, cichoreum, lactuca, acetoſa
ſalita innatantia aceto oleo pin-
gui. Alvo adſtrictiori beta, ſpi-
nachia butyro, aut oleo incocto;
urinæ tardiori, petroſelinum,
aſparagi, naſturtiū &c. dedicata
ſunt. Lacticinia, pulmenta, & in
butyro frixa, quia Solenander &
Montanus nil de illis; (hos enim
placuit hic ſequi autores) nec vi-
tuperare nec laudare volumus.
Natura, loculo non prohibente,
his acquieſcere poteſt. Cui vo-
lupe eſt alios cibos ſuæ adhibere
menſæ, alios ſectetur autores; in-
veniet

veniet enim qui & brassicam incisam, & muria madidam, ac acidam, pro antitoxico dabit. Mediocritatem sanctam, & in his si observas, delectationem eam senties, quam Medici in omnibus cibis quærunt. Potus genera propinamus pro loci genio varia. Vinum carere corpus humanum posse ægrè, adfirmamus. Ejus enim dotes novimus, cordis ut vigorem & caloris nativi augmentum eo procuremus. Moderatum ejus usum ad cœlum laudando attollimus, abusum ad tartara detrudimus. Album Germanis in pretio est, Mosellanum & Rhenanum in honore; necarinum, & Ramstallense ad seri promotionom per renes, quare hæc duo etiam podagricis facili conceduntur legi, R. Solenandro dictante. Sect. 4. c. 24. Matura, horna, quæ minùs siccant, ac vetere minùs
Ablässer piccante

Zapreß. minùs calefaciunt, pura, defœcata cum levi adstrictione, ad robur ac solatium hepatis & ventriculi haurire jubemus. Arcemus ab ijs humiditatem & algorem fontis, quia tutiùs Bacchus suscipitur, cujus ignem Najades in ipso acini folliculo temperarunt cōmodè. Conf. 6. Sect. 3. Crassa, dulcia, vehementerque calefacientia, qualia illa generosa vina, quæ mittunt incolæ insularum, Canariæ, Cretæ, Corsicæ, non sine noxa jejuno stomacho hauriuntur, maximè à nostris Germanis, quibus natura replevit armenis, quibus natura replevit armcem mentis humoribus, & calidus venter ob algorem circumstantis hyberni longioris aëris, vapores remittit. Gravant siquidem illa caput, & nebulis densioribus replent, amarum succum in jecore augent, & ipsius calorem sua flamma accendunt.

Quam-

Quamvis & horum bonitatem in mediocritatis cancellos traducamus nonnunquam Malvaticum, & Græcum vinum, corpori refrigerato propinantes; ut calorem excitet, & nutritionem promoveat. Montano ſic jubente Conſ. de Morb. Gall. lib. 7. & Conſ. 204.

Magnum ſanè vectigal cenſeo corporis, ſi ventriculi ſalva & ſana eſt concoctionis actio, quam hæc vina in buccella panis abſorpta promovent: Idem conſ. 46. Humanorum ſpirituũ quæ præſtantia? quod robur? Intus illi latitantes corpus alunt, & in omnes partes moti, totum conſervant ac vegetant, at hi reſarciuntur vino, teſte R. Solenandro. Dilatat animum merum, & curas triſtes repellit. Non igitur, inſtar Catonis auſteri, aut ut Arabs ille præſtigiator, cujus Epilepticum cerebrum, refutavit vinum, invi-

di vobis vini usum demimus. Risit & meritò risit Galenus Ægyptios aquæ potatores, qui pulverem ambulantem inter convivas distribuerunt, hilaritatem ut eorum augerent, cum id vino aptius factum fuisset. Sic nec nos Rhasis vel Galeni lætitias convivis apponimus, ut opacas & retusas nostras mentes excitemus, sed calore vini excitare eas conamur, & cum vetustate veneranda tria pocula laudamus, ex quibus primum siti, secundum hilaritati, ultimum Amicitię consecramus: In quę pura, clara, subtilia, lucida, inter alba & nigra media, saporis, coloris & potentiæ venerandę infundimus, Montano sic docente Cons. 204. Illis porrò, quibus Ceres liberalior Baccho in potulentis est, Cervisiam defœcatam, ætatis mediocris, claram, non nimis potentem, nec valdè lupulo ama-

Sect. 2 cōs. 16. & 25. R. Solenāder.

amaram, ſed cui dulcedo aliqua-lis eſt, laudamus. Aquam vix, niſi quibus præcordia ignis urit propinamus, & ad elixandorum ablegamus operas. Vivere itaq; hoc an peſſumè vivere dicitis? Medicorum illud eſt vivere in Mediocritatis cancellis hoſpitās, cui ſuavium deeſt nullum. Moderatum itaque nihil diſſuadent Medici, quibus & venus talis accepta, cum nimia corpus exiccet, & melancholicos excitet ſpiritus, Galeno ſic docente, & Montano, Conſ.234.229. Vituperamus glires ſoporantes, arcemus vigilantes grues. Moderata ſuademus, mediocria laudamus; hanc ſolū noſtræ ſpirant regulæ: hanc ſolam noſtra docet ars. Sapida damus, jocunda exhibemus, ſuavia concedimus, dum vos moderatè vivitis. At extra hujus pomæria dum eſtis, per immoderata ad

moderata vobiſcũ properamus.
Sine dolore ad hanc metam vix
curritur. Periculoſa ſunt ingen-
tium malorum remedia. Nec
matris ſine ſobolis doloroſo exi-
tu nomen jocundum eſt. Nec ſa-
nitatis grata recuperatio, ſine fa-
ſtidioſo, ſępeq́ue doloroſo reme-
dio. Immoderata, ut morbi, ne-
ſciunt mediocria, utpote ſuavia;
debetur itaque non remedijs, ſed
morbis, quod triſte in Medicina
eſt: ingratum doloribus adſcriba-
tur, non ſanitati. Accuſate itaque
veſtrum vivere, quod regulas ne-
glexit medicas, ſi quid ſiniſtrè
vobis accidit, non quod ex his
ſentibus, & tribulis vos revocat,
& ad ſanum vivere ducit. Con-
cludo itaque veſtrum vivere,
dum modò ſapit regulas Medico-
rum & MEDIOCRITATIS, opti-
mum eſſe vivere, quum non ca-
reat voluptate, doloris & triſtitiæ
ſenſum

ſenſum habeat quàm minimum, utpote ſanum. At dum ægri eſtis, vivere veſtrum haud eſt vivere, ſed doloribus torqueri, inquietudine fatigari, calore æſtuare, igne conſumi, ſpiritu diſtendi, aqua angi, malis exeuntibus cruciari, à retentis peſſumdari. In his ærumnis conſolatores Medici ſunt, qui dolores leniunt, cruciatus adbreviant, calores temperant, æſtum mitigant, ſpiritus abſumunt, aquas evocant, ſpiritum liberum reddunt, exeũtium malitiam corrigunt, & onus retentorum auferunt. Non quidem ſine dolore, abſque quo vix perdita reſurgit ſanitas, quemadmodum non ſine doloribus partus pręgnans fœtum adſpicit, ſed eos ſic demulcent, ut ipſum ingratũ & nauſeoſum, videatur ſuavium ac voluptas. Videtis igitur ve-

ſtro reſpectu ut Medicè vivere optima vita eſt.

At vivere Medicorum nullis caret moleſtijs, voluptatis habet exiguum, triſtitiæ quàm plurimum. Salutamur, Domini, Doctores, Excellentiæ, Magnificētię. O ſplendor titulorum, ô nominū celſitudo; quas miſerias occultas complecteris? aut quas ſervitutes abſconditas non habes? Nos omnibus, *Laborem, Cibum, Potum, Somnum* &c. in mediocritate eſſe jubemus; idem nobis nunquā quaſi conceditur. Aëris malitiam vobis corrigimus, ejus bonitatem laudamus, hac frui, illā corrigere nobis, quaſi nefas. Ægrorum enim dum ſanitatē procuramus, ſub cœlo aquilone perflamur, in veſtris vaporarijs ad ſudorem ſpiritu calidiore auſtro laxamur; ex quibus egreſſis boreas ſtringit cutis ſpiracula, frontis ſiccat ma-

dorem. Nebulas manè devorare, madere nimbis, nivibus horrere, algore rigere, æstu angi, sudore diffundi poliatro necessum. Nosocomiorum Medici & xenodochiorum, fœtores plenis buccis deglutiunt; ipsumque levamen quod esse debet, alieno nos inquinat odore. Cum æneo vase præcedens Medicum minister, in quo viva pruna gratum odorem trochiscorum, aut fragrantem spiritum pulverum excitare deberet; fœtorem subministrat pluries ob pinguedine pruna humida, aut titionem putridum. Tetra è sanie phthisicorum, aut morientium infausta exhaluatio priùs occupat spiritus recessus & excessus, antequam recreat fragrans odor. Nebulæ densitate rebelles suffumigio optimo sępè conclavia occupant: Ipseque fumus copiositate & densitate vestimentum Medici

dici inficit, ut contagiosus obviis, aut adstantibus videatur; tracheã adeò sollicitat, ut tussi concutiatur; & cerebrum, ut sternutatione commoveatur. Nescit plebeius noster adstans mediocritatem, & ipsam salutem nobis reddit insalubrem. Vaporosæ quin nebulæ, & infectus in conclavi suspensus aër densus, perfumantium nostrorum æstum ac ardorem non expectant, sed sub janua in occursum veniunt Medico, ut tussi aut sternutatione suos salutet ægros; & tutior sæpè ad spondam lecti, quàm januæ limen est locus. Quod si in cadaveribus abstrusos naturæ & vitæ hostes perquirimus, teter fœtor tanquam pro ingrato officio, nares ferit, & donariorum loco est: mephitis hæc & illos adfligit, quibus inspectio cadaverum à Republica concreditur. O MERDIOCRITAS AERIS,

Aeris, quã immoderata es semper Medicis? A nobis itaque Archiater optime, Deus bone, immensa tua arce gratia hæc monstra, ne inter vivos videamur cadavera.

Cibus noster an sapiat Mediocritatem illam sanctam, dubito. Omnibus præscribimus cibos succi boni, simplices & digestionis facilis. Quid quibusdam præscribat moderata remunerationis opera, non dico. Hoc novi, cibos nostros plurimis condiri fastidijs, nec tempus cibandi à nobis obseruari posse justum. Urinæ ex matulis fœtorem effumantes ante cibum nos expectant, & hæ medium interrumpunt sępè prãdium: sunt epularum ante pastus: & bellariorum vices supplent. Malè cincta verna accurrens, anhelante voce mox avocat, querulis urget verbis abitum, & sic in-

ter labia nostra, & buccellam pa-
nis aut carnis plurima sæpê ca-
dũt. In quiete omnibus cibis ve-
sci, qui p̃cipimus, nequimus quie-
scẽtes pasci. Ita fit ut dum alij me-
rendas quærunt, nobis prãdij co-
pia nondum data sit, aut ad cœnã
expectandum nobis jejunis est.
Unde nõnulli, gnari jejuniũ vino
nõ tolli, citiùs satures vino quàm
ferculis prandij fiũt. Cupediarum
loco, sputa tabifica, putridus san-
guis, stercus fœtidum, panni mẽ-
struatæ, saniosum ulcus, in meri-
die monstrantur, ne cibus noster
nauseoso careat condimento.
Potus pro Natura loco ubi degi-
mus utplurimũ commodus; nec à
Cervisia aut vino, prout Bachus
aut Ceres propitia sunt numina,
animo sumus alieno. Credunt
quidem Medici se decretis. Im-
peratorum à vectigalibus immu-
nes fuisse pronunciatos; at his
tem-

temporibus sine onere non ubivis licet bibere vinum: ita ut in æquore ęquiorem piscium ipsi cõditionem judicẽt, quibus sine vectigali licet bibere. Itaq; quorundam eò degenerat animus, ut cũ domi nefas sit sine lytro sedare vino sitim, apud ægros plura exiccent porrecta pocula; quorum morem dum observant, qui eos consilij causa vocant, dubij sunt, an per eos operetur Æsculapius, ni priùs ei litarint mero. Quare manè accedentibus Medicis generosa propinant vina, fortia illa quæ spiritibus flammam, hepati siccitatem, palato arescentem aviditatem potus dant: & quasi stamen sitis ponunt perpetuę. Exulat & in potu apud Medicos mediocritas, heu dolor, & qui potiunculis alijs molesti, ipsi potionibus plusquam satis dediti sũt. Amicitię magnus est Minister

Medi-

Medicus: & cujus animus etiam in periculis cernitur bonus. Quid igitur miri si amicitiæ poculum crebriùs eum salutat: si solatium in miserijs vinum est: Si animus varijs curis distractus, revocatur vino. O sacra Mediocritas, & in Potu apud Medicos hospitalem ne desere sedem.

Nescit quies nostra moderationem, nec motus Mediocritatem. Vix solis splendor prævius reducit diem, campanula pultatur Medicorum ædium: suave quod est in somno fugatur; adest lotij fœtor, ex quo, ut ex tripode, expectatur oraculum. Quod si sors æqua priùs Medicum ad colloquium suavissimum librorum rapuerit, quàm hæ urinarum bajulæ adventant, deambulans in libris cum jocunditate anima, à scrapta quadam anu, quæ cum tussi arida, anhelãte suspirio, singul-

gultienti ſalutatione, muſæum, intrat, ac ad æſtum aquæ ferventis aut ignitarum prunarũ, craſſam ac confuſam urinam ebullire facit, avocatur, & ob ſordidos ac paucos obolos à ſuavitate, & dulcedine lectionis abripitur; majori redimeret attenta mens ſuaviſſimum tale colloquium, ni charitas Chriſtiana paupertati, & longinquitati locorũ hoc dediſſet privilegium, ut illæ per urinas juberent de ſui ſtatu morbi cognoſcere. Haud parva ſępè hæc jactura eſt temporis. Obſtreperum & garrulum animal fęmina vetus, non acquieſcit laconicis dictis, nec cupit ambiguas oraculi ſententias, plauſtra verborum expetit; interrogat plurima, quæ nec morbus, nec Medici otium admittunt. Quęrulo anhelitu numerum receſet graduum, lippientibus lampadibus ſellam,

quæſitat, cui cum inſedit, ſcalpit rugoſam, ſæpè vitiliginoſam cutim, ore patulo, naſo rigoſo, auribus erectis, ex innatante matulæ humore, oraculum tanquam ex tripode expectat, quod ſi aures ſurdaſtrę non omnibus dictis Medicis introitum dedêre, aut memoria labilis primaria perdidit, in Medicum, ob ſex cruciferos hariolum, omne convitium ejaculatur. Abditi receſſus, auroræ ſuavis ſuſurrus provocans diligétem animum, ad ſedulam in cogitando, & meditando deambulationem, non ita ſecurum reddunt Medicum, ut ſine faſtidioſa collocatrice poſſit diutiùs eſſe. Non ſuaviſſimus & delicatus in algido mane ſomnus, qui ſpiritus reficit languidos; non noctis tenebræ, quietem ſecuram Medico promittunt. Mala ægrorum adflictio ſi Medicum evocat domo,
in ca-

in eadem urbe ad austrum, ad septentrionem, ad occasum, ad ortum eodem sæpè videre licet die; non deambulantem gressu testudineo, sed cursorio: Matutinus algor stringit eorum poros, laxat eos meridianus ęstus; hinc in magnis civitatibus Syrio torrente aristas, videre est poliatros cursitantes, udos sudore, maximè qui habitiores, cum strophiolo in manu, instar S. Petri, qui oculos deplorantes errorem in aula pōtificis patratum detergit, pictoribus sic fingentibus. Risit quidam nostrates Medicos modernos, & antecessores nostros ex equestri ordine fuisse dixit, nos cursores agere, cui quidam jocosè pro sui ingenij more respondit; Relinquere se alijs venerandam Bileami mulam, cum angelo Raphaël Medico se peditem agere, cum apostolis ad ægros ambulare, (uti-

nam cum Christo circumeundo sanaret omnes: Neminem selegisse à Christo super asino à morbo fuisse liberatũ. Spiritu anheloso colles, scalæ, scamna adscenduntur; conclave ipso sæpè adspectu horrendum intratur; per medias sordes ad lectum pulicibus, sæpè pediculis, & cimicibus turgidum apud pauperiores, acceditur, & vix est sella ubi quiescere liceat. Fateor tersiora loca sępiùs frequentari ab ijs, quos experientia longior ad aliquem dignitatis respectum evexit. Exercitiorum commoditatem magnã esse non nego, calorem illa refocillant nativum, sordes è corporibus eliminant, absumunt cruditates. At quiete privari summa est miseria: Poliatris rara illa est, exigui temporis, & ad ægri lectũ vix media durat hora, nec domi ad placitum. Accusant quiescen-
tem

cem plantę æstuantes, quas tamē mox ad cursum assurgens ille provocat. In lecto quietus somnus, à difficulter parturiente, aut ab ægro, cui magnum minitatur morbus periculum; aut animi dejectio mortem, aut dolor crucians exagitat, adfligit, lancinat; aut spiritus titubans patitur lipothymiam, interrumpitur. Pultantur itaque Medicorum ædes, in conticinio, concubio & gallicinio. Tepidus deserendus nidulus, corpus gelidæ credendum nocti, seu subluni seu illuni. Non licet incusare sudorem, prohibentem exitum nocturnum, minùs per suaviorem somnum excusare: sed ejulanti ancillæ, singultienti vernæ, boanti sæpiùs mediastino benigna præbenda auris, ne inhumanitatis accusetur miser Medicus, fronte hilari mentienda est evocatio grata, &

verbis blandis ipsa tractanda est barbaries. Hora una ad lectum herere ægri non sufficit, vigilem volunt Medicum reliquum noctis, clinicum agere, & œconomiam medicam administrare. Tædium noctis fabulis, aut interrogatiunculis sua sapiẽtia dignis fallere conantur. Fecerit qui secùs, fabula mox est, infelix in fœminarum omnium ore; nec ullus muliercularum conventus est, ubi non ceu sinistrum hoc judicatur; seu ea cohors convenerit ad nuptiarum lætitias, seu ad funeris comitatum, seu ad confabulationem juxta lectum puerperarum. Denique labores nostri corporis, etsi dissimiles sint mechanicorũ operę, mediocritatem tamen nesciunt; & quos dicimus animi, CURÆ illi vocantur labores, quæ fidelibus Medicis in vigilijs negotiũ faciunt, in somno eos sub cul-

citra expectant, ne longius ab experrecto absint. Meditationes itaque frequentes, cogitationes crebræ, variȩ & arduæ lassitudinem quasi quandam dant cerebro. Cogitatio enim animæ humanæ deambulatio est, teste D. Coo; Epid. lib. 6. S. 5. aph. 10. Animȩ Medici in spatioso campo deambulatio fit, & in via ardua. Ea siquidem meditanda ministro artis, quȩ morbo dederunt principia, quȩq́ue finem dare potuerunt: Quibus prodesse, non nocere debeat; & si negat hoc acerbitas morbi, quam minimum ut noceat procuret. Præterea, itaque, quȩ morbi occasiones fuêre, (ignorantia enim horum curæ obest maximoperè;) non negligat, sed statim inquirat de toto adfectu, nec pudeat eum ab Idiotis hæc discere, maximè qui prȩsentes semper ȩgro sũt: hac enim

Epid. 1. S. 2 p. 14.
Epid. 2. S. 1.
Epid. 6. S. 8. p. 44.
de veteri Med.
De veteri Medicina.

via facilè hominis addiſcet naturam, quę comeſta aut hauſta vim alterando ei fecerint; meditabiturque non tantum quomodo, ſed & quare ſic egerint: examinabitque humorum in corpore vel vitium, vel malitiam in operando. Et hęc eſt illa cauſa ob quam Divinus noſter Cous loci adfectiones, Medicum curam ibi ęgrorum habentem examinare jubeat: quomodo nimirum ſe ad ventos habeat, quis in eo Solis effectus, quę aquarum bonitas, aut malitia, quę qualitas ſoli, quę denique hominum Dięta: pondus enim hęc adferunt maximum ad prędictionem & curationē. Medici itaque anima circa Morbos, & ſymptomata pręſentia deambulans, alios oculis obvios, alios in obſcuro poſitos cernit. Qui in aprico, plures ſunt, latitant pauciores, quorum difficilior eſt cognitio.

Zvvingerus in tabulis.

Lib. de Aere aqua &c.

Lib. de Arte.

gnitio. Est autem *id morbus, quod homini molestiam adfert, & eius operationes lædit sanas*, quas cum oculis cernamus, & exteriores occupare partes, suas jam pepe- rêre Medelas, & manum Medici habent celerem. At quę in occulto latitant, cum eorum, fructus, flores, folia, citiùs caudice & radice, prout ęgrorum est natura, videre liceat, perscrutatione diligenti investiganda. Quare actiones lęsæ ţestantur de radice morbi, qua in cavitate hęreat, ad cujus cognitionem difficilis est accessus, unde tarda Medici manus, & Medelę partus difficilis. Symptomatum varia larva, sępeque terribilis, animum Medici haud rarò ita distrahit, ut ea quæ primò, quę posteriùs agēda quadam altercatione intra se quasi confundat, ut modò hæc, modò illa placeat sententia, re existente

De statibus.

Zvvingerus in tab. ad hunc Hipp. locum, lib. de Arte.

dubitatione plena. Animo igitur forti, & pede haud titubante in deambulatione mentis cogitantis, morbus adgrediẽdus, malitiaque ejus pensitanda; quę ejus folia, qui fructus, qui flores &c. quęvè radix indagandum, in quo ea hæreat loco inquirendum, magnitudo ponderanda, pravitas examinanda; tempus numerandum; an modò prodierit videndum, an altas radices jam egerit rimandum: quale incremẽtum, quis status, quæ remissio sit observandum: quę hora morbi, qualis ejus circuitus, considerandum; an tempori sit congruus an alienus, memorandum. Videndum etiam quam vim viribus vitę fecerit; Qualis sit figura faciei ęgri, quis color, quis oculorum labor, qualis situs in lecto, qualis somnus, quę spiritus difficultas, ac facilitas: an surrectio laborio-

Prognosticorum lib. 2. c. 2. & seq.

sa, aut

ſa, aut libera; an cum animi deliquio, an reficiat ægrum, quę manuum opera, an congrua, an inepta; ſudores an exolvant vires, ſolvantvè morbum. Arduus ſanè his eſt mentis labor, neſciens mediocritatem, at eo ſaluti humanę conſulitur optimè, & lęſio ſi fortè quędam eſt, levis illa eſt, maximè ſi dexteritas Medici auxilium non forte principium curæ eſſe juſſerit: poteſtque mutari, ſi minùs benè videtur ſuccedere res tentata, conſiliũ, & ad ea properari, quę magis emolumento ſunt, & quàm parciſſimè nocent; ut doctè Valeſius ſupra aphoriſmum lib. 1. Epidemiorum S. 2. p. 14. diſſerit.

Denique ſic anima ambulans in cogitatione morbi FUTURA prędicit, quid ex hac morbi, & Naturę lucta ſperandum, cui debeatur laurea, an manus adjutri-

ces Naturę adhibendæ medelis;
De arte. an verò victa prognosticis relinquenda; per quę loca, per quas vias hostis ejiciatur, an verò in aliam malitiam aut morbũ transeat. Hæc sic medico meditanti subministrant quid ad sanitatem conducat, an siccare an humectare, incrassare, an attenuare, refri-
de Morb. l.1. gerare; aut calefacere necessariũ: an per superiora, aut inferiora morbus curandus, an per vesicam; an reliqua secundum ratio-
De Adfectionibus. nem: an venter quid & qualia demiserit; quis ejus victus, vel qualis nunc dandus: ut morbi vehemé-
De Arte. tia faciliùs obtundatur, humores exuperantes, molestiamq́; facientes, deturbẽtur; ac subtrahantur: corporis viriumq́ue defectus, resarciatur: hoc cibo, potu alimoniaq́ue; illud medicamentis ac potionibus.

De flatibus. Medico hæc sic agenti multæ

ma-

magnęq; quidem creantur molestię; at ęgris emolumentum adfertur maximum. Hoc est illud, quod ejus animum ita excitat, ut omnes molestias sui muneris spernat, suos industria labores augeat, gratulans sibi, Archiatrũ illum ter optimum maximum, Deum & hominem, suas actiones benedictione fertili beare, ut plurimis possit prodesse, & in cõmune aliquid boni conferre. Agnoscit enim ille magnam Dei potẽtiam in morbis plurimis, quam, ceu quoddam Divinum reverentiâ quadam suspicit; advertens eũ providenti ac potenti manu infligere pœnas hominibus causis naturalibus. Adgreditur has non sine pijs ad Deum fusis votis; exoratque spiritum sanctum, prudẽtiæ suæ ut regimen imponat, ne ad lęvam declinet, sed eam ingrediatur viam, in qua singularia na-

turę opera, tanquam in exemplari, in Methodo Medicorum conclusa sunt; ut ipso in labore duce ac socio, felix sequatur eventus; certus, vires suas sine numine nullas esse. Vanitatem itaq; eam planè despicit, qua bonos in curando successus homo sibi arrogat, cujus opera sterilis, & ridicula planè est, auxilio denegato à Deo. MEDICUS igitur ut Philosophus verus, animo complectitur Deum, eum reverenter colit, plurimum ei concedit, de mysterijs sacris sobriè loquitur, & medica opera regere eum fatetur, superstitiones odit, nec terribilia in morbis cum plebe divinū aut magicum vocat; forti obviam animo procedit morbis, suisque in operibus lætus est. At crebræ disturbant has lætitias indignationes, negat enim hujus mundi genius eis diuturnitatem. Vident enim

De decēti habitu.

enim hanc rideri ſuam pietatem, contemni diligentiam, ac ſi numen, Medicum non creaſſet, manum ſuam in curando. Non ſors, raro virium robur, à morbo vindicat ægros, ni arti Medicæ ſimile quid ægro accidat. Miniſter Medicus naturæ eſt, organon Dei æviterni, qui ſanare noſtros languores, & mitigare noſtros dolores jurejurando promiſit, quem creavit altiſſimus, eique medicinas ex terra produxit. De artes

Dolent itaque Medici, qui ſe manum & inſtrumentum ad curam Medicam ab altiſſimo creatum, certi ſunt, eis ſcraptas preferri anus, quas Deus ad colum, fuſum, Rhombum, ac filum damnavit, dolent ſacræ familiæ hujus oculi, dum ad lecti cervical, aut ſpondam non ſaltim anus aniles ſedere cernunt, quæ ſcienciam annorum numero medicã

acquisivisse gloriantur, lectione librorum digitorum sordibus cõtritorum didicisse, & decumbentium visitatione innumera observasse: Abaviarum hanc esse sapientiam, nepotum implantatã sanguini, à seculis plurimis viris absconditam: Verum etiam juniores, quas de solio opum iniqua detraxit sors, aut maritus prodigus, quę ex commiseratione ad clysteres damnatæ infundendos, epithemata adplicanda, julebos cum aquis miscendos, sibi sumpserunt imperium in infantes ægros, mulierculas, puerperas, tandem viros, offerentes nescio quę magnalia inutilia, inania, quorũ si frustrantur effectu, mox vocari Medicum jubent, huic decumbẽtem ægrum monstrant, promunt matulam urina repletam, ex qua patulo postulant ore oraculum, ac auribus erectis, instar Arcadiæ

municipis expectant sententias vatidicas; sic optimos ludentes viros. Exponunt ea quæ sedulo & superstitioso opere apud ęgrum fecêre, ea sæpè sermonum fabrica, ut nil magni audire liceat. Calorculum scilicet se apud ęgrũ deprehendisse, (cedat sapientiæ Suevicæ fęminarum Suevicarũ Oratorij ornamẽti decus Romanum ad tempus, sic enim sonat Rhetorica hæc mulierum) ac anxietatulã, quare se exhibuisse lapillulum bezoarticum, in aquula cerasorũ, aut alia cardiaca; vel si æger infans, pulvisculum rubrũ, aut syrupulũ, ex succo violarum, limonum &c. conservulam rosarum, ab his se nõ damnum expectare: sic vocantur Medici tanquã testes ac præcones, fanaticarum operationum sexus fragilis. Hoc vivere, quis nõ pessimum vivere dicet? Diarrhæam si quam vident

Ein Hitzlein. Ein Engelein. Bezoar Steinlin. Wässerlin. Roths pülverlin. Säfftlin. Rosenzückerlin.

ab adſtringentibus curę caput, &
Geſig-lets Erd-lein. fatentur Terrulę ſigillatæ, & cornulo cervi eã reſtringere voluiſſe: in Epilepſiola ſeuſas fuiſſe a-
Hirſch-hörnlein. quulis antiepilepticis unicorculo, ſmaragdulo, & hęc in medici
Ver-gichtlin. ſinum, vocibus ſingultientibus,
Ver-gicht-wässer-lin. cum mira manuum geſticulatione, evomunt, ut in Theatro & infelix cothurnus non habeat diſſimiles. Hyſtericas gloriantur ſe
Einge-hirlin. pulviuſculo matricali revocaſſe;
Sma-ragdlin. Theriacam regioni cordis adplicaſſe, ſuccinulo perfumaſſe, pen-
Aug-ſteinlin. nulas perdicis accendiſſe, & ſi quę alia diminutiva audienda ſunt:
Stech-wässer-lin. Pleuritico ſe ſudorem ex tribus aquulis antipleuriticis procuraſſe, lac calefactum, & croco tinctũ dolenti adplicuiſſe lateri: Colico
Delin. oleolum anethinum, liliorũ convallium aut anagallidis adplicaſ-
Criſtier-lin. ſe; clyſterculum ex optimis herbulis infudiſſe; matricales vel

quaſi

quaſi virorum dolores curaſſe calido latere; aut ſubligaculo, amuleto mirifico, virginibus ſuſtuliſſe: Tuſſiẽtibus hydromel ex probatis compoſuiſſe herbis; fluentes nimium menſes unicornulo, in vinulo rubello inhibuiſſe: carporum pulſibus cõquaſſatum ovi vitellum fuligine, & pulvere nucis moſchatę commixtum adplicaſſe: Lipothymia laborantibus confectiunculam Alkermules cum aquula ceraſorum dediſſe. Et quis harum ſapientias ad amuſſim enarrare poſſit; aut quis earum diminutiva numerare? Medicus itaq; induſtrius, vir bonus, piusq́ue dum ſe videt negligi, & his aures dedicari, quæ armatę, cum capſulis, pharmacorum hoſpitijs, ſub brachijs concurrunt; ex quibus ſpiritus aquas vitę, capitis, hepatis; pulveres Medicatos, Electuaria, aliaq́; magnalia

Rots-weinlin.

Alker-müßlin.

Kersch-wässerlin.

lia promunt, ægris exhibent; in rē seria mimos agere, & feminas viris doctis & expertis præferri, tristatur. Certus est, omnia in se habere Medicinam, quę ad sapientiam requiruntur. At sapientias hospitium in hoc esse ferarum sexu, cum ejus natura patientiam eam excludat, qua signorum cumulo morbi cognitio eruitur, vis observatur, terminus prævidetur. Acquiescit bona illa cohors, in illa notitia, quod calori frigidum, frigori æstus, defectui refectio debeatur: quare copiosis carnium brodijs, caponum jusculis, gallinarum contusis debiles obruunt, ut dum reficere conantur debiles, eorum animas jusculis udas Rhadamanto sistant: Medici ritè ponderata medicamēta, quę ab hujus judicio ægros eriperent, hac cibatione rubiginem acquirunt; siderationem verò dum of-

ficiosis suis linguis, nænijs, garrula hæc cohors, in dubium docta præscripta vocitat, aut tempus exhibendi differt, veloci preterlapsę occasioni infelix, ut actio succedat; quàm sagax fingendi sexus Medico innocenti adscribit; & sic qui illorum culpa periêre, inter Medici errata humo sepulta numerantur; conciñunt reliquę omnes, nec parcitur optimis; fabula est MEDICUS, mulieribus, virginibus, ancillis, vermis, vetulis rugosis & tussiẽtibus, quovis in earum senatulo, seu ad lectum puerperarum, seu in cavędio, ubi funeris expectatur elatio, seu in cœnaculo, seu gynæceo, ubique fama Medici garrulo subijcitur judicio. Actiones, gestus, vestitus, incessus, loquela, & quicquid agit Medicus omnia rapiuntur ad trutinam judicialem fœminarum. Hunc imperare aiunt,

illum blandiri; gravem hunc esse, illum abjectum: hunc novitatis sectatorem, historiarum promum, illum condum potus: illum taciturnum, hũc garrulum, torvum & austerum hunc, irrisorem & facetosum alterũ: deniq; levissimum verbũ Medici ad sacoma adpendunt, quod sæpius graviorem, quàm meretur pœnã sentit. Extollitur alter ad astra vix dignus, alter ad tartara insons detruditur: laudantur levia, reprehenduntur indigna: de curatione à jejunis Indicationũ mulierculis disputatur; & apud hanc sapientiã ipsa Galeni Methodus laborat. Hoc vivere Medicorum adflictum, & miserrimum si non est, lachrymas tamen postulat. Gens anseribus magis obstrepera, picis magis garrula, doctis, eruditis, & in arte exercitatis, quorum manus in otio vix seponunt
libros,

libros, in negotio morborum rimantur oculi figuras formasque, præfertur; Non quidẽ alieno hujus mũdi genio; rapiunt dominiũ ad se servi, ut in Saturnalibus: nec ꝑter suũ genium, mulierculę majus sibi imperium vẽdicant in ægros, q̃ viri, quia solum nostrũ eas clinicas esse vult, & genius illarũ, propria negligere, aliena curare.

His succedunt aliæ Medicinæ nostræ pestes, & pessimæ ruinæ. Cheirones, quibus ars nostra manuariũ in medẽdo opus credidit, fastu suo rustico maximas clades, plurima damna, multas noxas, & ipsis Physicis Medicis ægritudines causant. Arcana sua buccis extollũt tumidis, linguis vino gravidis suas prædicant scientias; destillatores se vocant sublimes. Alchymiæ veræ scrinia, chymicorum Medicamentorum magnaliũ abditos recessus; tales sciẽtias in Me-

dicorum Galenicorũ non descẽdere animum, helluones enim librorũ arceri à vera Philosophia, eã in Academijs nõ hospitari, sed juxta fornaces Hermeticas excludi, apud Vulcanum spagyricũ educari. Contemnunt igitur ea, quæ Deus ex terra produxit, ut essent Medicina, & extollunt illa, quæ Deus terræ abscõdidit, cum venena intus foveant. Itaq; Turbethi mineralis laus apud illos volitat sola; hoc panacæa est nulli non in ulcere, dolore, aut aliquo morbo magno, ut muscerdæ junctũ mensium provocationi dedicent. Mercurius dulcis, vitæ &c. (cujus p̃parationem omnem Medicorũ scholam ignorare ipsi clamitant) quibusdã in bucca circũvolitat. Thrasonũ hæc caterva, & ardelionũ colluvies, majoris æstimatur apud quosdã, q̃ Methodo curans Medicus: aluntur q; in Galeni-

lenicorum quasi contemptum.
Norũt & nostro tempore Medici veri, quibus Hippocrates pater, & Galenus pceptor, spagyricarũ opera medelarum, & qua cautela hominibus sana, certi sunt, sonos hi, ut electa vasa, nõ vacua, nõ vanæ gloriæ edũt; nec impudenter suorũ experientiam magnalium morte faciunt ægrorum; de quali gloriantur stelliones hi experiẽtia Antimonij, cujus se jacturâ cẽtũ rusticorũ, & decẽ presbyterũ cõparasse scientiã clamitant. Nõnulli neglectis quidẽ his medicinis, suos ægros ad equulei dolores adducũt, vesicatorijs, causticis, aquis mercurialibus; suas operationes vix à carnificis separant, dũ ferro & igne, sine maxima necessitate utũtur, crudeli abscissione viva mẽbra amputãt, absq; ulla misericordia dolorũ cruciatus suis stilis &c. augẽt. Sunt quidam

Thrasones, qui non contenti suo munere, quod per se arduum, limites transcẽdunt proprios, falcẽ mittunt in alienam messẽ, pulsum tãgunt, urinas cõmota priùs matula inspiciunt, & neglecto typo morbi, nec tẽpore ejus perpenso, judiciũ de morbo proferunt, sine primarij indicãtis cognitione auxiliũ deproperãt. Cœci hi; qui in proprijs limitibus oberrãt lippiẽtes, plùs damni dãt, quàm emolumẽti. Medici itaq; hos cheirones, qui auxiliares esse debuissent ministri, arti Medicę vitiũ inferre videntes, vivere suũ pessimum esse pronunciant. Altera Medicorum manus, q̃ pharmaca doctè, & diligenter p̃parare debet, vicario Medici opere utitur, potiones propinat, clysteres præscribit, morbis pharmaca dedicat, judiciũ de adfectu exponit; censorẽ, & correctorem receptarũ Medici etiam opti-

optimi se cùm famulis p̃bet, parvi Medici intẽtiones pendens, rationes ejus negligens; famã sic Medicorũ sui pro animi motu, aut fastu minuere, vel augere satagens, & etiã quid apud infidos fidi quęris? Circũforaneos, voces clamantes in foro, agyrtas in medio rusticorũ de suis, vel quasi remedijs fabulãtes; Medicorũ cãdidus negligit animus, gnarus mundũ, vel plebẽ deceptores suspicere, vitia adorare, virtutes & sciẽtias ad cœlũ ablegare exules; cũ hi instar cacodæmonũ abscedãt relicto fœtore. Pileus variegatis onustus pẽnis, vestimẽta vel ad fastũ cõfecta, aut ad vanitatẽ cõposita, aut mimis cõvenientia, vanum minùsq; sapientẽ talis medicastri depingunt animũ: quẽ nec annulorum copia deauratorũ, aut similis torques, aut equus phaleratus, aut literę auro in varijs membranis pictæ,

ctę, aut moles adpensi sigilli, aut picturarũ varietas aut vanitas, vel sermo sentẽtijs sacris, p̃cibus & fabulis impurus, mundat, purificat, aut sciẽtia imbuit: Rhodus si ipsis datur, saltus eos deficit: luuntq́; ipsis fidẽtes pœnas haud exiguas. Carnifices, q pinguedine hominũ, herbis incantatis, & alijs nugis hominib. imponũt, respuit, ingemiscẽs his nebulonibus inquinari sacrã Medicinã. At dũ sub virtutis pallio vitium fastu q̊dam incedere novit, abundare pessimos suo ingenio sinit, & equulei, rotæ ac patibuli ministros, similes ut habeãt labra lactucas, libenter eis p̃mittit. Detestatur sortilegos, & ex nęnijs quibusvis augures procul relegat: Condolet ijs, q Christiani videri volũt, devoti ac pijs characterismis tamen, literis sculptilib. ac numismatibus superstitiosè fidunt. Jussit Deus nobis cavere à

scul-

sculptilibus, & ex terra Medicinã produxit, q̃ sapiẽs nemo neglexit. Ebrius carmine animus, & occæcata amuleto mẽs, quomodo expectabit auxiliares Christi manꝰ, aut oculos attollet ad illũ, q in altissimis positus adfligit & sanat? Ridet vana carmina Medicus bonus, qua invitãtur morbi ad saltationẽ, & reverentiã astrorum superstitiosã, qbus cum phlebotomo interdum fingitur inimicitia, aut cum macula, aut receptaculo depositi oneris alvi, rixę: O detestandus sapientum error, metiri morborũ curationes characterib. Calẽdarij, & ab Almanach figuris felices expectare successus. At utinã ultima in Medicorũ vita hæc esset miseria, nec sibi dolores ipsi crearẽt. Qui Methodici Dogmatici audiri volunt, Galenici vocari, priscę Medicinæ sectatores dici, collegæ nominari, sub uno Hip-

pocrate militare, quas æmulatiões, rixas, invidiã, calumnias inter se alunt. Ingenium irreqetum, si quos socios in Academijs, admiratores, fautores & defensores opinionis suę invenit, in magnis civitatibus quas factiones causat: Et sanè vix ulla mortalium gēs majores daret clades, ni Deus ab armis eã ad matulas revocasset, & animus illius privata aliqua strage contentus esset. Technę hę sunt magni mortalitatis generis hostis Cacodęmonis, qui inimicitias, ęmulationes & odia in familiã hãc seminat, ne salus & sanitas, cujus procurator esse debet, homini accederet sine invidia. Ipsa inter se discors, cum livore examinat omnium actiones; nescio qua crista despicit antiquorum pcepta, vetustatē accusat, suæ artis documēta vili pēdit; nova suspicit, inexperta adorat, & suspecta remedia

dia p̃ſcribit; & cum morte pluriũ ſuas facit experiẽtias. Cõtagium hoc in modo novos natos ſerpit, Medicos illos deſerit, pluribus q́ jã deſudarunt annis in praxi: Illi Medicinã eum facere negant, qui corpora hominum viva nõ cõdit ſalibus, aut ſalis ſpiritum ad perẽnitatẽ p̃parat, teſtãtes inſulſos hodierni ævi eſſe homines, & carnes hoc tẽpore diſſolvi facilè. Animã, eloquentiæ pater, ſuibus pro ſale eſſe prodit; his fortè, q nil niſi ſalia norunt, pro anima ſal eſt: ex numero pilularum ſuas numerari ſciẽtias; & ex nomine barbaro receptarum, ſuas glorias emergere putant; fingunt ex cerebro ſuo vanatico novas formulas curæ, quas ſuis ægris ſecuro ſcelere, ideoq́; frequẽti exhibẽt, ac ſi illi deſtinatæ eorum glorię eſſent victimę. Horum temeritatẽ ſi fortuna adjuverit, & remedium tale ab illis aut

lis aut ad mortẽ, aut ad vitã exhi-
bitum, (nã utrum sit ipsi fortè ne-
sciunt) vel fortè, vel concidente jã
morbo, vel robore ægrotãtis pro-
fuerit, statim fama, veluti certę ac
propemodum divinæ scientiæ in
vulgus emanat: q̃ tamen unius sa-
nitatẽ sua ꝑnicie plurimi luunt.
Medico itaq;, qui veterum sapiẽ-
tiã adorat, eorum dexteritatẽ in
cõpositione medelarum venera-
tur, eorum artificium suspicit, il-
ludq́; pro virium valore imitatur,
dolerent oculi, cor tremeret, ni
quotidiè tales citò cerneret flore-
re, subitoq́; ꝑtergredi suã æstatẽ,
ac in autumno suo statim evane-
scere. Erubescit itaq; cum peun-
tium plausu novis, & infidis re-
medijs peccare; felicesq́; successus
ab fidis, veterum, aut eorum si-
milib⁹ remedijs & compositioni-
bus expectat: nõ tamen multitu-
dinem ingredientium solius sani-
tatis

tatis salutem esse; nec unum solum plures energias posse dare, putat: poscit enim & morbus, & causa & virtus opem; petit & medicina ipsa, quæ basis est, socios: Quin cum vegetabilium fuco aut vehiculo sua magnalia ex mineralibus chymici exhibent; at hi sua arcana veram sola correctionem agnoscere jurant. Impium porrò adstantium ęgris amorem Medicus bonus detestatur, qui inter Medicos invidiam, & ægris perniciem causare solet. Variant enim illę mystas sanitatis, & hunc in diluculo, alterum circa meridiem, tertium vesperi vocant. Diversa his tẽporibus fortè morbi facies, ab omnibus diversum symbolum extorquet. Nullús igitur ne videatur egisse nihil, receptam, ut vocant, cõtractâ fronte, oculis torvis, calamo curren-

te, deproperat, impat hujus medicinę usum, pauca, si modò de victu effatur; negligit detrahēda, addenda jubet. Succedens vocatus, si subolfacit priùs adfuisse Medicū, agnoscens morbum, sub alio schemate eadem, ne nil fecisse putetur, pro pſentissimis propinat remedijs. Tertius, interdum cū symptomate gladiatur, morbo priorib⁹ relicto; aut sumptuosis virtuti prospicit, quibus omissis, dempto adfligente, meliùs reficeretur. O detestandus, vereq; detestandus tyrānus hic, Mos, qui socias manus in re seria ac ardua periculosaq; disiungit ac separat! Officij sanctitas & generis mortalitatis societas aliud poscit à Medicis, aliudq; ab astantibus: ab his ne fallant medicos, & suo amore suffocent ęgros; ab illis, ut in unū ꝙ ęgro salutare est cōsulent, nec

p̄cipites ruant in opes aut famam cum ęgri periculo. Hippocrates pater noster hoc præcipit, suadet christianitatis vinculū. Laudandi chirurgi, quorum posterior fascias prioris non deligat absentis. At, proh dolor, eò sępè quorundā devenit insania, ut se Medicos esse vix agnoscāt, nisi de absente collega malè loquantur, ni suorum arcanorum ipsi sint p̄cones, suorum operum laudatores, aliorum contemptores, bonorum cavillatores, aut irrisores etiā cōvenientis medicamēti ab alio dati. Hippocrates his ita loq̄tur; MEDICUS RATIONE UTENS MINIME ALTERUM CALUMNIATUR INVIDIOSE. Collegā itaq; admittere, & modestè de Collegis loq̄, Hippocratis talem esse prolem enunciat. Sentit. n. de Medicorum Cōsultatione Sapientia hęc Hippo-

Præceptionum libro.

cratica ita dextrè, ut inter deco-
rum & necessitatem ponat alios
accersi Medicos, ut socia opera a-
nimadvertãt in increscentem ac
urgentem adfectum, q terribilia
symptomata protrusit, quib⁹ Me-
dicis angustia quædam causatur,
eorumq; mens involvitur impe-
ritię quasi tenebris, ut communi
cõsilio, q̃ in rem ęgri sunt, disqui-
rant; vetat tùm ambitiosas con-
tentiones, ne ludibrio se expo-
nãt, & sui impotentiã animi pro-
dãt, sed ad p̃sidiorum facultatem
operas suas cõferant. Hippocrati-
cus itaq; Medicus cõsortem in cu-
ra fugit nullum, collegam petit,
nõ ut testem actionis saltim con-
gruę, aut ut pręconem suę laudis,
aut admiratorem operis; nõ quẽ
ludibrio excipiat, cui horã nomi-
net hanc, ille aliã observet, at cu-
jus famę notã inurere velit, ema-
nendo

Zvvingerus in Scholio. Medicus homo est, decipi, errare atq; labi potest, &c. Praeceptionum.

nendo terribili accedente symptomate, ut miser sustineat onus solus, ille trophęum portet. Affirmat pater noster Cous, non esse inscitię, fateri ęgrum sanari non posse; derelinquere v. Avicenna impium dixit. Cōfidenti itaq; animo, & concordi, zelo christiano, Medici unà morbum oppugnare debent, publicum commodum privatis dissidijs postponentes, salutem ut ęgro accelerent. Nam est Numen, q̃ Medicos p̃fecit malè valentibus, q sanitatem eis hominum credidit, quod que sua sit ppetua sententia, & quid ab ipsis fieri velit, clarè pscriptum reliqt, ita quidem ut nemo planè, q modò sit mentis sanę, & qui ad justā pvenerit aliquam ætatem; ne dicam scientiā, excusandi sit habiturus locum. Hoc Divinum Numen constituet judicium, ubi de

Sparta Medicorum, ut ornarint, inquisitio instituetur. Quare studendum, ne causa nostri ęger pereat, nec curę nostrę eo penetrent, ut cupiditate auri, & ambitione famę augeri velimus; quin eam ingrediamur viam, quam pater noster Cous (Ethnicus licet) sanctè mõstravit licebitq́; nobis vivere tranquillè, nec formidare mortem. Hæc. v. illa via est, quam Divinus noster Senex Co9 Medicis ostendit. Medicus sapiens ac prudens sit, cõtemptor pecunię, cum ęgro de mercede non pacisceus, vitiorum aversator, verecundus, modestus in vestitu, existimationem nõ prostituens, de morbis ferens judicium rectum, de alijs reb. medicinalibus ęquum, verbis lenib9; animo purus, corpore & habitu temperãs, loquens sententias, reprehendens iniqua, refutans falsas o-

De decẽti habitu.

lis opiniones, non garrulus; sed quasi oracula dicat, cum idiotis seu plebejs saltim necessaria loquatur, nec cōparet sibi vulgi audientiā ostentatione poëtica, habeat aliquid in se urbanitatis, austeritatem nec sanis nec ęgris placere sciat, quod utile, quod necessarium artis in vita faciat, sceleris sit purus, non superstitiosus, nec vanis nugis caballisticis, characteribus, imaginibus & carminib. aliquid tribuat, incantationum omne genus fugiat, christianè vivat, timens Deum, cui se subijciat totus, rectè tamen & secundum artem agat, certus felicis à numine successus, animoq; excelso omnia infra se humana esse posita putet, utpote cui manum ipse Deus regit, haud nescius vindictā quam medicamenta de morbo sumpsere, Dei opus, ipsum instru-

Prænot.

De decēti habitu.

Videātur tabulæ Zvvingeri super Hipp. libros de Elegantia, de Arte, &c.

mentum aut manũ fuiſſe. Quotquot enim Medicina vincit, Dei vincit opera. Quoties has pias, ac quaſi ſacras ab Hippocrate noſtro datas leges mecum ruminor, vix mihi temperare poſſum, quin erumpam in illa verba: O devota & pia mens Hippocratis, cum olim judicio divino ſiſtendi erunt Medici, ij quibus Deus ſuo in eloquio revelavit ſancto, quid ab illis exigat, noli contra illos tu aſſurgere, & accuſare, quod plurima hæc neglexerint, teq; Ethnico indigna fecerint, ipſaq; Medicina perpetrarint, ne tanquam rei tuorum præceptorum ipſi graviorem Ethnicis ſentiant damnationem.

Vos deniq; ſacræ ſanitatis myſtas alloquor, dum mortalitatis ſpectatores eſtis miſeriarum, veſtrum vivere non peſſimum credite,

dite, officio vestro miserias, quas dat munus, non indignas putate. Nil enim in hac ærumnosa vita est, quod fastidio, quod labore, q; miseria caret; etsi prima aliud videatur fronte. Laboribus bona sua vendit altissimus; otiosos ad vesperam stantes in foro reprehendit paterfamilias; talentum datum sepelire nefas; licèt alijs inserviendo consumamur; sola lux inaccessibilis Deus est immutabilis, nequit consumi: nostrum verò consumi ac depasci est: Laudatur candela ardens, quia utilis: at hæc ipsa in hac utilitate consumitur ac dissipatur. Sumus & nos lumẽ, quod Divinum accendit Numen, ut hominibus ad sanitatem præluceamus, in quo opere si consumimur, quid mali? Pereunt in longè viliori sępè functione homines, qui & ipsi ad i-

imaginem Dei creati, at hi nec
gaudere poſſunt, ſibiq́ue gratu-
lari, quod hominibus benefece-
rint. Quæ gloriola etſi noſtra eſt,
tamen eâ, monente Sancto Pau-
lo, utamur, ac ſi noſtra non ſit.
Medicina ſiquidem dictante pa-
tre Coo, munus Dei eſt, ac ejus o-
pera. Gaudeamus itaque manum
nos, inſtrumentumq́ue eſſe, quo
Deus utitur ad tollendos morbos
hominibus inflictos; ad vindi-
canda opera cacodœmonis, qui-
bus dirè adfligit humana corpo-
ra. Maneamus igitur Naturæ
miniſtri, nec nos ipſi ſapientio-
res exiſtimemus, aut ejus Domi-
nos vanè perſuadeamus. Quod
ſi ſiniſtri quid ceſſerit, ſubijcia-
mus nos totos voluntati divinæ,
quæ ſanitatem interdum obeſſe
novit, & morbos ut caſtigatio-
nem quandam, ac paſſionem
in car-

in carne esse vult, quibus animam avocat à peccatis, ad pœnitentiam revocat, cor conterit, spiritus contristat, mentem socordem ad preces ardentes excitat, spem fovet, fidem accendit, ad charitatem provocat, denique occasionem præbet refugij ad Dei misericordiam. Non curemus garritum obstreperi sexus, aut superbas gloriationes Empyricorum Thrasonum; censuras superstitiosè religiosas assæ fœtidæ; falsorum fratrum calumnias; invidiam, contentiones, & verba mellita ex corde felle infecto; & variationem Medicorum; delectat enim varietas; & pœnas hujus luit æger, fitque sæpiùs ad priorem recursus: & ægrorum ac populi ingratitudinem; Ea siquidem patris nostri cœlestis est bonitas, ut in-

grato gratum ſubſtituat, & tertius interveniens priorum tenuitatem ſublevet. Sic nos manebit Corona illa, quæ ijs debetur, qui uſque ad finem perſeverant fideles. Hæc noſtras ærumnas ſuaves reddere, miſerias demulcire, & quod peſſimum in noſtro vivere conquerimus eſſe inſtar ſacchari edulcare valēt: quęque me in mea functione alacrem, ad obſervanda neceſſaria ſedulum faciunt, & ex ijs ſelectiora communicanda alijs, liberalem eſſe juſſerunt. Aliorum obſervationes, ſi meas ſordes dixerint, non repugno: ſi me hiſtorias oneraſſe ſcholijs non honoraſſe dixeris, non ſcribo dicam. Hoc ſaltim rogo, ne alio quàm ego ſcripſi tu legas animo. Me ægrorum ſæpè intercludi copia, ne ad ſubtiliora emergam, noris.

Hæc quotidianæ & crebræ ad ægros profectiones dictarunt. Domus ipsa quæ pauperibus ægris hospitium dat, ac curam subministrat, plurima mihi suggessit. Arguta Scholæ è meo evolarunt cerebro, & disputationum subtilitas longè à me recessit. Amicus Galenus, pater Hippocrates, præceptores veteres medici, doctores neoterici mihi sunt, veritas præ his amicissima. Hanc locari cœlo scio, at hujus me sectari placuit umbram, donec ipsa illustrarit omnia. Opinionibus & conjecturis nostra ars prægnãs est, umbræ veritatis. Quibus si ego indulserim, haud cavillare, sed rimare, & meliora erue, aut his fruêre, Theonij dentem non expecto, securus, non custode Deo hortorum, aut Jovis fulgure, sed favore & benevolentia,

Illu-

Illuſtrium, Generoſorum, nōbiliſſimorum, magnificum, ornatiſſimorum, honoratiſſimorum, ſolertiſſimorum, ſagaciſſimorum, ſedulorum, dexterrimorum, ingenioſiſſimorum, induſtrium, Reipublicæ noſtræ Auguſtæ Vindelicorum civium, membrorumque auguſtiſſimorum, quorum benè vivere hactenus mihi curæ fuit, & à quibus pro viribus dicere conatus ſum, quicquid triſtitiæ ipſis fuit. Non hi ob hoc ſuavium, hāc voluptatem, hocce gratum officiū tenellum hunc meum fœtum expoſitum ſinent, quin obvijs ulnis amplexum, fovebunt, ac ab injuria defendent. Depono enim fœtum hunc meum vagientem, tenellulum, parvulum, imbecillum ad genua, Illuſtris veſtræ proſapiæ, Generoſitati natalitiæ,

nobili ab attavis familiæ, ingenij, vivacis acie eximiæ, mentis & manus ſolertis ac induſtriæ; Umbra veſtra ei erit ſolatium, & nomen veſtrum terror omni livori: quod ſi in ulnas receperitis, quæ ipſi calumnia, quod odium, quæ invidia, quæ cavillatio, quis hoſtis metuendus, quæ plaga, timenda? Gratulor itaque tibi mi fœtus, mihiq́ue gaudeo ob tales ſuſceptores, qui triſtitiam abs te & me quàm longiſſimè abeſſe laborabunt, qui tibi voluptatem, qui ſuavium, qui delicias procurabunt, qui honorem, magnificentiam & titulos dabunt.

Opellam itaque hanc ad aram veſtræ Generoſitatis, nobilitatis, Magnificentiæ & honoris qualemcunque depono, & me, ſervitiaq́ue mea offero, conſecro ac devoveo. Dominus Altiſſimus,

Miſe-

Misericordiæ fons, & scaturigo omnium bonorum, felicitatem, incolumitatem, pacem, salutem, concordiam, unumque animum ut membris unius Reipublicæ convenit, largiatur, vos prosperrimè conservet, in hac vita omni utilitate beet, in altera cum omnibus electis ad sempiterna evehat gaudia. Valete. Augustæ Vindelicorum 8. Martij 1627.

Philippus Hœchstetterus
Augustanus, Physicus
& Nosocomij patriæ
Medicus ordinarius.

PHI-



PHILIPPI HOECHSTETTERI AVGVSTANI, MEDICI Physici Patriæ

RARARUM OBSERVATIONVM MEDICINALIUM.

PARS SECVNDA.

Continens Decades tres sequentes.

DECAS QVARTA.

CASVS PRIMVS.

Aphona convulsa à Phlebotomia recipit loquelam.



ILIAM magnifici cuiusdam mercatoris pallidam, subfuscam, lusciosam, habitus mali, à cunis quasi catalepticam, (subitò enim instar attonitæ inter medios sermones labores

vè, ad quartam plus vel minus horæ colloquentibus aut collaborantibus adſtat, diminuto auditu, & viſu quaſi intercepto, unde à domeſticis orba vocula Italica nominatur) cui menſtrua parca & coloris alieni, viſcera intemperie & infarctu adflicta, prehēdit Febris, quæ Alba dicitur, maximè à ſcabie aliqualiter relegata: Cum qua illi erant pluref conflictus, ita ut tædio genitoribus eſſet.

Officina itaque hæc multorum morborum, Epilepticos dedit motus, diros, longos, fortes, & in ſexto luſtro atroces, terrificos.

Nictabant palpebræ, labia agitabantur, ringebatur os, dentes cohærebant, membra torquebantur, & quæ acciderunt, ſtupor erāt adſtantibus. Utero hanc labem, malus corporis habitus, adſcribere ſolo prohibuit. Ambo ſeditionis autores fuerunt; Cerebro debili, & frequētioribus catalepticis inſultibus fatigato, conſentiente. Undiq; dum hoſti opponere ſtudeo pharmaca, alvum clyſtere protundi curavi, ut per hos cuniculos eum elicere, derivare veſica ad cutim tentavi, ſed ad hoc ergaſtulū hic polyphemus non potuit trahi, reſpuebant,

Antiq-

Antiepileptica, hysterica, induciæ dabãtur nullæ, aut vix durabant quadrantem horæ.

Sopor nullus nec vox; silentij magnus locus, quo cum certabat cum piscibus. Mens in quiete non aliena fuit, nutu adfirmans aut negãs, manus ipse pro voce; quæ doloris locũ digito notarunt. Decẽ hæc durabant diebus, ut vel cõvulsa torqueret oculos, manus contraheret, pedibus calcitraret, distenderet brachia: vel quiescẽs debilis & aphona maneret. Undecima longiores dabat inducias. Ego tũ cruentam paravi vindictã, magno morbo æquale remedium ut darem, & ex basilica dextri brachij nigrum eduxi sanguinem.

Cõmodè hinc habuit, omnis tumultus artuum sopitus, interruptuq; sextadecima à secta vena hora silentiũ est, ac loqui cæpit. Libitinæ sic erepta ipsa mihi egit gratias, ringentibus alijs, qui beatorum ipsi sedem votis sedulis, & negotiosis offerebant.

Tumultus hic sequenti anno totus siluit. Recidivam sesquiannus vidit, adstantes terruit, & me ad hanc medelam

revocavit. Tertiò prævenire ſanguinis effluvio volui, qui tenuior & aquoſior ex pedibus fluxit.

Connata q. catalepſis adhuc negotium facit cerebro, reliqua dira rariora aut nulla ſunt. Mirum ſanè in virgine, à qua vix drachmas expectares cruoris boni, commodam fuiſſe phlebotomiam, toruos, diſtortos, contractos motus relegaſſe, & vocem revocaſſe cõgruam.

SCHOLION.

TUmultuantes tempore ſcribere morbos tumultuoſo, quos in quiete vidi Germaniæ licebit. Artuum conquaſſationes, commotiones, tumultus portentavè alia hac dabo parte. Hominis ſociam utpote debiliorem illa hoc in caſu agitarunt; itaq; uterum in vitio eſſe ſuſpicari poſſumus. Hic, ne microcoſmo nihil deſit, mater mõſtrorum & portentorum eſſe ſępius ſolet.

Animal D. Plato illum ob errandi in corpore vitium vocat. Beſtiam ego, monſtrum, Larvamvè dicerem, ni Jovis Xenij metuerem iram; mihi ſiquidem decimeſtre naſcenti dedit domicilium.

Licebit tamen cum Democrito GRA-

VEM vocitare calamitatem, & mulieri sexcentarum autorem ærumnarum. Nihil cum calamitosius, obscurius, curatu difficilius, gravius, monstrosius sit inter morbos, uterinis adfectibus. Maximè cum insultus Epileptici comites sunt; qui per se terrifici; & pertentosa ac ostenta plurima adferunt. Ægris splendescunt oculi, pervertuntur, contorquentur, firmiter inter se cohærent dentes, distenduntur nervi, brachia tortuosa, & manus ad motum impotentes fiunt, contractis calcitratur pedibus, deficit vox, spumant labia, os distortum est, mens parum seu nihil intelligit, lumina caligāt, aures obsurdescūt, dolor nullus dignoscitur, sentitur nihil, guttur sonorū stertit, pectus suffocationem alto spiritu ablegat, totū corpus undiq; contrahitur, eiusq; partes conturbantur. Stupenda hæc Symptomata SACRI MORBI nomen ei dedére. Ethnici suos Deos; & quidam supersti tiosè religiosi Divos nostros autores ejus volunt. At purissima illa nostrum impurissimum inquinari corpus Ethnicus Cous Medicus negavit. Nec à nostris Divis aliud quàm salus expectanda, si quæ modò est. Non mutavére in cœlo natu-

In Epistola ad Hippoc. de Natura humana.

Epilepsiæ delineatio ex Hippocrate, de Morbo sacro.

De flatibus.

ram ; beneficos fuisse in terris legimus,
curasse morbos, non inflixisse; precibus
sanasse ægros, & verbo Dei animas refo-
cilasse. Nunc seminare morbos, fulgura
de cœlo demittere Divos, anilia & impia
terriculamenta & fabulæ sunt. Habebit
similem alijs morbis & hic originem, nẽ-
pe vitium ex Natura, præter naturam. At
hoc Medicorum Schola nondum con-
gruè definivit. Lis est perpetua, judex ę-
quus nullus, & si audiendus Averrhoes,
omnes hæ de hoc morbo disceptationes
fabulis cantantium aut musicorum erũt
proximę. Senex noster Divinus Cous,
Repletionem hujus convulsionis uni-
versalis causam pronunciat; quæ ipsi 6.
Epidemiorũ sect. 4. parag. 49. in cerebro
est primariò; præcipuè in venis illis dua-
bus, quæ ab hepate & liene ei communi-
cantur, ut clarè in libro de morbo Sacro
legitur. Facit enim ibi venosi, non ner-
vosi, generis adfectum, ut ostendũt ver-
ba illa, quibus grandiores ab hoc insultu
„ absolvit frequenti, quia venas cavas pa-
„ tentes habent, & magnas, in quibus san-
„ guis calidus est multus, senes è cõtra, qui-
„ bus vacuæ venæ, paucus sanguis, aquosus
„ & tenuis, facilè his agitari. Tumultus &

harum turbatum causam, in libro de Flatibus ponit sanguinem conturbatum & tumultuantem, cujus motus inæqualis & impeditus est, ut in libro de Morbo sacro scribit.

Incidet autem hæc repletio in illud cavum corporis, quod sedes est AERIS, (qui prudentiam cerebro subministrat.) Et hoc est Cerebrum; aër siquidem Hippocraticus, nobis spiritus animalis dicitur; cum is vigorem suum, & quicquid mens habet prudentiæ, relinquat cerebro, dispergatq; reliquum saltim in corpus. Naturam igitur AER hic ætheris habebit, & spiritus domesticus cerebro & nervis dicendus. Hujus motum in corpore à repletione impediri vult. Pituitam esse id quod replet, hanc refrigerare, cogere & sistere sanguinem; defluere illam à cerebro, quod plastica vis in utero 3. aph. 5. humidum formavit, unde innocens ætas, cui vix sol illuxit semel, morbosis his tumultibus vexatur gravioribus, lib. prædiction. à quibus corpora coloris luridi fiunt, & sæpius suffocantur, lib. de Morbo Sacro: vel quod à victu, aut austro humectatum est nimium, unde fusa pituita à calore ignis aut solis aut febris,

ad inferiora ruit, & ſanguine noxam infert. Bilem abſolvit ab his inſidiis, quum illius non ſit ſanguinem cogere. Melancholiam liberè admittit 6. Epid. ſ. 8. p. 49. Flatus etiã huius morbi cauſã pronunciat ſequentibus. Cum in CRASSIORES & ſanguine abundantes VENAS COPIOSUS AER prorupit, progreſſusque immoratur, ſanguinis pertranſitus prohibetur, atque hic quidem ſiſtitur, ibi verò tardiùs permeat, alibi autem citius. Quæ ex Hippocratis mente de hoc turbulento morbo.

Libro de Morbo ſacro.

Lib. de Flatibus.

GALENVS & qui eum ſuſpiciunt repletionem admittunt quidem liberè, quũ ſubita eius origo, & finitio cita nullam aliam agnoſcant cauſam, nam inanitionis poſitio & ſublatio tarda eſt. At eam à genere venoſo arcent, quum hoc miniſter nutritionis ſit; Animalis v. motus vitietur; & prudentia labaſcat.

Galeniſtarum opinio.

At hæc in cerebro locatur, ubi per nervos imperat muſculis motum. Hæc arx replebitur; non cavitates illæ magnę, quę neutiquam domicilia ſpirituum ſunt; ex quibus tanquam ex thalamo procedunt, & inſtar herois magnanimi curſum in nervos & muſculos inceptant, Quatuor quidam

quidam cerebro insculpunt vĕtres, prioribus adfingunt auræ spiritalis præparationem; perfectionem & distributionem posterioribus. Pergamenus & solum qui eum audiũt postremum in hoc malo inquinari volunt, medium participare aliquid de eo ut vicinum, priores duos dubiè tamen absolvit. Obstaculum hoc vel in ipso cerebro, & eius ventriculis augmentum sumere volunt, vel per cæcos meatus, & vias abditas in secretos & abstrusos rationis secessus furtim repere: fomitem tamen ac focum etiam agnoscunt in partibus à cerebro remotis & inferioribus. Hanc Epilepsiam per consensum seu Sympathicam dicis illam Idiopathicam. Galenus quidem cæcos hos transitus partes nervosas dicit cerebro continuatas. Per has earum principio seu exortui communicari omne illud tetrum, noxium, malignum effumationis mephyticæ, quod saburra in nervosis æstuans partibus ablegat; quæ ventriculus, uterus, intestina, & quibus nervosa natura est generosa, ut tendines, & nervi extremarum partium. Porrò cum hæc Repletio in cerebri cavitates incidat, eis ut instrumentali parti officiet;

3. loc. adf. 67.

4. locorum adf. 2

5. l. adf. 6. Coac. 349 531. 534. prædictorum 139. 3. loc. adf. 9.

quam noxam Obſtructionem vocari volunt, non quidem omnimodam, ſeu perfectam qua totus ventriculus infarcitur, quum hanc cauſam non agnoſceret Epilepſia Sympathica, ſed talem, in qua ob præſens corpus alienum, & præter naturam meatus hi ſeu ventriculi anguſtiores fiunt, conſtringuntur, conſident, coarctantur, comprimuntur, aut contrahuntur: (Legātur Altimarus, Valeſcus de Taranta, Montanus, & quos Unzerus recēſet) unde ſpiritui ſanimali ad inferiora impeditur via, & nervi ac muſculi eius benefico radio privantur, hinc ægrum attonitum corruere volunt, immobilem primò manere, mox turbulenter moveri. Remoram hanc, qua meatus cerebri obvallantur, & exitus ſpirituum obſepitur, omne illud eſſe ſibi imaginantur, quod ſua præſentia anguſtiores reddit ventres cerebri. Sive ſit collectus in ijs craſſus humor PITUITA ſcilicet, aut MELANCHOLIA; ſive irrepens vapor, fuligo, qualitas. Nec hæc ſua præſentia ſaltim nocere ventriculis volunt, ſed ob quandam vim & naturam ipſis peculiarē, qua tamē cerebro fatales & perpetuas inimicitias ſtruunt, nervorum principio moleſta

lesta sunt, & illud irritant, ut insurgat ad excutiendum hoc noxium & inimicum. Quæ lucta cum sine fortissimo non fiat conatu, rapit nervos & musculos in consensum, ut depravatè moveant. Excuti verò materiam nocentem cum tanta vehementia à cerebro, ut contingat exortus nervorũ, ea irrigari, irrigatos breviores fieri, & musculos convellere non cõtinuè, ut in Tetano, sed alternatim flectẽdo modò, modò extendendo, prout materia q̃ est in motu, modò in hos, modò in illos vi expellẽte protruditur, statuũt. Fulciũt hoc exemplis, quibus vim & conatum expultricis facultatis probant in eijciendo molesto; In sternutatione, in tussi, in partu, robur expultricis cernitur, & quomodo corpus totum simul concutiatur animadvertitur. De sensus & rationis actionibus abolitis ea pronunciãt, ut ob commotionem has, quia prudentia in quiete Cerebri fit, illas ob spiritus animalis impeditum influxum velint abolitas.

Videatur Nicolaus Stupanus in Thesibus.

NEOTERICORUM quidam obvijs, vt aiunt, ulnis hãc sententiam arripiunt; inimicæ tamen vi nomen cum Galeno Acrimoniæ imponunt, qua expultrix vis exci-

Manifesta causa. 3. loc. adf. 7.

exci-

excitatur aut commovetur, quæ causa turbulentorum motuum; Quatenus autem suo corpore ventriculos replet, officere intellectui & sensui, Mercatus lib. 2. de Morb. Mul. 2. & Rodericus à Castro lib. 2. de Mulierum adf. c. 5. Alij inimicitias has ab occulta & peculiari vi procedere volunt, quę à tota substantia procedit, & hac vi officere ac nocere, quod cum Pelope & Galeno non pugnat.

Occulta.

obstructionem non esse causam Epilepsiæ, Nec cavitatum cerebri.

Obstructionem ventriculorum cerebri ignavam hanc, & adstrictionem imaginariam valere jubeo. Actionem cavitatum vix aliam novi quàm retinere, hanc in Epilepsia non impeditam dicũt, nec expultricem agnoscunt nisi depravatam. Si cum Hippocrate adfirmant⁹, impediri hac obstructione liberum aëris receptum, qui cerebro prudentiam subministrat, hinc sensus & intellectus venę, aut cum Galeno distributionem animalis spiritus ex ventriculo postremo; his ego Clarissimorum Anatomicorum Varoli & Magni Caspari Bauhini veritates oppono, quæ cavitates duas saltim in cerebro oculis subjiciunt, oblongas, largas, & in vivis demortuis majores, distinctas & sejunctas calloso crasso quodam

dam corpore, magnitudine & forma cerebri prominentijs & magnitudine respondentes. Vocantur hæ ventriculi cerebri. Tam insignibus cavitatibus animales Spiritus subtilissima illa corpuscula, ætheris naturæ, rationis organa, non opus habent. Non illi spiritui, quem natura humido immersit, vitam ut frequẽti & sedula pulsatione foveat. Natura parens cavitatem tam magnam elaboravit. Nec novit ipsi humido adglutinatus spiritus, qui organon Naturalis facultatis est, largas cavitates. Nolite igitur spiritui æthereo invisibili, sensus omnes subterfugienti, testanti primordia cœli, adfingere largas cavitates; & has pro regia, quas inquinatas multa dicitis pituita. Debetur Thronus præstantior, divinior, purior, remotior à cõmercio pituitæ spiritui; huic purissimo, primo mobili proximo. In Cerebro quidem, & in glandula magna, duas has fabricavit cavitates, ut pituitæ locus esset ubi latitare posset; quibus infundibulum adjecit, ut in palatum, os ac nares omne alienum in cerebro humidum per infundibulum ex illis descenderet cavitatibus. Ambitus ad nervos nullus ex eis multò minùs eis co-

Spiritus animales non in Cerebri ventriculis.

hærent nervi. Quæ itaque obſtructio radios ætherei nectaris impediet? nec infundibulum adſtrictum crede; negat id ſpuma in ore: nec heroica ſpirituum corpora ex infundibulo prodeunt ad nervos, nec fortè per illud reficiuntur. Præterea, quæ eſt illa vis, quæ ſeparatos hos ventriculos, locatos in diviſo cerebro, magnos, largos, & oblongos tam ſubitò & ſimul replere poſſet? Negant ipſæ formatæ, & in cerebro diviſæ hæ cavitates ſubitam, & ſimul irruentem in ambas materiam, lædendo obſtruentem. Abſolvitur qualitas, vaporque ab hac labe. Unius nonnunquam lateris dolor, aut noxa totum ſæpè corpus exagitat cõvulſivè; at cum ea cõmunicatio fiat per nervoſas cerebro continuatas partes, docẽte Galeno, ſubminiſtrabitur ſaltim noxa eius partis ventriculo ſolo, unde ſolum illud latus convulſionem ſentiret. Craſſum ſiquidem ac calloſum corpus ita diſtinguit ventriculos hos, ut de uno in alium motus ſit difficilis. Removete igitur mihi, quicunq; obſtructionem cauſam Epilepſiæ dicitis, Imaginariam hanc obſtructionem, vix quæ momẽto durat, quum nervorum principium ſtatim ad-

surgat, ut inimicũ de sede detrudat. Nulla Obstructio certè in fieri, omnis in facto est: nec ea in magnas cadit cavitates, Rondoletio volẽte lib. 1. c. 36. cur. morb. intern. Multò minus Obstructionem principium nervorum patitur, cũ compactum sit corpus, medulla scilicet illa quæ cerebri media oritur parte, ac de se nervos in sensuum organa demittit, dũ est in calvaria, postea in spinam dorsi se recondit. Corpus duriusculum & solidum, æthereis spiritibus solis pervium, nullam agnoscet cavitatẽ, (ęthere enim æmula hæc corpuscula ea opus non habent.) Ineptitudo crassi humoris impervium locum obstruere non admittit; tenuis fluxibilior est quàm ut inhærere possit: nulli, insurgens principium nervorum ad noxium excutiendum, quietem concedit. Quod autem eijcitur extra locum, quod obstruit fixum in loco est. Nolite ergò adfirmare Morbum in via hos insultus causare. Quem ergò alium Morbũ esse dicemus? FELIX PLATERUS vocat OFFENSIONEM, quæ vox tamen Genus Morbi exprimit nullum, nisi id innuat quod Fernelius scribit, *ferire inimicam hanc vim Cerebrum*, quod FERIRE, ego

Nec principij nervorum.

Patholog. l. 5. c. 3.

ego Continui solutionem intelligo, quæ
fit in principio nervorum, quod est Me-
dulla, quæ spinalis postea, dum extra ce-
rebrum vergit, vocatur. Quod enim par-
tis alicujus expultricē excitat præter na-
turam, & ad expellendum cogit adsurge-
re, id nō temperiem immutat partis, ve-
rùm illius symmethriam ferit ac solvit.
Exemplo sint noxæ aliarum sensilium
partium, quæ vim expellentem fatigant
ac molestant; ut sunt vermes sugentes in
intestinis, acris in ijsdem humor, colicus
cruciatus, singultus , tussis & quædam
turbæ ventris. Fit enim in omnibus ijs
solutio continui, quæ distenduntur, quæ
contunduntur, quæ comprimuntur, quæ
acri humore corroduntur, quæque pun-
guntur, Gal. lib. 2. de locis Adf. c. 5. Sive
igitur illud quod principium nervorum
oppugnat acre sit, seu mordax, seu viru-
lentum, aut alia quadam inimicitia feriat
aut molestum sit, stimulet, vellicet, ro-
dat &c. id omne unitatem hujus princi-
pij solvet, quę est in Symmethria tempe-
ramenti, & connexu spirituum, idq́; vix
dicibili modo. Multæ siquidem sunt
solutiones continui, quas usus nomini-
bus proprijs non notavit. Fernelius li-
bro Pa-

bro Pathol.1.c.9. Et hæc causa omnibus speciebus Epilepsiæ adaptari potest. Quę de morbo qui depravat actionem cerebri & præcipuè Medullæ spinalis in calvaria, nimirũ expultricem ejus naturalẽ.

Quæritur nunc, quid in hac lucta expellatur, an solum inimicum, an & simul spiritus animales? Hippocrates & Galenus, & qui eos mordicus sequuntur, negant in hac lucta animales expelli spiritus è cerebro, sed humorem aut vaporem solum noxium; qui fortassis, dicit Galenus, irrigat principium nervorum, & hoc irrigatum contrahitur. At IRRIGATIONIS esse si pensitamus, humectatio erit, & sic Intemperies, quam subitò introduci & evocari negat posse Galenus. Nec credendum contrahi principium nervorum in hac lucta, cum in motu voluntario nec nervi nec spinalis medulla contrahantur. Quid igitur tumultuantes efficiet morbos?

Quid ex cerebro pellatur.

3. loc. adf. 7.

Concussivus ac vehemẽs cerebri motus, quo in lucta cum noxio utitur, dum se cõstringit ac dilatat, necessariò omnes spiritus animales confundit, diffundit, disturbat ac exagitat, simulq; expellit ad cerebri posticam partem & in nervos.

Quod indè clarum, quia revellendi causa, sternntatoria exhibentur, ut spiritus ad anteriora revocentur & in cerebrum.

Animalis igitur facultas, cui hi spiritus pro seruitio sunt, phantasmata ab extra allata, aut in spiritibus cerebri infixa cognoscere & dijudicare impeditur. Undè Mens nec sua, nec sensuum objecta judicat, quia quo tempore cerebrum quiescit homo sapit, quo movetur insolentius & spiritus agitantur, dignoscit nihil. Motus hic violentus est, cum impetu quoda spiritus in nervos trudatur, idque adfatim & subitò absque ordine, quadam ametria, & per errorem animæ quæ alias spiritus ordine regit, hic in conatu expultricis mobilissima, & agilissima hæc corpora simul evibrat. Quæ cum extra Cerebrum & nervosa corpora pereant, in hæc inijciuntur & truduntur. Natura siquidem semper suam noxam vitare conatur. Pervadentes igitur has vias inæqualiter, varias inæqualitates in motus organis causant. Totum enim corpus undique contrahitur, ejusque partes perturbantur, spiritu ipso ad tumultum & conturbationem subministram operam suppeditante: qui si in Cerebrum

Hippocrates de Morbo Sacro.

rebrum retrocedit Quietem causat. Ratio hujus opinionis est ipsa actio cerebri dum valet, in movendis partibus. Negat Peucerus & aptè, Facultatem animalem ad organa sensus & motus descendere irradiatione, sed motus voluntarios effici explosis è cerebro Spiritibus vibratum quodam. Lib. divinationum. Natura parens Spiritus animales cerebro, & ejus subjectis organis implantavit, quibus nō opus esset, si irradiando molem corporis moveret anima. Nec illis spiritibus agilitas, mobilitas, subtilitas necessaria fuisset, si in inferiora descendere liberrimè non deberent. Et ad quid motus cerebri serviret, si is non contractione quadam evibraret spiritus in nervos. Nec Crato in sua Isagoge aliter sentit. Cum igitur Spiritus animalis, utpote nobilissimus, liberrimus, subtilissimus, fulmine ocyor, natura agilissimus, quem & facultas movet, & ipsa natura propria ad motum facilè incitat, in ordinario motu animalis per omnes nervos fluat, musculos contrahat; aptissimus ille erit, qui in hoc inordinato motu etiam perturbatè moveat. Nam quorum moderatio est sanitas, eorundem immoderatio morbus *Theodor. Zvvingerus in Physiolog.*

eſt, teſte Galeno: Blandè itaque ac ſenſim ab arce animæ in ſubditos motus ruens, ſanos motus cauſabit; vehementer & furiosè cum impetu quodam irruens, violentos, perturbatos & tumultuantes motus dabit. Hoc ſolum corpus eſt quod aptum eſt in nervos repere, & ex ijs ſecedere ſubitò; hoc ſolum eſt quod breviſſimo tempore omnibus inſtrumentis motus mandare poteſt: illaq; ingredi. At requiritur in univerſali convulſione nullum aliud replens has partes, corpus, utpote cui viæ ſuetæ ſunt, & quod ſuo corpore agili penetrare etiam ſecretiora & abdita poteſt movendorum membrorũ, quodq; ſubitò ex eis recedere. Melancholia, Pituita, imò ſerũ ipſum ineptiora ſunt quàm ut hunc refluxum & adfluxũ dare poſſint: pigrum illud, quia terreſtre, Pituita ſua viſcoſitate lenta adhæreret, ſerum mobilitate diffluerent. Vapor minor eſt quàm ut omnes nervos & motus organa replere poſſit. Auræ & qualitati influere denegatum. Solus igitur reſtat animalis ſpiritus, huic nervi ſunt ſolum pervij; hic ſolus muſculos ad ſuũ principium trahit; hic ſolus ut agiliſſimũ corpus, accedere & recedere ſubitò poteſt.

Epilepſia uterina in qua ægræ audiunt & percipiunt quædam, ſpaſmodica quidẽ adfectio eſt, quæ ad Epilepſiam referri poteſt. Verè tamen Epilepſiæ nomen non habet, quia ſenſus magis diminuitur, quàm aboletur, & fit poſteriorum nervorum major quàm cerebri ſtimulatio, undè illis convulſiva tenſio major eſt, quàm qui veris motibus perturbatis agitantur, nec mens & ſenſus ſemper oblæduntur, quæ Epilepſia ſemper conjuncta habet cum depravato motu; videatur Galenus c.7. lib. adf. locorum 3. Quæ ad Plateri noſtri opinionem adfricare volui. Prudentiora qui novit, adferat, per me cuilibet ſentire erit liberum quod vult. Libera civitas mihi patria, unde & libera mens, nemini invidens, mihi ſoli tamen non fidens. In magnis & innuiſſe, ſat eſt.

Reſpondetur tacitæ obiectioni. Salius in cõvulſivo motu ſoliũ auditum manere integrum, cadẽtibus reliquis ſenſibus ſcribit de Morb. part. c. 20.

Qualitas inimica cerebro ejusq; facultatibus omnibus, maximè expultrici, inſidet non ſoli vapori, ut quidam putant; ſed etiam humori, verùm tenui, mobili & fluxili. Nec ſola acredo aut mordacitas expultricem exagitat, ſed quædam vis maligna, venenata quę antipathiam quãdam cum nervoſo habet genere, eique

Subiectũ qualitatis inimicæ cerebro.

quasi perpetuas juravit inimicitias. Ma-
nifesta enim & occulta vi oppugnatur
causa Epilepsiæ : Contraria autem con-
trarijs curantur. Mole igitur minus, vir-
tute magis efficax, & mobile illud quod
fatigat cerebrum, erit, sive jam fumum
seu vaporem dicas, sive humorem sero-
sum heterogeneis noxijs mixtum. Quæ
extra cerebrum si sunt, ablegare ex fomi-
te subtile effumatum debent, quod per
continuatas nervoso exortui partes ad-
scendit, vitium intendit primò nervoso
alicui corpori, quod exortum omnium
nervorum in consensum trahit; quę sunt
tendines, periostia, nervi, membranæ
sensui, subtiliori dicatæ, ventriculus, u-
Vterus qualis. terus &c. Hic Naturá durus & nervo si-
milis est, gaudens fibris pluribus ob quas
se facilè contrahit, & simul alligatas par-
tes tendit, in suo maximè errore. Pars
certè multis morbis opportuna, in quam
venæ & arteriæ magnæ plurimę desinũt,
per quas totius corporis excrementa, &
recipere potest & solet. Horum exitus
tardior adfluxui si est, noxiam vim ac-
quirunt, quæ corpori uteri nervoso offi-
ciunt, quod in consensum vocat princi-
pium nervorũ. Ea enim est generis ner-

vosi

vosi conditio, ut ejus passio non difficilè in totum diffundatur corpus, & caput, in quo ejus latitant primordia in cōsensum trahat; fusiùs ut disputat Valesius in Com. ad parag. 1. sect. 1. lib. 6. Epidemiorum. Ab utero hanc noxam per flatum communicari crebro, ex aph. 66 lib. 7. Epidem. Hipp. Mercatus evincere vult; ubi senex noster Cous flatus plurimas causare passiones histericas, adfirmat; quæ convulsiones inducant facilè, 119. prædict item Coacarum prænotionum aph. 349. 531. Si scilicet noxam habent in se eam, quæ nervoso generi perpetuas inimicitias juravit. Excitari autem vel per causam internam vel externam, aut è semine, aut menstruo sanguine, quando in venenatum desciverunt naturam, ut volunt Mercatus & Rodericus à Castro. Felix Platterus dubitat an Semen ita degenerare possit, cum excellentissimum corpus sit, aptum primordium vitæ nostræ, æquè in sexu fragili, ac forti. *An semē in vasis propriis putrescat.*

Ausus fui sæpiùs de Mulierum semine id pronunciare, quod D. Senex de sanguine dixit, extra vasa illud putrescere; *6. aph. 20.* vasa mulierū snnt conservantia & foventia illa quæ ipsis concredita sunt corpo-

ra, Semen itaq; in vasis suis conservabitur & à calore vitali, qui copiosus in arterijs, quæ admirabili quadam anastomosi eis sociantur, fovebitur. Incubat etiam testibus in abdomine occultatis calor totius corporis, qui nunquam putredinem sanus ulli humori, nisi à suo vigore secedat, aut extra sua vasa sit, inducit. Nam quod Clarissimus Bauhinus lib. 1. Anatomici Theatri c. 34. de vesiculis testiū humore aquoso, aliàs limpido, aliàs croceo, luteo, tingente & graveolente scribit, illud non de semine intelligo, cum testes non admittant semen in corpus, sed in vasis spermaticis elaborent; quin potiùs de humore aliquo corrupto, qualis sæpè in corporibus morbosis, non ibi saltim, sed etiam in alijs visceribus colligitur, quibus vesicæ ichore adhærent turgidæ noxio. Semen itaq; si passiones hystericas aut Epilepticas seu convulsivas causat, extra vasa corruptionem sensit, quod salacioribus aut imaginata Venus, aut titillans ars lenonina, è locis abditis evocavit. Non hoc corpus, licet nobilissimum, extra vasa conservātia noxam evitare potest; quin veneni naturam induit, ut hysterica symptomata gra-

ta gravissima in viduis comprobant: teste Cl. Bauhino Lib. 1. Theat. Anat. c. 36. Semen itaq; si cavum uteri ingressum est, aut in loco titillationis hæret, corrumpitur, & aut fit monstrosum corpus, aut de se mephytes dat. Virginibus & illis, quibus conceptio negata fuit semper, vas ejaculatorium exiguum ad uteri cervicẽ fertur, ut à diligenti Anatomico vix animadvertatur. Cl. Bauhinus cit. sæpius loco; unde si salaciores semen evibrant, uterum humectabunt, in quo fortè ut in viduis corrumpetur; At an has numero virginum includere debeam, dubito, quũ castis & hic locus sit castissimus, nec virgines, quibus mens casta pietate vallata est, insuetam petunt voluptatem, nec id somniant quod ignorant; virginitatis via certè difficilis calcitratu est, sapiente adstipulante. Prov. 30. Si igitur adfectionem semen producit hystericam, eis sueta erit, quæ Jonicos edoctæ motus, ruentem furtivè in Venerem diu taurum non sensére, aut Horatius. quæ fricationibus Tribadum adsuetæ, aut quarum oculos libidinosa illustraverũt, aut impudicũ aures pultavit, à quibus castæ menti vitium illatum est. Hoc impugnabunt illi audaciùs, qui religio-

ſos utriuſq;, ſexus infeſtari norunt hy-
ſtericis ſimilibus moleſtijs. At in viris,
quibus uterus non eſt, ſanguis haud, ſed
ſemen vitium capiet. Sacris fortè idem
accidere virginibus poterit. Et his mens
pia eſt, vallata caſtitate, faces extinctæ, &
arcus rupti Cupidinis, cum hoc Dæmo-
nium jejunio, & precibus frequentiori-
bus expellatur, oculi humum inſpiciant
communem ſcilicet matrem; aures ſacra
audiant Dei verba. At ut ego nil eo-
rum religioſæ detraho caſtitati, ita ſu-
perſtitioſo vivendi nequeo generi ſub-
ſcribere; adeò hi filij matri Eccleſiæ ſunt
diſſimiles: hanc novercam eſſe negant,
quæ filijs petentibus panem, porrigat ſa-
xum, aut piſcem, det Scorpionem. Illi
vero laſciviã juvenum ſuperſtitioſa in-
opia, duro cubitu, victu aſpero, parco, ſę-
pè inſalubri profligant, vigilijs & labori-
bus emendant, ac idem eſſet frugaliter &
adflictè vivere; ſic enim ingenia feliciſſi-
ma magis pereunt, quàm ad altiora exci-
tantur, & corpora peſſimis replẽtur hu-
moribus. Humores igitur boni naturâ,
vitioſis & noxijs ex rigoroſa Regula ci-
bis & exercitijs infecti & corrupti, quid
aliud quam monſtroſos & terrentes da-
bunt

bunt morbos, & similes illis qui ab hysterico veneno. Haud nego in felicissimis cucullis etiam latitare abstrusos adfectus, sed raros; parum cum ibi sobrietatis sit, fortè etiam castitatis. Etsi nocumentum ulli à Semine est, ibi nocebit, ubi titillationis sensus est, & libidinis œstrum; in illo enim loco libido Veneris menti & cerebro insidias struit, ut quicquid nervus est in corpore non nihil de hac commotione suavi sentiat. Hinc coitus parva dicitnr Epilepsia, quod itaque venis inclusum nervos non adficiet. Ex his exclusum semen, nescio quid alterationis singularis tactui inferat, cum rapiat spiritus quasi ex mentis arce, ut totum quatiatur nervosum genus. Vidua Galeni aliquid lucis dabit, quum illa prę- 6. loc.
ter cætera mala nervorum distensiones adf. 5.
senserit. At hæc calefactione, & aliquali tractatione muliebrium partium manu, prolicito semine non absq; titillatione & voluptate, à molestia sua liberata est. Non sanè lenis tractatio muliebrium semen prolicit, in muliere ignara veneris, & à cogitatione libidinosa aliena; Lasciviente lumbo, & subsultu ac lubrico spinæ motu ex testium occultato loco

semen

ſemen evocatur, & ſalaciſſima erit, cui ex ſolo tactu titillante ſemen provocatur. Jam jam itaque motum ex ſpiroſis teſtium vaſis ſemen, juxta uterum ſervabatur, ex quo manus hymenæum mentiens elicuit. Illuſtrat etiam hic locus Opinionem meam, quæ caſtis & venerem inexpertis & corpore & mente

Lib. 6. l. adf. c. 5.

denegavit hoc vitium. Cum viduis maximè ex parte accidat, ijs præſertim, quæ cum antea probè purgarentur, ac pareret atq; virorum concubitu gauderent, omnibus his fuerint privatæ. Idem adfirmat de quodam libidinoſo viro, qui ob uxoris mortem lugens & contriſtans malum habitum acquiſivit.

Quid verò apud hos caſtos moverit ſemen extra vaſa propria, ut ſolicitet nervoſum genus? ſi mobilitas ſpiritus non eſt in ſpumoſo humore agilis? aut natura geſtiens ſe ab impedimento hoc liberare? ſcio nihil, niſi illud Galeni, eos ad libidinem antea nihil reliqui feciſſe, nunc adfatim continere ſe incipere. Diogenes conſtantiſſimus, Galeni teſtimonio, ad continentiam, manum ad hymæneum cantandum admovit, quid alij meditentur aut factitent non inquiro.

In va-

In vaſis ſanè, in corpore bonis humoribus diſpoſito, ſemen corrumpi dubito; in ęgris, & quibus cumulati pravi humores, ineſſe non repugno. Galenus illuminat hæc locis citatis, ubi abſtinentes à coitu, laſcivos, in plurimos adfectus incidere ait, in febres, anorexiam, in melãcholica mala, mœſtitiam & triſtitiam, totiuſq; corporis frigidam qualitatem & torporem. In cacochymicis igitur abſtruſa hæc ſi prodeunt, nil miri, minuſq; ſi meditamur per vaſa, utpote continuatas partes cordi communicari vitium, hinc febris, mœror, triſtitia, refrigeratio caloris, fortè etiam cerebro melancholiam. At in cerebro motus non excitantur monſtroſi, ni per continuatas partes Nervorum principio cõmunicetur noxa. Ejaculatum itaq; ex tortuoſo vaſorum ſeminalium cavo, & projectum ad titillationis organõ, diſtentiones cauſabit Epilepticas. Retentum, vitali robori & naturali, per continuationem vaſorum, nocumẽtum communicabit. Quibus itaq; vivendi durum præſcripſit regula genus, peſſimis referta habebũt humoribus corpora, ſic & degenerans ſemen, torpore pigritieque magis nocens,

quàm

quam commovendo nervoſas partes.
Qui verò cucullo felici clauduntur, his
cibis lautiſſimis, & largiori potu ſemen
augebitur, quod ſpiritu turgidum & mo-
bile, lumbis vix agitatis ad thronum de-
ſcendet dulcedinis, & ab otioſa, vel po-
tius negotioſa in eam mente de corpore
proijcietur. Sed quid me macero cum
his narratis adfectibus, oculatus ſi ero
teſtis, cruda hæc ruminabo ad maturio-
rem coctionem. Hoc nunc volo Epile-
pticos inſultus à ſemine corrupto non
fieri, ni nervoſum genus feriat noxiè. Et
difficilè ad veneni naturam in vaſis de-
generare proprijs in ſano & bonis ſuccis
diſpoſito corpore. Sic nec ille ſanguis
qui menſtruo quoque tempore decedere
conſuevit ex utero, ſi retinetur monſtra
& ſymptomata dira parturit, ni degene-
ret; Quāvis omnis Cacochymia in qua-
cunq; ætate idea monſtroſorum eſſe ad-
fectum, portentorumque poſſit. Nota
mihi eſt puella, cui ætas menſtrua nega-
vit & anni ſemen, at hanc hyſterica ac
1623. convulſiva fatigarunt. (Nec abſonum, &
innocēs ætas ſuos habet nævos,) & albus
fluor moleſtavit, ut infra octavum ętatis
FLVOR albus. fluxerit copiosè, Et quidem FLVOR his
vitium

vitium nostratibus frequens; testes mihi eruntCollegæ honorandi doctissimi;inprimis Clarissimus & Excellentissimus Jeremias Kneülinus, urbis nostræ primarius Physicus & præclarissimus Practicus. Dura itaque ac tetrica Johannis Baptistæ Montani valeat sententia, quæ omnes virgines quibus menstrua alba, seu fluor albus est, vitiatæ pronunciátur, etiamsi nesciatur: Lib.de Adfect. Uteri. Quam tanquam horrisonam & vanam Rodericus à Castro explodit, Lib. 1.de Mul.morb. c. 14. Cum puella & sibi octennis nota, quæ obnoxia albo fluore sit. Quin curasse se in Hispania & Germania honestissimas ac famæ integerrimas virgines, quibus per triennium hic fluxus molestus fuit, priusquam menses rubri prorupére. Jacobus Sylvius;comment. suo de mulierum mensibus: *Menstrua alba*, parvis & admodū puellis provenire scribit, maximè si cibo utantur humidiora & crudiora. Eadem Ludovicus Boncolus Enneade muliebri cap.3. adserit. Placet adijcere sententijs præclarissimorum Medicorum obstetricis Galliæ testimonium; hæc Reginæ in partu præfuit, quod legitur libro 2. de Cura

gravi-

gravidarum & parturientium; Puellam scilicet quinque annorum copioso laborasse fluxu albo. Augustanis certè nostris grandioribus, & parvis, puellis & puellulis, virginibus & uxoribus freques fluor hic est albus; qui ante pubertatem, & menses rubros accedit sæpiùs. Adultis quibusdam menses rubros sequitur, pluribus præcedit, etiamsi ritè menses fluentent, modò cum, modò absq; lumborum pedumque doloribus.

Causam hujus frequenti mali dùm apud me pensito; audio FLUOREM hunc duplicem esse, undè & ei duplex nomen. A felicissimo FELICE PLATERO Tract. 3. lib. 2. cap. 7. vocari PURGATIONEM seu PURGAMENTA UTERI ALBA; hæc nomina retinet etiam Roder. à Castro lib. 1. de Morb. Mul. c. 14. ubi & PROFLUVIUM UTERINUM dicitur. FLUXUS MATRICIS, ab Eroto de passionibus mulierum; Ludovico Mercato lib. 1. cap. 15. de Mulier. Adf. Johan. Heurnio de Morb. Mul. c. 4. Fernelio. 6. Pathol. c. 16. Diuturnam uteri destillationem nominat Aëtius Tet. 4. Serm. 4. cap. 65. FLUXIONEM UTERI Paulus lib. 3. c. 63. SYMPTOMA UTERI Albertus Bottonus de morb. mul. c. 57. &

Fluoris albi distinctio.

Fluor albus quid?

quidem

quidem in exeunte mutato. Est igitur Uteri excrementum hoc album, quod ab utero, & coctionis quidem tertiæ. Cur enim ei denegabimus excrementũ, cui adsignamus alimentum? Uterus & quæ in abdomine partes occultantur aliæ, nervosæ ac glandulosæ, alimoniam dum nituntur sibi adsimilare, (satagunt siquidem & illæ resarciri,) excrementum relinquunt glutini haud dissimile, quod cum ichore seu sero supervacanea & partibus inutili humore, per venas colli uteri deponitur, modò etiam sincerum, si paucum fluit; sunt enim venæ hæ destinatæ, ut per ea, quæ utero oneri sunt, eijciantur. Humor igitur hic inodorus est, parcus, nec mordax, aut acris, respondens cremori ptisanæ, ut ex Aëtij Tetr. 4. 5. & c. 65. Sylvius transcripsit: vel hordei, ut Parçus lib. de Generatione Hominis. c. 58. Rodericus à Castro Lib. de Morb. Mulierum 1. c. 14. Ludovicus Mercatus lib. 1. de M. Mul. c. 15. habent: aut *Albumini ovi conquassati*, ut Felix Platterus Tract. 3. l. 2. c. 7. ac ipsa autopsia docent; aut *albo muco*, Heurnio l. supra c. annotante. Moderatus hic fluxus non insalubris est, quum morbosum

Fluorẽ album Piso genuinam spermatis excretionẽ esse vult, colligit illud ex substantia & exeũdi modo.

in ametria consistat: & parcus, quum membranosarum partium excrementũ sit parcissimum ob exiguam alimoniæ molem. Humidioribus frequens magis, quia copiosius adfluit in illis alimẽtum ad corpora nervosa, nec vis coctrix par est ut absumat; deponitur itaque ut supervacaneum. Viraginibus verò, & quibus solidum ac siccum corpus, illis vel parcissimus est, aut quadam insensibili digeritur trãspiratione, vel glutinis instar eorum locellis adhæret, ut partes munitæ à duriore intrante aut exeunte non lædantur, præterlabensvè acrimonia molestet. Quamvis sæpiùs promoveantur à venere insueta, à Thermis, à fortioribus catharcticis, maximè si calor locellorum lentorem eis induxerit, teste Felice Plattero, Tract. 3. l. 2. c. 7. Nescit moderatus hic fluor mala accidentia; sed in sanis fœminis aut virginibus, vel matribus multis annis innoxiè fluit. Si verò acquirit vitium, aut copiosior est, uteri morbos & symptomata dabit, qualia à fluxu fortè quinto, apud Hippocratem, albo prodeunt. lib. 2. de Morb. Mulierum.

Profluviũ *Profluvium*, quod vocant *muliebre* copiosum

piosum est, quod nec à solis nervosis partibus in abdomine occultatis, multò minus ab utero decedit, sed totũ agnoscit corpus. Deponunt siquidem tertiæ cocturæ recrementa, seu superflua ad uterum partes omnes corporis, ut citati sæpiùs autores sentiunt, inprimis Heurnius. Senex noster Divinus à Cerebro & Ventriculo delabi putat. At primæ coctionis agnoscunt excrementa utero proximiorem locum per quem expurgari facilè queunt; Si quis fortè error in ea committitur, cũ eum hepar vix corrigat, creabitur toti corpori molestia, & sanguini, totius alimoniæ, vitium infertur. Multa siquidem heterogenea in venis erunt, alteratio in ventriculo si labascit, & segregatio in intestinis si omittitur. Hinc cacochymia prodit, ex qua omnes morbi. Ventriculus igitur non propria culpa, seu primò, profluvij hujus autor est. Cerebrum sanè cum utero magna fruitur familiaritate, at per nervos, non venas. Ast per illos canales solis æthereis corporibus pervijs, tàm crassa nõ ad uterum labitur saburra, nec ædem custodiæ spinalis medullæ perreptat; nec cavitas cerebri eructat tàm co-

muliebre quid?

piosum fluentum, etiamsi venas rivos pronunciarem, per quos ad uterum fluentaret. Totius itaque corporis vitiosum excretum dico, cujus motus in venoso genere, & ex eodem eructatio. Nā aut FORTIS NATURA, quæ à retinendis segregat reijcienda in vasis, deponit hoc onus ad colli uteri vasa, hos ut per canales effluat quod corpori noxam dat, aut sanitati vitium infert; videatur Jacobus Sylvius l. c. Aut debilis aut aberrans vis naturalis, quæ vel generat crudos, vitiosos, malosvè succos, vel segnius eos segregat à bonis, ut loca non permeat ea, quæ natura destinavit excretioni, quando alvus scilicet, renes, & cutis, plus sibi servant, quàm erogant: aut ad uterum ichorosa excrementa deponuntur, quæ alia loca evacuare debuissent. Natura enim, cui uterus inservit pro superfluo cruore deponendo consueto tempore, unquam ne sibi desit, ad hunc ea supervacua locum trudit, errorem ut emendet aliarum evacuantium. Non parcit illa nobilioribus partibus, modò ut de noxio vindictam captet. Sic ichorem adurentem, costas succingentem membranam ac pungitivo fatigantem dolore, in

re, in venas recipi, ac cordis ventres per-reptare ſcimus, ut per renes evacuetur. Novit natura ſagax abſtruſiores vias & latentes cuniculos, per quos ſuos inimicos eijcere valet, quos ſuos celavit miniſterculos. Non alia Mercurialis, Bottoni, Paræi ſententia eſt, legantur loca ſæpiùs citata. Eundem mater natura in excernendo quod ſuperfluum per uterum ſervare modum, quem per renes, ſubminiſtrante operam ichore, ſolet. Quidam pituitoſum, hoc quicquid in tali profluvio excernitur, ſanguinẽ vocant. Ego cacochymicum quicquid effluit crudum, & omnium coctionum excrementum dico.

Medici hos albos fluores copioſos, vel ut ſignum & morborum indices adſpiciunt; vel ut effectores morborum inveniunt, qui corpus aut emaciant nimium, aut refrigerant, monente Sylvio, ac alijs ſæpiùs nominatis. Divini noſtri *Fluores albi Hippocratis.* Senis Coi fluores, quos recenſet albos libro nominato quinque ſunt: Hic aſini reſpondet urinæ; ille, album & ſubpallidum expurgat: tertius quando copioſũ effluit quale ovillum lotium: quartus, quando fluit tale, quale ex ovo crudo, palli-

1. 2. 3. 4.

pallidum, ſub albidum, hos omnes hu-
jus profluvij muliebris ſpecies facio; ut
quintum uteri purgamentum dixi; cum
cacochymiæ ſoboles ſint : Si enim i-
chor aquoſus abundat, eructatur fluor
primus: ſi pituitoſus & craſſior humor
ſimplex aut mixtus cum bile, ut evadat
ſalſus ac acris, vel aduratur, quarta fluo-
ris ſpecies prodit. Quod ſi verò bilis mi-
xta pituitæ eſt, at hæc illâ major copia,
aberit ſalſedo & acredo omnis, tertia
fluoris adſurgit ſpecies.

Secunda deniq; ſi copioſa bilis ichori
permiſta effluit, Meam hanc opionem
ſubſignant ſymptomata cuilibet fluxui
propria, ab Hippocrate prodita ibidem.
Nemo fœminarum ab hoc profluvio
excluditur, ſive pepererit, ſeu ſterilis ſit,
ſive caſta virginis clauſtra ſerata habeat,
ſeu mobiles clunes oppoſuerit tentæ li-
bidini, uterum ſeu gerat, ſeu vacuum ha-
beat, adulta ſeu puella ſit, cum nullis
parcat cacochymia, quam ſtudiosè quæ-
runt ſæpiùs. At his copia fatigans, illis
paucitas tolerabilis eſt. Quod porrò
excernitur in hoc profluvio, aut tenue
eſt, ut ichoroſus, ſeroſus, aqueus humor,
qui vel copioſus, limpidus, & ſine mor-
ſus, vel

Differētia à ſubſtantia.

ſus, vel eſt acris ſeu ſalſus, modò flaveſcens, modò vireſcens, rariùs nigricans, alius ſanioſus. Vel eſt craſſum ſeu pituitoſum, quod vel eſt humor glutinoſus; vel ſero dilutus, inodorus & frigidus, qui aut paucus, aut multus, aut immoderatus eſt. Moderatus graviora ſymptomata neſcit, & multis menſibus, annis plurimis feminas purgat, & à malo liberat. At immoderatus cacochymiæ & ſoboles, & cachexiæ origo. Et ſic ſubſtantiâ hiç fluor ſeu profluvium hoc diſtinguitur. Aliter eum cauſa diſtinguit. Viſcera enim Naturalia alterando aut aberrant, dum imbecilla ſunt, ita ut non poſſint non debiliter agere, & in ſuo vacillare munere: vel impediuntur probæ eorum coctiones ab humoribus copioſius in vaſis primæ & ſecundæ coctionis infarctis, undè tranſitus præpeditur liber, aut tranſiens inquinatur fortiùs, ita ut ſanguis fiat aquoſior, crudior, pituitoſior, & craſſior. Aut externus aliquis error in victu, in exercitio, aut quiete committitur. At ſi hæc proba ſint, vacillent tamen in ſegregando, alia diſcrimina prodeunt. Vel enim vitioſa eſt ſegregatio vel deficiens: quando ni-

Differẽtia à cauſa.

do nimirum obſtaculum quoddam in
meſenterij vaſis hæret, quod permean-
tem præpedit ſuccum, ne ad officinam
ſanguinis ritè fluat; aut bilem excludit
veſicula fellis, vitioſa eſt, quādo expul-
trix offenſa, tertiæ coctionis recremen-
tum confundit, ac ad uterum trudit,
quod conſuetè per renes aut corporis
ambitum expellere debuiſſet. Uterum
„ Natura non libidinis ergò fœminis de-
„ dit, ſed ut eſſet in quo revireſceret ſpe-
„ cies humana; hunc agrum dum hume-
ctare optimo ſanguine ſolet, ne nutri-
mētum fœtui deeſſet, multis ſimul ſor-
dibus inquinat, ac quaſi fœtidis ſterco-
rat; unde & ſupervacanea multa, ad hu-
jus agri limites deponūtur, & extra cor-
pus truduntur. Putant quidem autores
ad hæc loca rapi, & ſecundæ & primæ
coctionis inutilia; quod in errore Natu-
ræ non nego; ſemper tamen fieri, & has
ſordes ab his ſolis deponi ad uterū, par-
tibus perſuaderi mihi non patior. Ne
alvo, renibus, hæmorrhoidib. injuriam
faciam, cum illa depletrices ſupervacui
officinarum illarum ſint partes, quæque
quotidiè quaſi abducunt, quod natura
procul ab earum actione eſſe jubet, ne

conta-

contagione noceant bonis. Serum igitur jam ſuo functũ officio tertiæ coctionis recrementum ad renes ſecum rapit, & in mulieribus ad uterum, quod ideò craſſius fit, quia craſſa in venis à ſero abſterguntur; & gluten ipſum recrementũ æmulat, teſtes ſordes ſunt cutis. Hoc eructatur ex colli uteri venis, non quidẽ ſiniſtrè; eſt & illa via conſueta menſibus rubris. Non uteri cavum neceſſariò adfluit, cũ gravidis etiam purgamenta hæc ſint, & virginum uteri anguſtiſſimi. Sincerum fluit, quia à ſanguine ſeparatum eſt, ut purum ab impuro, nec opus habet circuitu, quia leges Naturæ non obſervat. Uterus neſcio qua ſagacitate utilia robuſta virtute retinet, donec aut Lex Naturæ, aut copia aliud ſuadent; & inutilia ſine lege ulla depellit, ut à ſe arceat ſemper quod obeſt.

Hæc eſt mens Magni Platteri, locis ſuperiùs citatis, cui vix invenio repugnantem. Cæcos & verè abditos deniq; cum Natura norit receſſus, per quos ad uteri locellos ejusq; aditum exteriorem humidum hoc ichoroſum, craſsũ, glutinoſum deponere poſſit; non puto canales ſanguinis hæc purgamenta ne-

cessaria vehere & expurgare debere. Provida natura haud nescia, quot in conflictu tentæ libidinis attritiones in proscenio uteri fiant, quales dilatationes, distẽsiones & contritiones ab fœtu prodeũte in partu illud munivit mucore hoc glutinoso, qui in sanis paucus est, in ægris copiosus, unde hęc loca lascivientibus viris humidiora minus suavia censentur. Viro cuidam Nobili à febre continua glutinosus ichor frequens nõ sine fastidio, anum perreptavit, podicẽ semper tenacitate humectans, & indusium maculans, ut rigeret ac si amyli diluto madidum esset. Quem glutinosum ichorem non solos hæmorrhoides eructasse patavi, sed ex cæcis, & secretis corporis recessibus ad podicem perreptasse mihi imaginatus. In vivis Senex Divus omnia pervia adfirmat. Raræ hic homo texturæ est, pirocholus, haud lurco. Nec à cerebro descendisse iudicavi, cum medela, qua fuit usus Thermarum VVeringensium, corpori, non capiti, fuerit adhibita; quamvis non abnuem illius mentem nonnunquam laborare diarrhæa. Novit certè Natura sagax, provida, vias commodas, aptas, & cuniculos

Historia.

utiles,

utiles, abſconditos, per quos inimicum extrudere, deponere, expurgare tutò poteſt. Huic itaq; fidendum erit in multis, cum in paucis eam adſequamur.

Hac verò tempeſtate cur fœminis frequens ſit muliebre profluvium, ac alba febris omnibus q. nymphis, de quibus vetulæ gloriantur ſe audîſſe nihil, paucis ſubijciam. Novi ætatem ſenum deſpectorem juvenilis noſtri luſtri eſſe, & admiratorem ſuorum temporũ, at cum Divinus Senex Cous, lib. de Aere, Locis & Aquis jubeat Medicum ejus urbis, in qua praxin exercet, primũ obſervare ſitum, ut ad ventos & ſolis exortum poſita, deinde ad aquas quomodo ſe habeat, quæ terræ conditio, deniq; qui victus hominum, qui communis aut frequens, quis gratus; an cibis varijs aut multis addicti, aut potibus indulgeant, aut à potibus ſibi temperent, an edaces, aut frugales, otio an torpeſcãt, aut exerceantur negotijs. Hæc enim praxin felicitare, & ornare curam iſtis tribus Medicorum ſancitis, TUTÒ, CITÒ, IOCUNDE, quum patrij morbi & communes ex his pateant: Examinare in noſtra hac urbe placet omnia hæc.

Splen-

Descriptio urbis Augustæ Vindelicorum.

Splendidissima Rhætiæ Colonia priscis seculis AUGUSTA nostra fuit, Sacri Romani Imperij Germanici libera nunc Civitas, Sueviæ metropolis, ac Emporiũ celebre. Urbs in latissima planitie sita, media inter rapida, pisculenta tamē Vindonam & Lycum flumina, quæ à meridie descendunt, & hoc dextrum, illud sinistrum latus præterfluentat, quorum confluvium paucis ab urbe passus est septentrionem versus. Hinc urbi & tractui nomen Vindelyciæ.

Celsa ei mœnia, aggeres fortes, portæ altæ, plateæ latæ, longæ, regiæ, stabilitæ silicibus, nitidæ, rivulis irriguæ perennibus, ædes splendidæ, historijs à docta pictoris manu ornatæ, cupro lateritijsq; tectæ, colles diversi, modici, pluribus Basilicis superbientes. In plano sita modicis tamen collibus & diversis ac lascivietibus fluctibus interstincta. Tanta enim aquæ copia invehitur per ductus aquarũ, ut amnes per medium urbis labētur, & per cuniculos effluant, sordes & excrementa eluentes, secumq; rapientes: quin ędes fermè omnes urbis, cysternas, siphones, & salientes habēt redundātes fistulas venosas. Ex Lyco illi derivati

perpe-

perpetuis fossis rivi, & ex proximis quibusdam amnibus in urbis depressiorem locum, qui Euro liberrimè perflatur, cũ altiores in collibus ædes Zephyri flatum illis fractum quasi dent; Colles ambo æqualiter perflant, Zephyrus nobis tempestates cõcitat maximè, utpote humidus & pluviosus, ex depressis & alicubi paludosis Marchionatus Burgaviensis locis inquinamenta secum rapiens. Unde frontispicia ædium Occasum salutãtia ad tempestates vulgus sita pronũciat. Eurum Bavaria mittit liberum, serenantem & siccantem. Ab Austro quasi ab alpibus protecti videmur, & si flare ceptat, lateralis est aliquo modo, nec turbare corpora negligit, & morbis objicere, ut de eo pronunciat Hippocrates. *Vt ad vẽtos sita.*

Alpes Ulmæ proximæ aquilonis quodammodo uredinem frangunt, ut aut societ se Euro, aut Zephyro. Urbs itaq; nostra Euro, Zephyroq; frequentibus ventis secundè perflatur, temperaturq;, hinc Aëris ratione salubris cẽsenda, quæ inæqualitates patitur saltim Zephyri calidi & humidi, qui frequens admodum, & Euri sicci & calidi. Anni tempestates inæquales satis sunt, frigus longius *Vt se ad vẽtos habeat.* *Anni tẽpestates.*

calo-

calore, ac intenſum, hinc recrementorum in corpore ob pororum cutis constrictionem abundantia, diſcuſſio parcior. Hyems nobis longa, & ſæpiùs ſevera. Frigoris vis magna ac diuturna. Plejadum occaſum antecedens, ſępè occultationem arcturi ſequens. Calent itaq; hypocauſto à feſto Galli, aut plurimum Simonis & Judæ, & latet ignis teſta occultatus ad Paſchatis celebritatem aut Georgij memoriam, vel etiam ad plejadum ortum, quo Hippocrati deſinit.

Aquæ. Aquæ ſunt nobis amnes illi duo magni Lycus, Vindaq;, & quos planities viridis umbroſa claro eructat, & limpido liquore, ex dura & globoſa terra; hi per cuniculos urbem intrant limpidi, rapidi & clari, & per ſyphones in ſalientes ciſternas varias ducuntur. Scaturiunt & in puteis fontes.

Terra. Terra limoſa, argillacea, macra, lapidoſa verſus alpes Meridiei, dura, ubi Erica & pumile olus creſcit. Sol oriens & occidens fertiliorem illuſtrat terram, & in illis uberem Cererem maturat.

Victus. Victus Auguſtanorum, in maxima & Fortunâ diſcernente diſſimilitudine civium, ut unus non eſt, ita deſcribere hîc

non

non placet. Fœminarum vitam & victum examinare libet, harum cum morbi hîc excutiantur.

Staturæ mediocris & inæqualis est cohors Augustæ fœminea, & brevioris longè viris; nympharum maximè seu virginum, de quibus jocus, quod cognomina in LI. desinentia, nymphas Augustanas describant. Nec mirum, ut enim æqualitas loci proceros, & sibi producit similes, ita nostræ urbis inæqualitas dissimiles statura ac breves efficit. Quin ipsæ mutationes fortes temporum frequentes nobis, inæqualitatem in statura, & dissimilitudinem in forma exprimũt.

Fœminarũ statura. *Vt Welserli / Rehlingerli / Höchstetterli / &c.* *Hipp. lib. de Aëre loci &c.*

In certa igitur cum formarum fœmineæ nostræ sexus delineatio sit, & ego formarum spectator nugax, ac judex incomtus; Sabinum nobilem adducam poëtam, cujus carmen Sibillina folia erunt.

Nec formosa tibi dubitem conferre puellas
Tyndari, vindelycæ quas peperére nurus;
Ignea sidereis contendunt lumina stellis,
Purpureas vincunt ora colore rosas.
Collatum flavis hebetatur crinibus aurum,
Sithoniam superant candida colla nivem.

Lib. 2. Elegiarum.

Sanè choro nostro puellari cecinére

Gratiæ,

Gratiæ, & quod Natura staturæ negavit, illud decori earum addidit, ut nunquam sibi deest ubique, ita ut ne deformes eo privatæ sint, ut ejusdem sequens innuit distichon:

Tanta puellares commendat gratia formas,
Tantus inest castis virginibusq; decor.

Graciles sunt, vincto pectore, humeris demissis, ne habitiores dicantur pugiles, maritatæ vegetiores sunt, & illis corpus est solidum ac plenũ succi. Multis color verus, paucis ruber, plurimis subfuscus. Nescio quo fato hoc ævo palleant nymphæ, non audio Beyrhusium nugantem;

In Epigrãmatum libro ad Linum de Helenis nostri tẽporis.

Vt pulchræ, Linc, sint vel in sepulchro.

Omnibus sua est venustas; ni illud deforme cũ pictore Belga dixeris, qui iussus elegantem quærere Augustæ formã virginis, quam in B. Mariæ icone exprimeret, respondit suo Generoso in castellum rediens, tutto le donne d' Augusta sonno d'una sorte, hanno larga bocca inanzi, è longa coda da dritto, alludens ad vestimenti genus, quod trahit Syrmam pro onere.

Ora certè sapiunt Sueviam, quæ amãt verba extradentes projecta ore patulo.

Achilles Pyrmenius Gaſſarus urbis noſtræ Medicus ac hiſtoricus, de moribus Auguſtanorum ſcribens; Fœminas hujus urbis pulchras & formoſas eſſe nunciat; & tales Eurus zephyrusq; pingunt, qui noſtram urbem liberè & frequenter perflant. Hic humiditate ſolida corpora efficit, & plena ſucci, ac albida; Ille cum Naturá temperatus, cõgruas mutationes corpori adferet, colori conciliabit gratiam, ut vividiores videãtur, & rubedini opacitas accedat, qui color decorus eſt, & albedinem diſtemperat, ut ſubfuſcæ ſint. Vox clara & tenera, qualis in orientalibus civitatibus eſſe ſolet, annuente Deo.

In Hiſtoria Auguſtana.

Lieblich braun.

Affabiles & ſociabiles, idem, dicit; vitæ enim integræ ſunt & puræ ſceleris; nituntur id moribus, verbis, ſermone, vita, veſtitu probare, quæ omnia honeſta pudica eſſe volunt. Unde quidam Satapra Pragæ, inter Auguſtæ miracula recenſuit, quod ex patritiorum & mercatorum familijs ad choreas ibi centum & plures veniant virgines, in quarum numero vix decem reperiantur, quæ publicè malè audiant, aut de quibus furtiva poſſit muſſitari libido; adeò illarum ani-

Mores.

mis verecundia & pudicitia insedit, faxint superi, ne hac ętate, in quam omniũ temporũ vitia videntur confluxisse, adsurgant, & abitum pariant. Gestiunt vultus, verba, sermones, (conservationes vocant) oculos, labia, mores, incessus, decorem, gratiam, honestatem, verecundiam sapere. Volubilis est lingua satis, nec ora serata; unde adfabilitas grata, sermo decorus, conversatio jocunda, nec ad interrogata obmutescunt, aut plus quàm pudore rustico oculos demittũt, aut dentibus linguam reprimũt. Nil mihi cum zizania negotij est, quæ non sata in fertilissimo etiam prodit agro. Hujus mansuetudinis, quæ nostratibus apud plurimas cum pudicitia pro dote est, causam cum Divino Sene, Urbis nostræ situm pono, qui in plano est, etiamsi illa collibus modicis distincta sit, ac optimis & limpidissimis aquis irrigua, & ab Euro Zephyroq; temperatè perfletur; talem enim regionem mãsuetos homines alere statuit Senex noster Divinus. Et cùm fortes mutationes ab otio ad negotium revocent inquilinos, ead. in nostra urbe accidere debent, in qua fortes anni mutationes diximus. So-

li si-

li ſiquidem noſtri non ea eſt fertilitas, quæ tantæ multitudini, quæ eſt noſtræ civitati, uberem victum, & ſufficientem annonam ſubminiſtrare poſſit. Laborandum itaq; eſt, & pani veſcēdo ſudor vultus jungendus, (quod ob Caritatem hujus luſtri pluſquam religioſam, fex populi negligit) aut mercaturæ inuigilandum, & id impigrè, procul patria rem faciendo. Proverbio ſiquidem dicitur de noſtra urbe, plus in ea conſumi quàm acquiri: commertia nobis frequētia cum exteris, & remotis ab urbe & orbe; merces, emptores & venditores, patriâ procul quærendi, aliàs domi frigere & eſurire neceſſum. Martium præſens tempus, quod mercatoribus & mercium vectoribus moleſtum, noxium, dirum, peſtis, id teſtatur. Haud Timo muſſitās, ſolitarius, triſtis, ſed vir comis, adfabilis, ſociabilis, impiger, ſedulus, & ut loquitur D. Senex Philoponos; & Philogygmniſta rem duplicabit, merces ad auſtrum emtas, in aquilone vendet; quod multis noſtris mercatoribus uſu venit quotidiano: His autem vitæ integritas, animus ſcelere vacuus fidem in negotiādo facit, rem auget familiarem, duplicat

Mā verzert mehr in Augſpurg/ als man iñ jhr gewinnt.

lib. de Loc. &c.

D 2 opes,



Vnde. Et opes, cumulat honores. Siquidem nuda, honorati ac optimi mercatoris verba, multis ęquiparantur juramentis, plurimis ſcripturis & maximis ſigillis; in parva charta paucæ ſyllabæ multum ęris conflant. Dignitas igitur mercaturæ nō eſt minima, & honeſtas ſumma, in qua omnes artes florent ac ſplendeſcunt, Congruą ſcribere, dextra legere, cōmoda pronunciare, vera demonſtrare, cominiter perſuadere, concinnere tempori, aureos numerare, ſubtrahere emptori, addere caſſæ, multiplicare opes, dividere merces, regiones per ſtadia metiri, cynoſuram obſervare, ſecare æquora rate, ædificare caſas, culinam, & paſcere & erudire & ornare, quæ ager, quæ pecora commodi habent longiùs exportare, abſcondita è rimis terrę eruta vendere, cęremonias & peregrinos docere mores ac exercere, voluptatem ſectari, honeſtatem quærere, ἐυτραπελίαν ludere, ſuum cuiq; tribuere, lites ſeminare & fovere, res eo tempore geſtas ſuis litteris includere; Divinam ſcientiam & ejus myſtas diligere; donarijs honorare, votis literas claudere, cum laude Dei inchoare, ingenia bona, at ſiniſtra nata fortuna, ſtipendijs

Hat das Wort võ ſich gebē. Wixel-brieff/ Literæ Cambij.

Laus Mercaturæ.

Septem liberales artes.

Artes mechanicæ. Naturalia.

Ethica.

Iuridica.

Theologica.

dijs felicitare, egenis vestimẽtis succurrere, victum subministrare; quæ corpori sanitatem adferunt ex Eoo portare, omnia hæc Mercaturæ sunt. Hanc sola Gallia ob mobilem animi vim à nobilitate arcet, & austera nobilitas Germaniæ, sanguini suo avito officere putat. Ea nutriuntur reges, optimi degunt principes, magnates excoluntur. O Rerumpublicarum splendor, Civium pascua, vitalis populi spiritus; cum aurũ in populum & argentum distribuat, quæ perenni motu vivificant membra Reipublicæ; morũ polities, divitiarum parens, amicitiæ obstetrix, (res enim invenit amicos:) hæc Eoum jungit polo, alpes oceano; huic hic mundus angustior fuit, alibi ipsa orbem quæsivit novum; nullæ alpes altiores sunt huic audaculæ, nullus Oceanus immensus, ubiq; patulus, nullibi formidolosus, fretum nullum angustius, non maris refusio, non fluctus decumanus terrori, sed vortices & syrtes ut deflectet, saltim nititur. Non Jupiter pluvius, non Æolus fureus ejus motum impedit.

Medica.

Necessarios in Republica negotiatores Plato indicat, quum exportare et importare sit necessũ in Republica.

Inde Pfeffersack dicitur mercator & nobilis Habersack / de quo proverbio sibi gratulari mercatores possũt, cũ maieri

Saccus piperis quàm avenæ veniat pretio. Et Nobilitas aurea sit in pretio pro nunc.

Plutarch⁹ in Solone, etiã dignitatẽ fuisse Mercaturæ summã tradit, ut quæ cõmoda ex regionibus barbaris adferat, amicitiam cũ dynastis concilieт, & multarum rerum peritiam conferat. Testes mercaturæ.

Habet illa quidem, licet Diva Fortuna, & occasio ejus claudant latera, ac Opulentia à tergo sequatur, suos momos, invidos, inimicos & vastatores. Domi eos, quos fata & sidera iniqua, mercatores esse nolunt, qui contra pauperiem nitentes non labori parcunt, non otio torpent, noctu vigilant, die fatigantur, neç abutuntur radijs rarioribus fortunę, nec fidunt blanditijs ejus infidis, & tamẽ vomere egestatis sulcare arva coguntur, qui digni sanè commiseratione. Alij quibus sidera non infausta, succedentes aut in opes paternas, aut Mercuriũ propitium habentes, ut favente sua Delia ubiq; commodè venẽtur; at cum illis fritillus pro calamo in manibus, alea pro atramentario, chartæ lusoriæ pro diario, choreæ loco negotiationis, popina pro mercatorio tablino, caupo pro emptore, meretrix pro lucro, inanis magnificentia & suis rebus impar, pro attentione ad rem, tanquam extemporaneæ aquæ torrentes, hi ad defecturam in opibus properant, furentiq; animo in præcipitium ruunt, cumulantes calamitates dum vim sibi summam à populo credi volunt, ut non diu suffecturo sumptui

mede-

medelam pœnitendam quærant, Qui dum ſe & alios adfligunt, ingens ſuis animis ſupplicium, & ſua amentia dignũ cumulantes, odium harpijs dignum, apud creditores augent, & vix ipſis datur in mediocribus conſiſtere. Pediculi hi ſunt civitatum morſu lædentes, & ſanguinem innocuum ſugentes, moxq; nocituras ſordes cacantes; certè reſpublica his beſtijs carere poteſt, nec eis abjectis quicquam perdit. Et hæc eſt mercaturæ domeſticæ peſtis, foris aliæ inſidiæ. Ingenia acerba, neſcientia frugalitatem, ſed profuſionem paternarum opum edocta, in quodvis ſecretum ſcelus conſentiunt, modò numi intercipiantur, quibus nil ita ſecretè impactum erit vaſis, quod non ſcrutando eruant, nec ulla cyſta ita munita, quam non ferro inſtar Gordonij nodi ſolvant. Quod in Bellonæ noſtræ furore proh dolor ſuetum, extra hujus aleam rarius ſolens. Ipſa frontiſpicia ædium quarundam minantur malum. Prodit ex telonio furor, & Androdus in deſerto mitiorem feram invenit, quàm illi in publico hoſpitio patronum nonnunquam. Vectoribus haud paucis manus ſacrilegæ, & animi

ad ſcelera elati. Taceo emptores avara manu ſolventes, aut chirographa ſua in æternitatem nolentes expungi, aut poſt Platonis annum æs contractum delentes, manus clàm rapaces, fraudes ſerviētium, injurias tempeſtatum. His inſidijs & malis mercatura gravata, & illis dignitatibus & utilitatibus repullulans, expolit mores mercatoris, eius pietatem auget, votis ſuas merces ut ſuperis commendet, & omnia deprecetur imminētia ijs mala. (Hinc illarum literæ à Laude incipiant Dei, & finiuntur Votis;) honeſtatem ſartam tectam pro viribus cuſtodiunt, & quum in ſuo tablino ſcriptorio aut merciū taberna veritatis cuſtos, manſuetudinis exemplar, & probitatis icon eſſe debeat, eandem in ſua domo diſciplinam eſſe avet, & virtutem ſuum Aſcanium à ſe diſcere jubet, fortunam ex alijs; quibus ſua genita à cunis aſſueſcere, ſatagit. Uxores igitur quibus tale virtutis ſpeculum eſt, non alia nitūtur via, ſed ſuorum maritorum virtutes æmulantur, & quum mercatores terſo ac nitido cultu incedere videant, illę de hac virtute in vitium declinantes ſuperbire ſolent, ita ut terſa, nitida & veſtes & ædes

Laus Deo ſemper. Das kōme im Glait Gottes wol an.

ædes esse velint: filiabus instillant eas-dem virtutes, dirigunt earũ mores, verba & actiones, ut aliquid supra plebem sapiant, hinc inter Confabulandum citiùs sententias audias quàm fabulas, & in ipso otio jocunda negotia & doctos labores; modestia illis singularis est, & verba ad plectrum quasi sonãtia, in quibus cuiq; suus tribuitur honor, ac titulus. Quæ atavos numerant longiores, & antecessores sanguinis nobilis, eæ gestiunt virtute præire illas; artificum filię, pro parentum opificio & mirantur has, & vestitu si non virtute æquare nitũtur. Quibus verò laxiores habenæ, aut quarum pulchritudinem egestas prostituit, & quæ diurnis laboribus fessæ, noctu tamen subagitari expetunt, auri & splendore vestis causa; natæ ad quotidianas servitutes, aut ex rure in civitatem veniunt, aut spiritum supra crumenam altiorem habent, quæ per scelus numos quærunt, quæq; manibus ferias concedunt, clunibus laborem, in his virtutes has non quære, sed vitium blandiri observa, hoc sub schemmate virtutis. His illi socij sunt quos Itala terra suis sordibus inquinavit, ut scortari illis ludo sit,

Mein Herr.

& libidinosa venus lusus. Nymphę nostræ gaudent veste magnifica & decora, quæ ipsis ornamento est, testans de avita nobilitate, vel de opum incremento. Quamvis extra & intra muros Ilij in hoc peccetur. Sumptuosæ quidem audiuntur, ut quæ numerare diversa vestimenta soleant, & variare in eis.

Lumbos plerunq; argentum cingit, & in mechanicis symbolum sortis est secundæ. Aurum patritia & sibi sociata colla ambit. Nitor ædium, sordium absentia, supellex pretiosa, nitida, superbiens, copiosa, cistæ & capsæ, si non pretiosioribus, tamen lino aut panno farctæ, de magnificentia sæpè inani, & vix pari opibus loquuntur. In vestitus variatione agilitas & futilitas, ingenio hujus sexus conveniens, conspicitur. Mensas aurum & argentum premere volunt, paropsides tamen ex stanno confectas, cibo ponderosas avent. Quæ de moribus. Victus ipsis utplurimum est humidus, qui à jusculis inchoãtur, quæ nos offas seu brodia dicimus. Jus est è carne utplurimum bubula elicitum, aut ex leguminibus, aqua butyrata, ex lacte, ex cervisia lacte mixta, ex vitellis ovorum con-

Cibus. Suppē. Fleisch-suppen. Wasser-suppen. Biersuppen.

conglobatis, item ex dissipatis, farinam etiam in butyro frixam parum, aut carnis jure, aut aqua permiscent, cui aliquid aceti addunt, & his jusculis non contemnenda copia panis fermentati siliginei sæpè innatat, quam abliguriunt in jentaculo, in prandio, in cœna, (Augustanorum cœna nomine non digna est, cum promiscua vix habeat) ita ut plus offarũ in uno jentaculo à nostris fęmellis comedatur, quàm in Franconia duabus diebus. Panis est secalicius, fermentatus, siligineus, similaceus, paucis primarius. In prandio offam excipit bubula elixa, rariùs sale aspersa; cœnam quarundam ornat quotidiè etiam, vitulina assa & elixa vervecina, armus ovillus, agnina, hœdina assa, aut super vivas prunas exiccata tostavè, aut brodio aliquo aromatisato condita, aut cœpata. Ditioribus capo juvenis, gallinæ, pulli gallinacei, anates, anseres, & ejus acrocolia in nigredine piperata latẽtia, aviculæ, ut turdus, alaudæ & minores montanæ, quamvis hi cibi ditissimas mensas sæpius premãt. Nã bubulæ odor elixæ, aut exiccatæ rubor variatus cœruleis aliquãtum lineis omnes mensas ornat: cum bos spado à nobis

Eyrsuppen. Brennesuppen.

Roggenbrot. Semlen Herrnbrot.

Ob dem Rost abgetröcknet.

nobis ex Hungaria petatur, nec sit convivium, in qua costæ carne opertæ, & pinguedine humectæ bubulę non sit aliquis honor. Caro ferina in delitijs est, ut & omnia pennata, & geniales cœnas ornat, aut mensas generosarum. Suilla plebi & opificum mensæ familiarior. Omasa Intestina incisa in butyro frixa, cæpata, piperata, ac cariophyllis condita, antepastus est, ut & alia viscera condita & aromatisata, vel minutal ex reliquijs hesternæ carnis. Antepastum verò non vident, nisi incensæ lautæ in profestis. Farcimina ex pulpa carnis bubulæ minutim concisa, & lardo avarè distincta, pipere, majoranæ aut thymi jocundo odore condita, peculiaris sunt delitiæ urbis nostræ: ex suilla Lucanicum, tomaculum, apexabo semel in anno maximè circa brumā fiunt: Illa verò omni tempore. Ova tremula, sorbilia, dura, frixa in butyro, & quicquid ex eis placentarū conficitur, non est frequens cibus. Brassica capitata, incisa, ac muria macerata, & in ea fermentata, unde illi grata aciditas, Rapæ item minutissimæ concisæ, & in muria fermentatæ; lardo aut butyro pinguefactæ sunt cibi hyemis. Radices

Sauerkraut/ Zettelkraut/ Göpost.

Rapa-

Raparum, napi, pastinacæ domesticæ cũ butyro ad mollitiem coctæ esitãtur: Inter olera Beta, brassica capitata & crispa ac alba, spinachia, cauli flores: Poma, pyra, pruna damascena dum viridia dũ exiccata, cerasa actia, duracina, aproniana cum pane & butyro cocta; vel farinâ vestita subactâ, & in butyro frixa: Pisa, lentes, hordeum, oriza, quæ in aqua, aut carnis tenuiori succo cocta adponuntur. Pulmenta frequentissima sunt, & à cunis nobiscum nata, fiunt in farina tritici, siliginis, speltæ confusanea, farina milij & orizæ, cum lacte: Cum aqua aut carnis elixato humido fit panatella, quæ ex simile pulvere seu farina, aut ex avenæ assurgit. Pultes & offas pro cibo Cives nostri agnoscunt sibi congeneri, his in cunabulis infarciuntur infantes, nec satures judicãtur nisi evomãt; quadrimestres & trimestres quater in die eis replẽtur, ita ut innocentem ætatem dubitent nutritã, ni quasi suffocatam sentiãt pultibus. Unde Cardiaca illa quam Hertzgspert vocant plurimos adfligit. Venæ siquidem mesenterij farcitæ, ventriculus & intestina repleta, anhelãtem & spiritũ sublimem causant, destillationesq;

mult

multas, undè gibbis datur frequens occasio; & catharris suffocantibus, ac frequentiori epilepsię. Quas numen favens eripit faucibus mortis, illis ventriculi laxi remanent, intestina distenta, flatibus referta, qui eas ita adfligunt, ut fugiantur ob exclusos, & excrucientur à retentis. Et hoc vitium ipsis adeò connascitur, ut adultiores virgines ventriloquæ fiant, ob rugientia ilia, & murmurantia intestina, quæ suaviloquentem discursum sæpè cum adolescentibus amatis interrumpunt. Cibi qui ultimam mensam antecedunt, solent etiam ex farinis subactis fieri, qui aut frixi sunt, ut placentæ, globuli, scriblita, & similia, cũ ovis, aut lacte & farina subactis, vel panis segmentum latius, infunditur in vitelli & albuminis ovi agitata spumoso humore, aut in farina subacta à lacte, & frixatur, quod artolaganum vocant: fiũt etiam ex farina subacta cum lacte & aqua alia plura, ut turundi, & globuli, quæ in aquis coquunt & butyro condiunt, cępis saporem acuunt. Ex pane etiam edulia fiunt, ut si segmẽta ejus aqua macerata friguntur in butyro, qui panis apud mediocris fortunæ siligineus est,

Allerley Brotrößter. Gschmalzt Brot.

apud

apud lautiores, triticeus, vel ſimilagineus; panis etiam in lacte ſectus coquitur cum pauco butyro, interdum aqua panis maceratur ſegmen & fructibus alteratur, aut pomorum viridium aut ſiccatorum diſſecto, aut ceraſis exſiccatis, aut maturis, prunis damaſcenis & cereis, ſiccis aut humidis, ex ſucco baccarum ſambuci. Sic innumeros ex ovis cibos conficiunt, quibus aut fami aut palato ſatisfacere conantur. Gemiſchets gſchmalzen brot.

Piſces ſunt nobis non ita frequentes, nec multi, & præter lucios, carpiones, truttas, gobios fluviatiles, mullos, percas, tincas, fundulas, alburnos, elixos, aſſatos, & toſtos vix novit menſa, & quidem apud ditiores, ranas, cochleas: Aſellus marinus, haleces, ſicci paſſeres, & pauperum ſtomachum replent. Ideoque de eis pauca. Olera in acetarijs, ſunt cichorij, Endiviæ, naſturtij arvenſis & aquatici, lactucæ capitatæ & planæ ac criſpæ, interdum comeduntur, & hæc avidè à noſtris nymphis, ac in copia: Ut olera ac acetaria comedant ita copioſè, ut certare his cibis medicamentoſis invicem videantur, non lanx ſatis ampla eſt, qua tribus aut quatuor mulierculis

appe-

appetitus monstrosus sopiri possit. Lactis potus magis superstitiosus, quàm conveniens; Lacticinia varia in vsu.

POTVS. Potus virginum nostrarum maximè aqua est; cum vix ditissimis Lyæus oscula figat, & his avara exhibetur manu. Aqua nobis duplex est in potu, una ex saliente fonte, altera ex puteo: illa in majori hac est pretio nostratibus: cum eam infantibus ablactandis propinent, & puerperis exhibeant; primum lavacrum modò nato infanti ex ea religiosè præparent, nec alia sine crimine uti volunt. Hac linteamina lavari cupiunt, credunt cādidiora fieri, nec alia amyli gen° subigunt qua collaria tincta firmiora redduntur; carnes sive bubulæ, vitulinę, maximè caponum, gallinarum & pullorum earum, albidæ manent, quæ ex puteana subruffæ evadunt. Ducuntur aquæ hę per tubos partim plumbeos, partim ex abiete, ligneos scilicet, ex tribus urbis turribus: una versus austrum est, ac primaria censetur, quæ eæ parti urbi aquam subministrat quæ in loco magis edito: altera versus septentrionem juxta clivū quem vocāt murarium, & hęc suburbio B. Marię aquam distribuit; tertia versus

aqua.

Eurum,

Eurum, quæ depreſſiori loco ſuburbij S. Jacobi largitur. In primaria turri fons in plano ſcaturit ædicula quadã tectus, ex hoc per modiolos erogatores aqua hauritur, & in acceptatorem infunditur, antlia quin ipſa ad ſupremum turris cacumen ea pellunt ac trudunt, ubi ex cyſterna illa capace in canales & tubos fluendo deſcendit, qui pavimento viarum teguntur, & aquam ad ſalientis cõceptacula ducunt: & hi in plateis turri proximioribus, quando ſaltim muro occultantur, plũbei ſunt, reliqui omnes abiegni. Et quia hujus fontis ea non eſt copia ſemper aquæ, ut omnibus cyſternis ſufficienter aquam erogare poſſit, illud flumen cujus fons ad auſtrum ſcaturit, & verſus ſeptentrionem fluit, recipitur. Hujus verò ſcaturigo creditur optima, quia limpidiſſimam eructat aquam, quæ rapido fluxu per alveos civitatem ingreditur, perrepens lapillos, clariſſima, pellucida ac algida, & hæc per tubulos cum alterius fontis aqua, quamvis non omnis, cùm maxima pars in foſſam urbis effluat, ſub urbis pavimento ad ſyphones & cyſternas fluit; ob perennem motum, violentum illum, deponit
 duri-

duritiem & algorem, ſpiritum recipiens à motu hoc, cujus gratia etiam ad diſtans fertur, attenuatur & ſubtilis fit; quare facilis digeſtionis erit, & venas citiùs permeabit. At plumbei tubi cum ei inurant notam ſiniſtram, fortè quidam minus ſalubrem dicent. Arabum ſchola, & Brujerinus lib. 16. c. 8. de Alimentis, virus peſtilens plūbeos vocant tubos. Galenus lib. 7. de Med. ſ. loca. Et ex eo Johannes Langius lib. 1. Epiſt. 44. aquas per plumbeas ſolenas deductas fugere jubēt, cum ſordes & plumbi limus aquæ adhęreant, quæ dyſenteriam bibentibus cauſant. Hinc Vitruvius, tales aquas vitioſas pronunciat, quia plumbago ex ceruſſa fit, quæ dentibus, nervis & membranis nocens ac pernitioſa. Quod metallici negabūt omnes, qui Ceruſſam factitiam ex macerato plumbo in aceto, & ad ſolē aut furnum exiccato conficiunt. Unde Joubertus lib. 1. Paradox. 5. ideò aquas in plumbeis ſolenis fluentes nocētes pronunciat, quia ceruſſa ex plumbo creatur attrito, quæ corporibus humanis noceat. At parcant mihi magni iſti viri, ſi negavero ceruſſam abradi aquâ, præferent eam foſſores, utpote viliorem, aceto; nea

to; nec novi an aqua ſordes à plumbeis tubis abradat, & malignam contrahat vim, quę nervoſis & membranoſis partibus noceret. Quercetanus ſaccharum ex plumbo dulciſſimum, & naturæ noſtræ amiciſſimum elici ſcribit. Quæ eſt igitur illa malignitas, aut vis corrodens in plumbo, quæ dyſenteriam cauſat. VVeckerus plumbi oleum inteſtinis dedicat, ejus guttis tribus vel quatuor colicam pellit in aqua vel liquore exhibitis. Auguſtę rarum morbum dyſenteriã novi, at nobis aquam ſaliẽtis fontis frequentem potum ſcio. Quod verò quidam in exulcerationem inteſtinorũ inciderunt, aquarum vitio, non fiſtularum plumbearum factum videtur eſſe: ut docet Agricola lib. de Nat. eorum quę effluunt ex terra 3. c. 18. Ideoque hujus conſilio, ubi metallicis neceſſe eſt uti, plumbeas fiſtulas æneis præpoſuerunt noſtrates, utpotè minus noxias, & quæ frigus liquori aut aquę dare ſolent, ut Matthiolus de vaſis plumbeis ex Galeno annotavit in caput 58. lib. 5. Dioſcoridis. Corriget quin etiam velox, rapidus, & perennis motus aquę in tubis, frigiditatem, algorem, & duritiem ejus,

malignitatemq; omnem arcebit: Et lignei pineastri (aut abietes suo calore aquę qualitates algidas temperabunt, ac therebinthinę virtute dotabunt, ut Langius vult; cui opinioni sapor aquarum non subscribit; ni calculi apud nostrates ubertas id velit. Æstate minus gelida puteali est, & quò longius ab origine abest minùs sapida, ac si delassata, cōfracta, prostratavè cursu esset longiori. Fert secum arenularum & limi nonnihil, quod coctura (in vasis siquidem quidam tartarus observatur cupreis quę fornacibus insunt) & expurgatio tubulorum manifestè docent. Non disputo hîc an calculos Augustanis pariat, alibi dabitur locus.

G. Agricola lib. 3. de Nat. eorum quæ effluūt ex terra c. 6. lib. 1. c. 9. Ibid.

Puteana aqua sub terra latet, instar fontanæ, nec in eo loco effluit, sed de ea hauritur. Fluit illa ex lateribus putei, si is minus profundus, quales sunt in nostris suburbijs & locis depressioribus urbis, ad quos proxima aqua fertur, unde istis puteis aqua tepidior & crassior est. Manifestissimè enim deprehenditur illos mutuari aquas à præterfluētibus amnibus, maximè fossæ cujus aqua fontana est; superioribus siquidem annis cum ea obicibus exclusa demissis esset, vix

vix aquam putei illi habebant; imò ipsamet aquam redolebat fossæ, aut limi illius muscivè saporem. At colles & altiora urbis loca altos habent puteos, & aqua ex vado exilit, perennis, frigida, pura, dulcis, levis, sed minùs fontanâ quæ ex syphonibus salientibus bibitur, unde tardiùs vesicam prçterlabitur. Solent quidem nostrates singulis annis puteos exhauriendo aquas purgare, stratum ex terris lapillis renovare, & limum arcere. Carnes his lotas ideò subrubras fieri puto, quia adstringunt sua crassitie, & dēsant frigore; ob eam etiam vim tardiùs transeunt cineres superpositos linteaminibus, unde ea minùs candida fiunt.

Vina nobis sunt Necarina, Franconia, Rhenana, Tyrolensia, hçc ditissimis dātur, & avara manu, cum nulli impunè liceat bibere, & neçarina utplurimum sunt oligophora. *Vina.*

Cervisię aliquis usus; quæ aut alba est, aut nigra, ambę hordeaceę: Illa ex multa aqua, pauco malzo, & exiguo lupulo coquitur: hæc plus malzi & lupuli, ambæ fermento & purgantur & vivificantur: Pollentacei cremoris copiæ, & spiritus germinantes & vivificos, ac nutrientem *Cervisia.*

vim auget, paucitas minuit. Alba citiùs corpus permeat, teſtis mictio frequens, cum ſit tenuium partium: nigra craſſarũ eſt, & perfluit tardiùs. Non illi denego vivificantem ſpiritum, cum & malzo inter germinandum ſiccato & fracto gaudeat, fermentum habeat ſubtile, quod teſtatur tranſitus fermenti ex eo celer per maſſam ſubactæ farinæ, quam brevi tempore & movet & attollit ac attenuat, ut pinſenda & coquenda ſit, quod nigræ fermentum non facit, teſtes erunt piſto-
1615. an. res, & tempus illud quo noſtra non vidit civitas albam cerviſiam: aciditatem habet gratam & linguam ferientem, nec eum ut nigra amarorem habet, quia minus lupuli. At illa non niſi plebi placet, nec eam virgines guſtant, niſi tenuioris ſortis. Quæ enim cerviſiam bibunt, nigram & craſſiorem expetunt, nec id cõſuetè, maximè quæ ſunt lautioris fortunæ. Aqua conſuetus potus eſt, & vix in feſtis diebus Lyæus infunditur, cerviſiã, abſq; magno aliquo in ædibus peracto labore, dum laboratoribus propinatur, vix guſtant. Bibunt vero parcè inprimis nymphæ.

Excretio. Alvus pigra eſt ferè omni fœminæ.

Somnus

Somnus longus, nocturnus plurimum. *Quies.*
Negotia otium ſapiunt, vitam cum agant ſedentariam, nendo, fila trahendo, acu pingendo, fila artificiosè nectendo, ac ſimilibus exercitijs totos conſumunt dies, quibus calor nativus non excitatur ac vigorem acquirit, ita ut arti plus invigilent quàm ſanitati. Si quæ ſunt majora opera, culinæ ſunt, aut exercitia levia, quæ tempore durant brevi. Ni chorearum violenta motio interdum quid abſumat, quam nocere plus credo, cum veſtitę ad eas veniant, vincto pectore, & ilijs depreſſis, ac tumidę quaſi ſyntheſi veſtimentorum. Incaleſcunt quidem & ſedentes, cum pellicea veſte tegantur ubiq;, & caput apice ex pelle noërcæ, fuſco colore albidis pilis luxuriante, aut pilo ſciuri ſemici in candido cinereo. Et his pellibus nymphæ in æſtu & algore caput tegunt templum intrantes, at uxores ex lineo peplo. Educatio ſuperſtitiosè religioſa eſt, in cunis faſcijs pluribus inveſtiuntur, magno pulvinari, & plumis farcto cooperiuntur, fornaci calido hypocauſti admoventur, ne frigeant. Unde infantes miſeri ita incaleſcunt, ut ſudore madeant, linteamina ac

Exercitium.

Spitzige Beltzhauben. N Erzin Hauben. Behin. Hauben.

Educatio.

pulvinar uda ſint, phlogoſi vexentur, & maculis rubeis latis variegentur, quas Eryſipelata vocamus, dydatites eis multæ ſunt. Huic malo infarctus pulmentorum & ciborum accedunt. Sanguis igitur in cunis accenditur & ſubtiliatur, & victu copioſo obſtructiones meſenterij procurantur, ex quibus cardiaca illa Hertzgſperr oritur, & venter tuber. His igitur ad trutinam revocatis æquam, humiditatem aſcititiã, cauſam hujus adfectus dicemus. Zephyrus humidus & calidus nobis frequentior Euro; hypocauſta calefacta diuturniùs, ac æſtuantia calore; veſtimenta arcentia ad rem etiam urentem, educatio ſuperſtitioſè religioſa, victus humidus, offarum ad ſtuporẽ abundantia, carnium quotidiana victitatio, hæc omnia humiditatem augebunt, & ſanguinem udum gignẽt, quem craſſiorem, & lẽtum farracei cibi, & lacteus paſtus reddent, ipſa bubula, quæ omni die ornat menſas, fibroſum producet cruorem. Non excitabit calorem in hoc ſexu per ſe ſegnem vita nimis quieta, & ſomnus longior. Nec gelida aqua, conſuetus potus, igni coquentis ventriculi domeſtico vigorem addet.' Caput tectum

Geſegnet.

Quæ cauſa cacochymiæ albæ. Virginum Auguſtæ frequẽtes.

gectum pellibus aut redimitum peplo incaleſcet quidem, ſed quod ſupervacaneum habet, deponit ad chyli officinã, ſtomachum movens digeſtioni, ut citiùs eijciat chylum quàm elaboratus ſit. Nullę induciæ in edendo, cum & fermentatus panis ſecalinus tempus intercapedinis prandij, & cœnæ nondum digeſto cibo interpellet. Cuncta hæc vitium chylo inferunt, ut craſſus ex cibo aſſurgat, & lętus vaſa intret, quem ichor paucus vix elaboratum ex hepate in omnes partes corporis exportabit. Non piger motus abſumet, quod excrementum eſt, neq; corporis torpor diſſipabit, quæ poros evacuare debent. Hinc tot cerebri moleſtiæ, ac acerbitates, tot horrores, tot inflationes malarum, unde tot ſudores faciendi in lecto, nec felix cenſetur puerperium, ni lectus maduerit ter quatervè, aut ſæpiùs ſudore. Meſaræi vaſa obſtructioni in germinante ætate ſubjecta, nec hîc labem effugient, & hypochondria murmurabunt, quia in illis ſegnis & tardus ad motum hoſpes, qui citiùs flatus excludet, quàm in ſanguinis laudabilem meabit officinam, at hi anguſto loco coërciti, vincta ſiquidem ar-

ctè pectora, ad ilia deprimunt intestina, & crassiori colo ventriculo adrepēti largum denegant locum, hinc excrementa compactiora & alvus pigra. At quæ in sentina hærent corporis, halitu inquinant, & chyli coquinariam & mentis arcem. Ex tot igitur malis prodit hęc proles vitiosa; chylus ex humidis copiosis, farraceis, pulmentarijs, lacticinijs, pauca aqua mistis, resurgit, non à salis energia attenuante incisus; (virginibus enim & pueris denegāt nescio qua religione, fortè ob imaginationem de calculi generatione, vanam, usum salis) à calore vētriculi, haud labore convenienti excitato, sed ob segnem & sedentariam vitam, (quam labori artificioso, sed cui sessio debetur, consecrant) torpente & pigro; non elaboratus, sed relictus crassus, glutinosus, quem emendare venæ mesenterij, in germinante ętate obstructionibus nimis jam delassatę, nequeūt; hepar in laudabilem sanguinē transformare impotens, ab abundantia recrementorum cohibitorum, & sedendo coacervatorū inquinatur, & vitiatur magis; & quia cutis laxatis poris per imbrem sudoris nihil deponit, ad renes vergere cogitur, hinc

hinc mulierum crassæ, & nubibus innatantibus prægnantes urinæ; quod si nec hic aqualiculus sufficienter deponit, & pigra alvus est, utero conceditur hoc supervacaneum, ad ejus deponitur collũ, ut liberetur à saburra Natura. Quæ si copiosior est, & victu humido, ingluvie, sedentaria vita, & somno longiori, alvi languore fovetur, totum corpus vitium patitur, pravos humores pro hospitibus habet, & malum acquirit habitum, hinc pallor, segnities, inflationes & febris alba. Quæ de nostris nymphis & matronis Augustanis fortè longiùs disserui, & limites scholij transgressus sum.

Cura à Medicis rariùs expostulatur, nisi aut malus habitus præsens, aut efflorescāt alibi morbi, quibus manus adhibenda. Chronicus morbus est, qui & stomachum ægre & Medico movet, ambobusq; fastidium. Aperientia, detergentia, incidentia, reserantia dantur, in decocto, in syrupis, in salibus tartari, absinthij, cardui, tamaricis, in vini infuso, junctis simul purgantibus; chalybis usus cum motu hæc excipit, sive pulvere, sive electuario seu vino exhibeatur. Crũbaden-

Cura febris albæ.

badenſes Thermæ vicinę nobis dedicatæ huic malo creduntur, cum ſiccẽt corpora hęc laxa, ac ſolida reddant, expurgent uterum, craſſos ejus abſtergant ſuccos, & aperiant venas, cum aquę gypſum & nitrum ſapiant, & ex eis vigorem habeant, & calorem addunt corpori, ventriculum ob humidum copioſum debilem roborant᷑. Coctionis itaq; primę organo confortato, & ſanguinis officinâ vigente, redit & robur corpori, & vigor omnibus facultatibus, quę & coquunt᷑ benè & expurgant dextrè, ut id quotidiana demonſtrat experientia. Decoctum chinę & ſaſſafraſij etiam ſuadetur, quod tamen ęgræ ægerrimè admittunt. Quæ cura veterum & neotericorum reſpondens, accuſabit improvidè me Venam huic cacochymicæ aperuiſſe. Crudorum ſiquidem craſſorum ac lentorũ humorum proventus non indicant venę ſectionem, ut docet Trincavella in Conſil. 3. in parte Gynecæi 2. Sanguis enim frenum eorum eſt. Et Montanus ibid. in conſil. 4. de Adfect. mulieb. ſcribit: Nihil deterius quàm ſanguinem mittere humoribus crudis exiſtentibus, tum in ventriculo ac primis vijs, tũ etiã in toto venarum ambitu.

An vena rectè ſecata?

Sic

Sic Heurnius qui explicat 56. aph lib. 5. Hippocratis. In fluore muliebri si cõvulsio superveniat aut animi defectus; malum; planè negabit sectionem venę: Quia talem convulsionem ab exhaustu sanguinis fieri putat. Omnis autem convulsio ab inanitione calamitosa est, ut signum & causa. Ut signum exhausti humoris primogeniti; ut causa, quia intercipit actionem partium, quarum officio ne momento temporis carere Natura potest. Pace Heurnij dicam me quid velit non assequi. Evacuatio in profluvio albo corrupti fit humoris, ergò noxij; non itaque evacuabitur primogenitus. Laudabilis sanguinis profusio si fuisset, non repugnarem. At hic fluxus vel movetur à cacochymia, vel eam fovet ac auget, qui à toto ad uteri venas deponitur, ex quibus eructatur. Hic acredine rodet uterum, feriet nervosas partes, si illis adhæret. Repletio igitur haud inanitio talis convulsionis causa est; hæc in nostra ægra ad uterum hæsit, & tetris vaporibus fatigavit cerebrum ac spinalem medullam, repsit per continuatas nervosas partes, eò, & genus nervorum ad tetros ac horribi-

ribiles hos motus excitavit. Sanguinem itaque ideò detraxi, ut demerem cacochymiam abundantem, ac melancholicum ſuccum pituitæ mixtum in venis evacuarem, plumbeus ſeu ſubcineritius faciei color, & ſanguis egreſſus ſubſcripsère. Turgidi vagabantur in venis ſucci pravi, & qui ad ventriculum ac alvum hærebant evacuantibus jam laceſſiti, & dempti aliquo modo erant, nec tamen convulſivus motus ceſſabat. Itaque cacochymiam in venis ſcatentem ſectione illarum minui, ut Platerus monet, qui ſanguine maligno exiſtente in venis & Epilepſiam cauſante, detrahere eum juſſit, & id crebriùs. Detraxi itaq; ſanguinem vitiatum, ſui ablationem anhelantem ex brachio dextro, cum virtus oppreſſa velox poſtularet auxilium, & pedis venæ diuturniori fotu calidæ prodeunt demum, quem admittere non licuit, cum adſurgere non valeret. Noſtræ Catalepticæ ſimilem deſcribit Benivenius in Abditis c. 97. quam Epilepticam vocat: huic ex utero veniſſe ſcribit, noſtræ connata eſt; & ab incunabilis nota. Similis Cataleptica puella in alia mihi nota eſt familia, quæ ad-

Hiſtoria.

modum

modum puella nescio qua re perterrefacta Epilepticas torturas, & distensiones sensit, at nunc adolescens ita prehenditur, ut non cadat, sed attonita permaneat stans vel sedens in eo loco in quo adprehenditur, sine membrorum tortura, non tamen sine clangore, à quo paroxysmo revocatur vocata nomine proprio. Catalepsim dico, quia totum corpus immobile est, cum maneat in statu eo in quo deprehensa est. Capivaccius à vapore melancholico provenire vult: Non displicet Platteri cogitatio, qui in nervos profundi spiritus animales credit consternatâ mente. Nam vox, aut nomen ægræ clariùs elatum non dissiparet vaporem melancholicum, ut animum revocet consternatum,



CASUS SECUNDUS.

APHONIA CUM HYSTERICA CONVULSIONE PHLEBOTOMIÂ *aversa & impedita.*

VIRGO, ordinis S. Dominici sacro Catharinæ Collegio apud Augustanos dicata ac ejus sacris initiata, remoram habuit menstruorum ad tempus, consilio alterius monachę hausit aquam pluviæ ejus, quæ ex nube cœlo sereno decidit; quam rorem farinaceum seu mellitum vocant, inconcocta est pluvia & viscosa; quam cum herba vorantes vel bibētes pecudes, illud profluvium patiuntur ventris, quod Diarrhœa biliosa vocatur, nos choleram seu vbergüllig dicimus; ex quo perire solent.

Ros farinaceus quid?

Haustus hic promovit mēses rubros, sed admodum uberes & inordinatos, ut singulis quatuordecim diebus copiosè fluerent. Consilio Medicorum, quorum numerum & ego auxi, Crumbadēsibus balneis usa, at sine fructu, est.

A de-

A decenti purgatione ſanguis ex vena aperta dextri fluxit brachij, orgaſmum aptis medicamentis temperare, & ſanguinis mobilitatem moderari ſtringentibus tentatum. Quietiora quidem in æſtate & ſubſequente hyeme putabantur omnia; ante ver morbus larvatus multis prodijt ſymptomatibus. Cibo enim modico calidè ſumto, maximè offâ, aut alio nutriente, ſymptomatum mira ac tetra prodijt caterva, occluſio oculorũ, palpebrarum nictus, & contractio, lipothymia, cardiogmos, ſeu dolor acerbus dorſi, ubi orificium latitat ventriculi, ſaltus & palmus ſub coſtis nothis lateris ſiniſtri, ubi lienis regio; huic enim loco manum admovit ut dolenti, compreſſio thoracis, angor cordis, omnia hæc cibo ſupervenerunt parum comeſto. Tandem Epilepticæ torturæ & contractiones ſequebantur, ea varietate & robore, ut ſtupori ac terrori eſſent mulierculis per ſe timidis adſtantibus. Artus ſiquidem, lingua, oculi, palpebræ, collum mirè torquebantur, ac pervertebãtur. Vox in principio clangoſa ac horriſona, poſtea nulla. Nam in & extra paroxyſmos aphona ſeu muta manſit, in-

Oculorum hebetudo cũ animi defectione promptam convulſionem denunciat 226. Coac.

Vox acuta, eiulabunda ac oculorum

hebetudo, convulsionem minantur. inducijs nutu ſaltim animi ſenſa monſtravit. Calebat ex tot redux calamitatibus omnia recensêre peracta, & quæ ipſa laborãte iſtis diris à nobis dicta fuerunt fari dum incepit protulit. Varijs

257. Coacarum. medicamẽtorum machinis hoſtis à nobis adgreſſus tardari, abigi non potuit. Aperiebant hypochondrij vaſa farcta, & in eis aduſtum humorem præparabant (quæ primò data ſunt remedia;) Syrupus Adiantinus Fernelij, de Scolopendrio, de Cichorio ſimplex, de Endivia compoſitus, de pomis redolentibus, de floribus Pæoniæ. Præparato humore, peccãs materia vi phlegmagoga, melanogoga ac cholagoga evacuata eſt. Sanguis ex baſilica dextri brachij emiſſus fuit, revulſionis gratiâ, ac ut ejus orgaſmus minuendo compeſceretur. Potus erat decoctum viſci querni ex aqua. Corroborabant Aquæ antiepilepticæ, & Electuarium ejuſd. vigoris , cujus hęc deſcriptio; ℞ Conſervę acetoſellæ, acetoſæ, florum liliorum convallium, Primulæ veris, ana ℥j. Portulacæ ℥js Florũ Nympheæ ℥j. Lactucæ Hiſpanicæ conditæ ℥j. ʒij. Florum arantiorum conditorum, florum citri cõditorum ana ʒiij ſpecie-

ſpecierum de gemmis frigidis. ℥j. ſpecierum diarrhodon abbatis incompletarum, id eſt, ſine aſuro ℈ij. Margaritarũ ſolutarum, corallorum rubrorum ſolutorum ana ℈ij. Radicis Scorzoneræ Hiſpanicæ conditæ ℥vj. Pulveris radicis Nympheæ albæ, radicis tormẽtillæ ã ℥j. Seminis Pæoniæ maris decreſcente Luna collecti ℈ij, cum ſyrupo granatorum dulcium fiat mixtura. Viſa cum antiſtite fuiſſet habere meliùs, mihi fuit dictũ vale. At menſtrui tempore adveniente, ſublatæ ſunt inducię, nictabant palpebræ, caligabant oculi ac pervertebantur, maximè guſtato uno aut altero juſculi carnis calidi cochleari, pectus convellebatur, cor palpitabat, lienis pulſabat regio, ſpaſmodica ſeu potiùs Epileptica omnia, aphona planè. Collegæ nos vocati pronunciavimus hos inſultus Epilepticos uteri & ventriculi maleficio fieri, hypochondria conſentire, inprimis meſeræum. Hic enim calor prętér naturam, & pulſatio in regione lienis: Cordis palpitatio, timor & mœſtitia, cardiogmos, ructus ex ſtomacho multi, ptyaliſmi frequentes, ſterilis nauſea, ſeu abſq; vomitu, menſes aduſti, flu-

entes copiosè, cacochymiæ in hypochondrijs, & toto venoſo genere uberem docuerunt proventum. Quare & noſtro & Magni Mermanni, cujus memoria ſit in ordine benedictorum, conſilio, frequentioribus purgationibus, ſępiùs repetitis clyſmatibus, hoſtem adgreſſi, materia malè olens, putrida, coloris viridis, peſſima expurgata fuit. In æſtate acidulis uſa, ut frenaret bilem, at earum uſus haud diuturnus erat, nec proficuus. Paroxyſmi diras adflictiones Collegæ honoratiſſimi Holzapfelius, & Mindererus Mithridatij ſcrupulis duobus, vigoratis granis duobus Caſtorij impedire voluerunt; at illis malum auctum videbatur, cum inordinati eis motus ita promoti ſint, ut ne unũ ſymptoma hyſtericum quaſi ſit, quod hoc medicamine excitatum virus ſuum non malignum probarit. Stupefacti ablegavimus hoc remedium, & materiam noxiam eijcere purgãtibus adgreſſi ſumus, inprimis Rhabarbari infuſo, à Magno illo Mermanno laudato, ut literæ ſubnexæ oſtendent, in quo Mannæ ℥js diſſoluta fuit: Pilulis ego eam ex hiera cum Agarico ℈ij & Arab. ℈j. ol. ſtil. chamomeli,

meli, cumini ana gut. ij. cum stœchadis SyrupoFerneliano formatis purgavi. Ambo felices sensêre successus; at morbus manus dare recusavit. Decocto igitur sudorifero, ut ichorosã absumerẽ sentinã, rẽ agere decrevi, quale hoc fuit. ℞ radicis chinæ ruffæ ponderosæ, & in tenues orbiculos dissectæ uncias duas semis, Rad. Peonię maris, visci querni ana unciam unam & semis, cornu cervi usti & præparati cum aqua cerasorum drachmas sex; macerentur per horas viginti quatuor in aquæ fontanæ tepidæ mensuris octo, in fictili vitreato & benèoccluso, ac cooperto, coque postea ad unius tertiæ remanentiam, adde sub finem coctionis Florum tiliæ arboris, Liliorum convallium, florum herbæ paralyseos ana pugillos duos; Factam hãc cocturam sequatur per manica Hippocratis colatura, pro Syrupo servetur sudorifero. De quo in diluculo hausit primò Uncias quatuor, mox sex, & sudavit aliquo modo. Ordinarius potus in mensa hic erat. ℞ Chinæ optimę, & in tenues orbiculos dissectæ ℥ij. Ligni sassafrasij odoris boni ℥s. Aquæ fontanę ℔. civiles, xviij. seu mensuras Augustanas no-

nas novem, macerentur horarum viginti quatuor spatio in vase fictili vitreato clauso & cooperto, postea coquatur ad casum tertiæ partis seu libras sex; Colatura per manicam, detur pro potu ordinario. Vixit in hac diæta, ut vocant, per dies viginti octo. Nitebamur illâ incrassare ac mundare sanguinem: In medio curæ corpus purgatum fuit convenienti medicamine; & cum cibo exiguo uteretur, roborans in Tragemate cum pauco exhibui vino. ℞ Specierum cordialium temperatarum incompletarum scrupulos duos, smaragdi preparati grana octodecim, solutionis margaritarum scrupulum unum grana quatuor. Sacchari albissimi q. s. Fiat Tragea. Acta hæc in æstate, quæ commodior fuit autumno, & hic tranquillior hyeme. Menstrua admittebant & tum nullam remoram, aut adstrictionem, sed singulis quatuordecim diebus fluebant rubra, saturi coloris, substantiæ tenuis. Tentavimus enim post sudores adstrictione cohibere fluxilem cruorem sequentibus ordinatis. ℞ Margaritarum orientalium solutarum, Corallorum rubeorum solutorũ ana ℈ʃ, Terræ Lemniæ veræ, radicis tor-

men-

mentillæ ā ℈j fiat pulvis & misce; cujus dosis ℈j: tribus sumpsit vicibus in carnis brodio. Dabantur & grana novem cornu monocerotis in aqua plantaginis. Hoc enim prædicabant mulierculæ, & quidā Medici in nimio fluxu menstruo. Conserva item magna fuit in usu: ℞ Cōservæ portulacę, florum Nympheæ albæ, Symphyti, Pimpinellæ sanguisorbæ ana unciam unam. Radicis Symphyti majoris conditi drachmas sex, pulveris corallorum rubrorum præparatorum, Boli armenæ præparatæ, margaritarum pręparatarum ana drachmam unā, pulveris radicis nympheæ albæ, tormentillæ ana drachmam semis, seminis Rhois drachmam unam semis. Cum syrupo myrtino q.s. fiat mixtura. De qua cōpositione comedit ℥s. ad minimum, manè & vesperi: quæ cum non saltim adstringat, sed & sanguinis orgasmum temperet, obfuit tamen, quia remoratis mensibus per biduum, spiritus sublimis factus est, ac anhelans, mammæ sinistræ turgida & tumida inflatio, strangulationis supervenit metus. Sanguinem itaq; coactus detraxi, unico scilicet, quo hęc corriguntur symptomata, remedio. At

ſequenti anno in Februarij medio ea cũ vehementia redierunt, ut monachis, naturâ nimis ſuperſtitioſis, terrorem incuterent, ut dæmonis inſultus & aſtus crederent. Convulſivi enim hi motus linguam extra labia longiùs trudebant, artus collum, ac membra reliqua retroagebant, ad ſtuporem contrahebant, ac ex paroxyſmo redux dicta noſtra, & facta ad amuſſim callebat. Uteri ego ipſis ſignificavi eſſe ſtratagemata, & terrifica monſtra, quæ Enemate derivante abigere tentavi, ℞ herbarum mercurialis feminæ, malvæ, biſmalvæ, violarum ana Mj. Florum chamomillæ Man. ß. Radicis polypodij querni, ℥j. Radicis peoniæ ℥ſ. s. ſeſelios. ʒij. Coque in ſ.q. aquæ cõmunis, colaturæ ℥x. adde Electuarij Lenitivi Florenzolę ℥s. Hieræ picræ, Galeni ʒiij Olei chamomillę, ℥ij. violarum ℥j. Miſce pro Enemate. Diſcutere uteri flatus hoc Bolo volui, ℞ Extracti Panacis heracleæ (fit illud ex ſpeciebus, quæ in Diſpenſatorio noſtro aquam Panacis ingrediuntur) ſcrupulum ſemis, ſuccini cum ceraſorum ſtillatitio præparati gr. v. M.F. Bolus. Motus inordinatos, terrificos, nervoſum genus demulciendo,

narco-

narcotico compeſcere volui, ℞ Laudani opiati grana quatuor, ambræ griſeæ granum j. miſce, fiat bolus. Quo tamen motus non ſopiti ſunt, quin potius aucti, & ęgra deterrimè habuit. Tandem quę peculiari vi Epilepſiæ & uteri vitio opponuntur, ac virtute ſingulari dotata creduntur pręſcripſi. In pulvere: ℞ Smaragdi pręparati grana ſeptem, cornu ſubulonis. ℈ſ. Margaritarum prępAratarũ grana vij. viſci querni gr. ıx. miſce, quem totum in aqua Ceraſorum ſumſit. In tabulis: ℞ ſpecierum contra Apoplexiam, Pulveris Marchionis ã ʒj. Radicis Scorzonerę ʒij. Extracti xyloaloës ℈j. Succini albi præparati cum aqua ceraſorum ℈j. Sacchari albiſſimi diſſoluti cum aqua Ceraſorum nigrorum, q.s. aromatiſando cum Ambrę gr. x. & Moſchi granis iiij. Fiant Rotulę ſeu tabulæ. In aqua; ℞ Stillaticij Picarum, Epilepticę Lãgij, ana ℥j. Squammarię, Liliorum convallium, Bethonicę, Melilothi ana ℥js. Ceraſorum nigrorum ℥ijs. pulveris Ungulæ alcis ʒs. viſci querni ℈j. Ambrę griſeę gr. ij. Moſchi gr. js. quinq; Lapidum pretioſorum prępAratorum ã gr. vj. Tabularum de extracto xyloaloës, Manus

Christi cum perlis ana ℥s. Foliorum auri tenuissimè incisorum N. j. misce fiat aqua. De his, diversis temporibus sumsit, morbus fuit chronicus, eius symptomata mira & varia; pro eorum syndrome scripta sunt remedia. Hanc aquam etiam immutavi postea, ℞ aquę destillatę Melyssæ, Liliorum convallium, squãmarię, Picarum, Bethonicę, Primulæ veris, ana ℥j. Epilepticę Langij ℥js. Cerasorum nigrorum ℥iij. specierum contra apoplexiam, pulveris Marchionis ana ℈js. os. de cranio hominis p̃p. ʒj. Ambræ griseæ gr. viij. Moschi gr. iij. Foliorum auri incisorum tenuissimè, N. j. Manus Christi cum perlis, tabularum de extracto xyloaloës ana ʒvj. Misce. Mirari noli nostram ægram ferre potuisse Ambram & Moschum in dosi parva, cum castoreum non posset. Ægra certè Ambram in pauco quanto pro summa refectione habuit, in magno pro noxa. Sanguinem variè temperare adgressi sumus, & ejus orgasmum cohibere; aut brodio, vt vocãt, alterato, aut purgantibus, non quidem fortissimis, quæ non potuit ferre, sed lenioribus. In æstate hoc usa est decocto. ℞ Radicis filicis, ℥j. ra-

℥j. radicis cichorij cum toto recẽtis ℥iij. Capillorum veneris, Endiviȩ recentis, acetosæ recentis ana Mj. portulacæ recẽtis m. ij. ſeminis Rhois ℥s. ſem. melonum decorticati ℥js. Radicis nymphea albȩ ʒvj. inciſa coque in libris tribus brodij carnis pulli nõ ſaliti, nec pinguis, ad caſum medietatis, colatura detur. Uſa eſt ℥iv. pro una vice manè calidè, veſperi frigidè cum pauco ſalis abſinthij. Alia æſtate, morbus enim longus fuit, tali uſa eſt brodio. ℞ Radicis Scorzoneræ Germanicæ, Nympheȩ albæ, peoniæ, ſquammariȩ ana ʒij. Foliorum ceterach. ʒij. Portulacæ ℥js. Florum herbæ paralyſeos, foliorum endiviæ ana ʒij. acetoſæ ʒjs. Florum nymphea albæ, peoniæ, liliorum cõvallium ana ʒj. melilothi nobilis ʒjs. ſeminis peoniæ excorticati ʒjs. melonum excor. ʒiij. Santali citrini ʒj. inciſa decoque in brodij pulli Menſura una & ſemis, ſeu librarum trium ponderis civilis, ad caſum medietatis, de colatura dabantur unciæ quatuor, manè calidè, veſperi ad lubitum. Opponebatur orgaſmo ſanguinis, inſultibus Epilepticis, & vitio hypochondriorum. Tardata eſt acceſſio his motus convulſivi, &

miti-

mitigatum malum. Dabat itaque inducias morbus infidus, & latitabant tanquam in cuniculis symptomata terrifica Epileptica, attamen menstruus cruor singulis quatuordecim fluebat diebus, non quidem ut antea, copiosus. Circa brumam latitans hic hostis prodiit subitò, terrificas secum ferens convulsiones, torquens & artus ac collum, & musculos internos laryngis qui diu contracti manebant, ut & podicis. Hæ siquidem partes contrahendo ita seratæ fuerunt, ut & liquidissimis introitum negarent, sive in potu seu clystere offerre conarer. Nec fuit hæc contractio unius, sed dierum plurium. Permansit igitur aphona, artuum quies longa sæpè erat, & tùm nutu quæ vellet indicavit; nec liberè deglutire potuit. Durabat jam biduo hæc calamitas, nec Collegas habere licuit in consilium; aperire itaque jussi, ausu proprio, venam in pede juxta talum, nec displicuit ægræ, sanguinis unciæ effluxère tres, & post duas horas fari cœpit, comedere, ac bibere. Lætum hoc nuncium gratæ mulierculæ statim significavère mihi. Videns itaque alia omnia hunc respuere morbum remedia

Ani convulsionem recitat Donat. Hist. Mir. 2.c.3.

dia, audax ſingulis, ad uncias duas, tres-
vè, menſibus, decuſſatim per artus inte-
gro anno ſanguinem detraxi; attamen,
manebat fluxus inordinatus, nec men-
ſem præteriit die, & ſingulis quatuor-
decim diebus rediјt,, hoc tempore mi-
nus quidem copioſè, quàm in menſis fi-
ne, ubi ad ſeptimum diem fluebat cruor.
Nec proficiebat inungere regionem u-
teri, nec ſanguinem incraſſare, aut con-
ſtringere, ſola vena ſecta Epilepticos
compeſcuit inſultus. Unguentum hoc
erat, ℞ Unguenti Comitiſſæ ℥ij Boli ar- *Inunctio*
menæ, terræ ſileſiacæ ana ʒj. Gipſi ℈j. cũ *pro utero.*
oleo mirtino, miſce & incorpora, ad te-
gulã. Raſuræ dentis hippopotami ad ℈s
in aqua pimpinellæ ſanguiſorbæ ſæpiùs
exhibebatur. Singularis hic pulvis in ſi-
ſtẽdo fluxu ex utero deprehenſus, ita ut
monocerotis cornua, ſi quæ ſunt, præce-
dat. Uſa eſt & his cũ ſervis mixtis, ut cõ-
ſerva pimpinellæ ſanguisorbę, & nym-
pheę albæ ac Portulacæ ana partibus æ-
qualibus. At non potuit fluxilis cruor
ad menſis numerum reduci. Cum igitur
toto anno ſola ſanguinis emiſſione è ve-
na ſingulis menſibus convulſiva terri-
culamenta profligata eſſent, nolui pro-
ficuum

ficuum remedium ablegare longiùs, sed
ne destruerem planè Naturam, omni
bimestri, tres uncias detraxi, decussatim
observans artus, ut nunc manus dextræ
salvatellam, nunc pedis sinistri saphæ-
nã, modò in pede dextro, modò brachij
1616. sinistri, modò dextri venas elegerim. Et
1617. hoc anno ne inditiũ quidẽ sensimus Epi-
lepticorũ motuũ. Cũ tertio anno singu-
lo trimestri tentarẽ cruentam hanc vin-
dictam Epilepsiæ dare: [Naturam enim
paulatim seducere à crudeli hoc auxilio
volui, fluentibus adhuc inordinatè mẽ-
sib.] Hostis nobis superior factus, post
secundam phlebotomiam, ita fortiter
ægram adgressus est, ut priores paroxys-
mos præ hoc nullos diceres, ideoque ad
bimestres deflεximus phlebotomias, à
quibus hostis motibus terribilis manus
dedit. Cruentam sic huic dedi morbo
vindictam, quæ sola profluit, & felix ab
ægra nominabatur cura. Omnia qui-
dem prius tentavi, ut decoctum chinæ,
& salsæ; Fõtanellas in ambobus brachijs,
alterantia, purgationes frequentes, at in-
ducias saltim faciebant breves, sola se-
cta vena sæpiùs, biẽnio & semestri quie-
tem dedit. Hæc annis acta sunt octo.
Caput

Caput interim variis roboratum est, & ventriculus, reliquaq; viscera: in Tragemate. ℞ radicis Doronici Romani ʒij. Ambræ griseæ gr. vi. Misce, huius pulveris usus erat in vertigine, ad ℈ij & gr. ij. manê & vesperi summo cum emolumento, in aqua Cerasorum nigrorum. *Pulvis caphalicus.*

Item ℞ S. coriandri in aceto lavendulæ macerati & exiccati ℈j. corallorum rubrorum præparatorum ʒs. cornu cervi cum aqua Cerasorum præparati ℈ij. carnis cydoniorum exiccatorum ʒjs. specierum diarrhodon abbatis incompletarum ℈j. Panis sacchar[illegible]ti ʒij. Sacchari albi ℥iij, misce, fiat Tragea, qua usa est in ptialismo ventriculi, respicit & fluxum nimium. *Tragea stomachica.*

Aliis annis alia præscripta sunt: ℞. S. peoniæ, acetosæ, visci querni, cornu cervi præparati, corallorũ rubeorũ præparatorũ, cristalli p̃parati, ossis botentrisciæ, Ungulæ alcis, ana ʒs. cranij humani p̃parati ʒiij. Florũ, cichorij, peonię, liliorum convallium ana ʒs. Manus Christi perlatæ ℥iij. misce, fiat Tragea. *Tragea stomachica cæphalica.*

Item hoc: ℞. radicis scorzoneræ Hispanicæ ʒj. radicis peoniæ ʒs. visci querni, ossis de cranio fæminæ ana ʒs. ossis botentrisciæ ℈j s. peoniæ ℈j. Cornu subulonis ʒs, Ungu-

læ al-

læ alcis ℈s, florum peoniæ, primulæ veris, liliorum convallium, ana ℈s. Manus christi perlatæ ℥j. misce fiat pulvis. His pulveribus usa est in aquis cerasorũ manè, & in vino aquato vesperi. Quæ in hac ægra ut Medicus tum Cœnobij observare licuit. Vivit adhuc, nec tamen commodè, annus jam est septimus à quo ego non amplius visitavi.

Nimirum an. 1625.

SCHOLION.

Alter hic artuum turbulentus motus est, & mira corporis contorsio, qui ab utero sumsit originem quidem, at sanguinis massam vitiosam habui, quæ ventriculo noxam, hypochondrijs vitium dedit. Differt hæc adfectio motu terrifica à priori; primùm quia hæc præproperos inordinatos, immoderatos & uberes habuit menses, prior ægra tardos, paucos, crassos, albos. Huic rubri, tenues, adusti: Conveniunt ambæ, in motu terribili, defectu vocis, & chirurgico auxilio. Discrepant in causa, quæ huic externa, priori interna fuit. Sanguini huic scelus aqua cœlestis intulit, & corpori symptomata scelesta. Non quia desuper venit; in aëre cum sibi ho-

spitium

ſpitium tenuiſſimum & leviſſimum locet. Et tale ex terra, aqua, vegetante animali, imò ex hominis ipſius corpore elicit ſol; nec quod in ſe humidum habet huic denegabit; referente Sene Coo, lib. de Aëre, aquis &c. Elicitum hoc rapitur à Sole in ſublime, & aut in aëre movetur ſeu agitatur & fit ventus, aut in eo quieſcit; Quietum ſolis calor adgreditur, & ſegregat vapores puros ac tenuiores & ſubtiliores ab impuris & craſſis, illos ſurſum ablegat, utpote reſpuentes coactionem à frigore; hos in caliginem ſeu nebulam mutat. Magis verò craſſos vapores aëris vis frigida in nubes cogit, & pondus eis addit, ita ut ventorum vi deorſum ferantur, & agitentur in aëre, qui alienis corporibus difficilè locum dat. Agitatę ſic nubes, aut ſibi invicem occurrunt, & colliduntur violenter, ex quo vehementi motu parte ſua pinguiore conflagrat, & ſpiritum ſulphureū accenſum emittit, non ſine fragore, & fulgur ac fulmen fit. Sin verò plurimi vapores nubibus ſemper accedentes incraſſeſcent & nigreſcent, fient pluviæ ſolæ: quarum aquam utpote inconcoctā pravam, & facilè corruptibilem Senex

Theodorus Zvvingerus in Tabulis, ad hunc locū hæc habet.

dicit. Solis enim calor non tantum ſegregat puros ab impuris vaporibus, ſed etiam coquit eos in aquam levẽ & dulcem. Crudam igitur aut coctam aquam pluvialem eſſe poſſe. Hippocratica ſapientia vult; & hanc ſalubrem, illam noxiam eſſe. Aqua ſanè cœleſtis cruda nec ritè à calore Solis depurata multa heterogenea', qualio ſunt pinguia, craſſa, oleoſa, viſcoſa, corrupta, ſulphurea ſecũ fert, quod putrefactio facilis, & odor teter ejus edocent, teſtante Hippocrate: Et talem aquam ægra noſtra hauſit, quæ ex depleta nube ſplendente ſole decidere ſolet, noſtro idiomate Mehltau/ Ros farinaceus, & Honigtau/ ros mellitus dicitur. Stillæ decidunt pondere non copia adhęrentes oleribus, plantis, arborũ folijs & gramini, adſperſę. Vapor inconcoctus, crudusque in has reſolvitur ſtillas, quæ ob materiam craſſam pinguemvè facilè corrumpitur, & ob immixta heterogenea in virus abit, quod quidem dulcedine pecoribus imponit, at calore urente rubiginem ſatis adfert, & tabem, quum deſtituatur humido alibili, qnod ineſt pluvijs horreis. Humor enim hic biloſo humori uredine accedit,

Roris farinacei descriptio.

eius noxa.

dit,

dit, & ſiccitate, quales effectus in pecoribus veſcentibus illo clarè videre licet. Accendit ſiquidem illorum humores, ut in acredinem degenerent, fluxiles, vereq; biliosi fiant, inducantq; ſymptomata illa cuncta quæ fervor bilis, & ferocia ejus deproperant, ut febrilis æſtus, cholera, ac bilioſa dejectio, ſcabrities linguæ &c. qui adfectus vbergällig nobis dicitur. Ægræ noſtræ ſuo furore obfuit, ut ſanguinem fervore, uredine, & malignitate ita infexerit, ut terribiliſſima ſymptomata prodierint. Fui etiam eæ mentis, quum tales pluviȩ inſecta, ut muſcas, papiliones ac vermes &c. producāt, ſanguinem ſacris initiatæ virginis non tantùm uredinem quādam ſenſiſſe, & mutationem in bilioſum furorē & ferociam ac fluxibilitatem nimiam acredinemvè, (videbatur quidem ejus temperamentū per ſe bilioſum, utpote colore fuſca, capillitio nigra, ni tonſuta frequens in cauſa, corpus ſiccum, calidum) verùm etiā ipſum ſanguinem corruptione quadam in malignum aliquod degeneraſſe corpus; quod inſtar fermēti certis temporibus ſanguinem quadam inficeret rubigine, qui deinde tot labores viſceribus

Temperamentū ægræ.

daret, & terrificos ſpaſmi motus. Sæpè itaque mecum venenatum id fuiſſe cogitavi, quicquid hæc monſtra parturijt, quodvè ſanguini vitium intulit, de ſpecie verò veneni extra bilis fervorē pronunciare nihil auſus fui. Prodiens ſanguis fluxilis, tenuis, ruber, vel etiam ater quodammodò venenum ſeu malignum hoc in bile latitare pronunciavit. Sic enim noſter Divinus Senex Bilioſos mēſes dignoſcere jubet, lib. 1. de Morbis Mulierum; quando nimirum nigri decedunt aut ſplendidi, quales & noſtræ fuêre ægræ, qui citiſſimè concreverant; non tamen parciſſimè ferebantur, ſed copiosè, ſtatisq; temporibus, nimirum in menſis medio quinq; diebus, & in fine ejuſd. pluribus fluebant; maximè in progreſſu morbi. Hæcq; tempora ita ſtrictè obſervabat, ut vix horam prçteriret. Sanguis primis annis ſeu in exordio morbi, tenuis, ſubtilis & ruber prodijt, procedente tempore, craſſus, fœculentus, ater, ut lintea demonſtrarunt. Uterus ex copia hujus fluxus debilior, & ab acri, infecto ac maligno ſanguine fatigatus, expultricis laborem, retentrici quietem imperavit. Nec licuit abſque

Bilioſorū menſium indicia.

noxa

noxa illam ab opere revocare; retentam enim molestam ac à sua benignitate degenerans, mammæ sinistræ tumorem haud indolentem & cordi palmum dedit. Nec fluens absq; vitio abijt, sed symptomata varia imò terrifica præcessere, & sequuta sunt ejus abitum.

Oraculum Hippocratis, quod est 5. Aphor. 57. Menstruis immodicè fluentibus morbi eveniunt, confirmat. Et quibus Natura inest, utpluribus quàm quatuor diebus purgentur, morbum portẽdunt, & si copiosi admodum sunt, tenues redduntur. Quamvis mulieribus partum expertis diutiùs & copiosiùs fluant, ut docet in introitu hujus libri D. Senex, ipsaque experientia. In virgine vestali & temporis numerus, & sanguinis mensura ordinem naturæ planè invertit. Morbosi igitur hi menses, ad biliosorũ naturam deflectẽtes, illa vitia pepererunt, quę in progressu producuntur à mensibus biliosis, docente sic Hippocrate; Dolor modò quidem ventris partem umbilico inferiorem invadet, modò verò inguina, quandoq; etiam lũbos, & coxendicis commissuram, quæ est ad sedem, totamq; eam partem quan- 1. lib. de M. M.

doque cervicem. De his lamentationes ante eruptionem mensium audivi. Interdum quoque vehemens contingetˀ strangulatus, eiq; ante oculos caligo observabitur & vertigo, & paulò post. Biliosi cum menses prodeunt, animi defectio accidit, & subinde cibi fastidium, anxietas, insomnia, frequens ructus, obambulare recusat, animum desponderˀ, nec videre videtur & metuit. Talia symptomata de nostra ægra expressit historia, quin & plura & graviora adparuêre. Qualia idem Senex, cum tempus processerit, describit: Ferè semper gravis morbus invadit. Nec gravior vix ullus eo, qui convulsiones terrificas, & delirium producit, adstipulante Sene 7.aph. 9. Ex sanguinis profluvio deliratio autˀ convulsio malum est. Et 5.aph.3. ex copioso sanguinis fluxu convulsio aut singultus contingens, malum denunciatˀ. Non inanitio, ut quidam ex 6. aph. 39. explicant aphorismos hos, convulsionem aut delirium in nostra causavit ægra. Ipsum delirium ab inanitione illis autoribus, rarum aut nullum videtur. Licet enim senibus ob deperditos spiritus delirium accidat, sic volente Fer-
nelio

nelio path. l. 5. c. 22. tamen hæc noſtra ægra nihil horum perdidit, nec uterinus ſanguis alijs mulierculis decedens copiosè principem debilitabit vim in cerebro. Agitationi ego ſpirituum animalium adſcriberem, quam cauſat nimia hæmorrhagia, ut & Fiſchero placet. Immodica alia ſanguinis profluvia ſeu è vulnere, ſeu nare erumpentia id adſerunt. Debilius illorum eſt cerebrum, quorum nares ſtillicidio ſanguinis copioſiori & frequenti fatigantur.

Valeſij opinio arridet, qui ait, atram bilem ferocia quadam in corpore furere, nec frenari à ſanguine bono. Sanguis enim bonus bilis frenũ eſt. Ægra noſtra, melancholica, ſubtriſtis, aduſti humoris non fovit copiam exiguam, qui motus & agitatus in vaſis in ſeceſſu corporis latentibus ſurſum in cerebrum vapores malignos ablegavit, non ipſum quod purgandum fuit ſurſum reſilijt; ſed copioſum per uterum aduſtum & bilioſum exijt menſium tempore. Hoc in principio parcum fuit, progreſſu temporis immoderatum. Vapores igitur hi noxium & malignum ferentes ſecum, obviæ cuiq; parti vitium intulerunt in ven-

triculo, ructum, ptyalismum, nauseam, cardiogmon causarunt: Mesentericis arterijs palmum ac quędam saltum: Thoraci suffocationem seu strangulatum; musculis laringis aphoniam: cordi palpitationem, metum & tristitiam; œsophagi fibris, & laringis musculis impedimentum deglutionis, quia spasmodicè contracta fuêre: In capite oculorum nictus, caligo, visionis defectus, vertigo, dolor: in principio nervorum convulsivi motus, seu Epilepsia; cum acres evaporationes ex utero convulsiones causent. 6. l. adf. 5. in cervice dolor & spasmodica contractio producta sunt. Et talia symptomata à biliosorum mẽsium copioso profluvio provenire scribit venerandus senex locis citatis, si mulier corpore malo adfecta est, quale nostræ ægræ fuit. Cura an Hippocraticum sapuerit subijcio quæstioni: Divinus noster Senex Cous lib. citato, prognostica hujus morbi hæc recenset: Primum postquam repurgata fuerit, paulò melius habebit, quàm antea, postea rursus ad eundem relabetur statum. 2. Morbum esse in principio curabilem, si diligens cura adhibetur; 3. Si moram traxerit, ma-

Nisi venarũ interceptiones ex Hippocrate velimus causã aphoniæ dicere. Sed illa sanis repẽte fit.

rit, magis adfliget, teſtis hæc ęgra: 4. Tẽpore intermedij profluvij uterini meliùs degere ęgras, at redire malum cum ſymptomatibus menſibus recurrentibus; ut hiſtoria hujus ęgræ etiam enodat. Indicanti revellens auxilium Hippocrates inchoans curam opponit, & vomitu bilem excludere, levi alvi perturbatione benignis à cholagogis bilioſa eijcere tentat; Nos magnum hũc Medicum ſecuti, benigna & tuta bilem educentia per os exhibuimus, & clyſteribus alvum eluimus: vomitoria neglexìmus: ſic bilem minuere tentavimus, ejus orgaſmum in ſanguine ſyrupis & brodijs alterantibus temperare adgreſſi ſumus. His cum triennio nihil effectum eſſet, venam eo modo ut Hiſtoria enarrat aperire volui. Sanguis ſiquidem bilioſus, malignus, ac corruptus, nulli medicamini cedens, ſui ablationem avet. Nec furor ejus tàm ferox eſt cujus vires conciſę jacent. Senſim itaque ac diviſim ſingulis menſibus aliquid ei detraxi, natura ut corruptum reliquum faciliùs aut temperaret, emendaretvè, aut frenaret, vel vinciret. Roderic⁹ à Caſtro 1. Morb. Mul. 5. baſilicam primam, mox ſalvatel-

lam in immoderato mensium profluvio jubet aperire. Erotus c. 3. de pass. Mulierum, ad superiora præcipit sanguinem trahere: Roheus, & Mercurialis 3. M. M. c. 2. brachium eligunt. Ego brachia & pedes, ad vindictam dandã huic malo, provocavi; Vapores siquidem & humores corrupti in corpore errabant, & modò supera, modò infima fatigabãt multis laboribus; ut mamma turgens cum dolore, oculi rubescentes, vocis defectus, si à repletione modò venarum seu interceptione, ut Hippocrates vult, fuerit, ostendunt; evacuari postulabant ibi, ubi revellendo salutem darent; quod modò in superis modò inferis locis tentandum. Nec hæc evacuatio tardavit menstrua, si artus superiores, nec provocavit citiùs, si inferiores funderent sanguinem: quod notatu dignum judicavi. Proficuus quin hic fluxus ita fuit, ut noxam venæ uteri, & artuum eructasse cũ sanguinem fuderunt; servasse cum adstrictione vel repressione coërcitus fuisset, visæ sint. Fœtida cur obfuerint, & odorata placuerint, paucis aperiam. Caput nervosumque genus ex diuturnitate Epilepticorum motuum imbecillius

Vide quid de hac operatione scribat Gal. c. 19. de curat. p sang. missionem.

Felix Platerus Tractat. 1. lib. 1. c. 2. p. 45

reddi-

redditur, & ejus ſpiritus valdè mobiles fiunt; graves igitur odores cerebrum tale ferientes, ac nervoſum genus irritantes, ſpiritusq; accendentes ac ſubtiliantes promovent acceſſiones, & exacerbant paroxyſmos. Noſtræ ægrę habitus bilioſus, humores attenuati & tenues, ſpiritus ſubtiles ac mobiles Caſtoreum calidum, diſcutiens, flatus craſſiores diſſecans, fumos à bile ſublatos accendens, irritationem in nervorum principio augebit, & ſubtiles, liberos, non pituita aut craſſo humore vinctos magis agitabit. In corporibus humidis & pituitoſis, qualis prior ęgra fuit, utilius cenſendũ. At benè olentia avara manu parciſſimè exhibita ſpiritus animales revocant in unum, unitis robur & virtus adcreſcit, quin ſua grata evaporatione molem ſpiritibus addunt, cerebrum ipſum reficiunt, nervoſum genus leniẽdo demulcent. Vulgare muliebre prouerbium hîc explicatum habes, quo hujus matricem fœtidam, illam benè odoratam vocant, Ein ſtinckende/ vnnd wolriechende Mutter. Hippocrates odoramenta muliebria gravitatem capitis cauſare ſcribit, 5. aph. 28. ſi multa ſunt, & caput debile

p. 82.

R. à Caſtro iubet à fortioribus fœtidis, calidis abſtinere ſi fœmina Epileptica ſit, quia cerebrum

bile eſt, ut Fiſcherus & Valeſius anno- tant, aut uterus rarus, ut Heurnius. Ex quib. patet Odorata in pauciſſimo quã- do cũ alijs exhibita, & ambram ſolam cũ ſaccharo profuiſſe parcè datam, caſto- reum ut multum, cum calidioribus, ut- pote Mitridatio, in capite debili obfuiſ- ſe. Coaxantes & garrientes medica- ſtras in fine hujus Scholij placet in Theatrum vocare: hæ aquas pluviç re- tardata menſtrua promovere dicũt. For- tè quum illę omnium aquarũ leviſſimæ ſint, tenues, dulces, & quæ tranſmutari facilè queunt, hinc illis mora in hypo- chondrijs exigua, hepar citò perreptãt, & velociter permeant; ineſt illis vis quę- dam vegetans, & quaſi divina energia, quâ vegetabilia, ſata, viventia, reptilia, in aquis degentia vivunt, reviviſcunt, virent, vigent: maximè æſtate qua opti- ma & puriſſima decidit, aliena ab omni- bus heterogeneis, quod in vere non eſt, cum noctis humiditas viſcoſitate viridi & ciſternas inquinet rorali aſpergine. Si igitur illud quod tenuium eſt partiũ, quod permeando velox, quod hypo- chondria citò præterlabitur, venas reſe- rat, hepar aperit, menſes movet; de aqua cœle-

Infirmam fœtidis offenditur lib. 2. de M. M. 1. Ambra cephalica cõfortans.

cœlesti diuretica fluxili permeabili idem pronunciare liberum erit. At in magnis obstructionibus inutilis erit, in levioribus segnis. Fortuna fortè, non vis, aquam cœlestem hoc elogio donavit, aut per somniũ sc. raptæ vetulæ hoc insusurratum. Quod & istis medicastris suppeditavit de vino Puccino vulgò Reibolicon seu Reinfall; hoc cohobatũ supra fœces, dulce & crassum menstrua promovere volunt. Hinc tot juscula ex eo croco, & mace alterata puerperis exhibent lochia ut promoveantur: solent & virginibus ad menstrua sollicitanda plures haustus non alteratos dare. Dulce remedium & sapidum, palato gratũ. Musta sua fœculentia viscerum obstructiones augent, excitant flatus in intestino superiori, immorantur circa præcordia, urinas movent parcè, autore D. Sene lib. 3. de victus ratione in morbis acutis. Sapientia sanè magistralis harum medicastrarum est, quę aquas ob levitatem, & vinum ob crassitiem menses movere volunt.

Placet Magni Mermanni ad me datam Epistolam subijcere de hoc casu.



PHILIPPO HOECSTETTERO MEDICO, DOCTORI AVGVSTÆ Vindelicorum Thomas Mermannus D.

Cl. & Exc. vir, amice obſervande.

CONVULSIVI motus Epilepſiæ ſimiles (veram Epilepſiam integris ſenſibus, & mente illæſa non fieri noſti) quos Monialis apud S. Catharinæ experitur, rectè ventriculi & uteri cacochymiæ adſcribuntur, ſicuti & remedia ab Excellentia tua, cęteriſque excellentiſſimis viris decreta, abolendis totius mali cauſis convenientiſſima fuerunt, & erunt in poſterum. Vehementer probo, ut vitioſorum ſuccorum evacuationi inſiſtatur; ſunt illi acres mordacesq; ante tempus ſtimulantes menſium fluxum, quem interim non ſine noxa ſiſti ſcribitur, neque ego ſupprimendum, ſed per acrium excrementorum repetitas purgationes, moderandum cenſeo. Obſervavi & ipſe in principe fœmina, ſyncopas terribiles, cum ſudore frigido & pulſus abolitione, mox à cibo obor-

tas et-

tas etiam parco. Quæ repetita alvi ſubductione, à levi medicamento, & clyſteriolis haud longè poſt ſanitati eſt reſtituta. In paroxyſmo exteriùs adponebam ori ventriculi goſſypium oleo amygdalino, & chamomelino (ni fallor) imbutum, guttulas item aliquot olei ſeminis aniſi ex cochleari, iuſculi caponis, vel vini malvatici (quod hic fortè non admittendum) deglutiendas porrigebam. Murmure in ventriculo inde excitato, ac flatibus ructu excluſis ſyncope diſparebat. Solo jure caponis cum panis medulla ſuſtentabatur. Memini & Monachi cujuſdam juvenis, qui ubi tantulum cibi calidi aſſumeret, protinus ſymptomatibus horribilibus, qualia hęc virgo patitur, corripiebatur. Is quoque repetitis levioribus medicamentis alvū ducentibus & clyſterijs fuit liberatus. Ad ſuccos acriores, menſes ante tempus, copiaque immodica expellentes, blandè educendos, potiunculas felici ſucceſſu porrigere ſoleo, qualis eſt hęc: ℞ Mannæ ℥ijs diſſolve in aqua plantaginis q.s. adde rhabarbari electiſſimi pulveriſati ʒj vel ℈iiij. interdum etiam corticum myriobalanorum citrinorum ℈j.

Syrupi

Syrupi myrtini ℥j. Si flatus à Manna metuantur, addatur aliquid aquę cinnamomi, & aquæ plantaginis, chamomeli aqua substituatur. Sæpè adsumptum hoc medicamentum proderit mirificè, non neglectis clysteribus blandis. In paroxysmo exhibeantur guttulæ aliquot olei sem. Anisi, deinde naribus admoveatur hoc auxilium. ℞ fol. rutæ recentium pj. Castorij ℈j. contundantur adfuso aceti rutacei momento fiat instar linimenti. Ad convulsionem ori indatur pauxillū hujus electuarij. ℞ Theriacæ Andromachi, Theriacæ communis ana ℈j. fol. rutæ, seminis erucæ, nasturtij, castorei ana ʒs. Cum melle rosato fiat Electuarium. Nutriatur ægrota vitellis ovorum sorbilium, jusculis caponum & contusis. A solidis aliquandiu abstineat᷑.

Dictavi hæc occupatissimus, ut Exc. tuæ & virgini facerem satis. Saluta studiosè Excellentissimos viros DDos. DD. Holtzapfelium, & Mynderernm collegas in curatione ista tuos. Vale Monachij die 30. Martij, Anno 1611.

E. T. S.

Thomas Mermannus
D.

CA-



CASVS TERTIVS.

VARIA AC MIRA ACCIdentia Hysterica.

MERCATORIS robusti, plethorici, juvenis athletici conjunx, corporis succulenti, crassioris habitus, coloris subfusci ad flavedinem vergentis, crinium subcitrinorum, ad iram prona, quam tamen celari docta, suspicax, subdola, foris taciturna, domi & inter familiares sonora, in otio educata, defecit subitò in laconico animo, exportata in auram frigidam non reficitur, adspersione frigidæ, frictione extremorũ, infusioneque stillatitij cinamomi vix excitatur. Æstum laconici & temporis hanc syncopen causasse suspicabamur, (urebat enim tum aristas Syrius) operam mutuam subministrante motu insueto. In lectum portata, suffimigio ex succina à mulieribus opposito naribus deterius habuit, odorata ferrè planè nequivit. Hystericam itaque lipothomiam agnovi, & granis aliquot tritis castorei in stillatitio cerasorum ori infudi, utero pa-

nem tostum cariophyllis conspersum admovere jussi, Theriacam in aluta expansam ad motum cordis in sinistro adplicavi. Hæc dum aguntur, vertumnum agit adfectus hic, mentiens varias larvas, induens formas diversas. Integris sensibus brachiorum varios motus, distorsiones miras, flexuras stupendas habuit, pronunciabant hæc mulierculæ Epilepticos insultus. Manus mox exaltabantur, mox deprimebantur, non aliter ac si concentum musicum regerent. Modò tardè, mox velociter, modò in gyrum, modò in latus volvebantur. Finito paroxysmo ad has gesticulationes se cogi ineptas, invitam adfirmavit, nil ipsi nescium erat: rogabat ne fastidium daremus Succini fumo, eo caput lædi. Vox in accessione rara, eaque unisona; quæ mox intercepta fuit. Aqua hysterica propinata hæc. ℞ Stil. Melissæ, Menthæ ana ℥j. E succo panacis heracleæ ℥js. Succini albi præp. ℈j. Syrupi de Arthemisia ℥j. Misce. Major morbus fuit remedio; successit mox desipientia, flevit, risit alternatim, lectum pultavit ambabus manibus fortiter, cum sono germanico Ja; mox micans digitis, in gyrum

manus

manus agitavit circulatoris instar. Paroxysmo placato aliquo modo,.de angore cordis questa, confessorem petijt, in cujus sinum quicquid premeret cor effutire posset. Mos gestus, advocatur, hic discedens me ut Medicum monuit hos tetros motus iræ & Melancholiæ soboles esse, cætera ex officio conticuit, nec ipsa negavit illa. Anxietates & cordis pressuras, sic enim nostro vocavit idiomate, passa est plures, cum gesticulantibus motibus, quæ abigere cum antihystericis medicamentis non valerem, Lapidem exhibui bezoarticum orientalẽ in pulvere ad ℈s. in aqua Cerasorum nigrorum præsente, maximo cum emolumento, ut effectus subscripsit. Nescio enim quos conflictus cum noxio hujus lapidis recensuerit, quos circa cordis regionem se sensisse adfirmavit. Præsentes nos furorem uteri ex Symptomatibus plurimis augurati sumus, ex garrulitate, iracundia & mobilitate ac inquietudine artuum, ex verbis irascentis instar. Post mediam horam omnium altum silentium, accessionis finis, ipsa somnum desideratũ amplexa per aliquot horas tenuit. Paroxysmorum terminus

novem horarum fuit. Geſticulationes mihi naturæ ægræ congeneres videbantur. Manè corpore languida & proſtrata jacuit viribus. Lapidis uſum bezoartici, ob laudatas dotes eodem in quanto repetijmus. Veſperi clyſter hic adplicatus. ℞ rad. Ariſtolochiæ longæ, Altheæ ana ℥iij. herbarum Mercurialis, Betæ, malvæ, bethonicæ ana Mj; Sem. Lini, fœnugræci ana ℥s. cumini ʒij. Sem. Anethi pj. Furfuris p.j. Ficuum pinguium N. xij. Coqui in aqua communi, Col. ℔j. adde olei florum chamomeli, violarum ana ℥js. Electuarij Lenitivi Florenzolæ, ℥s. hieræ picræ Gal. ʒiij. Vitelli ovi N.j. ſalis qs. M. Fiat Enema. Multa ab hoc excrevit clyſmate. Experrecta cum metu & perturbatione ſubſequente noctu inhorruit, itaque ſumſit eandem doſin Lapidis bezoartici, unde quies, non ſine inſomnijs terrificis. Corpus purgavi Electuarij lenitivi paſſularum ℥ij, ſatis feliciter, pluribus ſecedentibus fœcibus. Quartò ſalvatella ſiniſtræ manus aperta ſanguinis eructavit aliquam copiam. Comedere & bibere cœpit, & terror panicus abſceſſit. Colophonidis loco fuit Tragea. ℞. Specierum diamargarit. frigida-

gidarũ ℥s. ſem. coriandri p̄parati ʒj. ſuccini albi p̄p. ʒs. Tab. manus Chriſti perlati ℥v. Miſce pro Tragemate. Supervenêre menſes, aliàs nec tardi, nec inordinati, nec indecentes, quare nec hujus morbi autores, ſolvunt quidem convulſiones, quales mentiebantur hi motus, muliebria circa initium adparentia, ſi ſine febre ſunt. 531. aphor. Coacarum prænotionum.

Semen retentum ab hac labe liberum pronunciavit conſuetudo frequens laſcivientis viri, qui Jonicos ipſam docuit motus, quibus vidua deſueſcere nequivit. Sed taurum in venerem ruentem, inſtar Paphſidis volupè, avidè cum deſiderio etiã furtivum diu noctuq; admiſit. Flatus in regione palpitatio nulla abſolvit. Corrupta igitur quædam materia circa uterum hæſit, ſive ſit ſemen viri, aut biliosa ſanies, quæ laconici æſtu in utero excitata cerebro vapores calidos communicarũt, & venenum cordi trãſmiſerunt. Concepit brevè pòſt, ut p̄dixi. A partu poſt aliquot annos geſticulãtes motus paſſa eſt, & vidua cum ex furtiva venere uterus tumere inceptaret. Pueri duo ipſi maximè chari fuêre, quibus to-

tam se dedit, quiq; eam pessundederũt, Bacchus & Adonis, illi os admovit, huic cryptam libidinis, speluncam amoris, & spumantis motus veneris concredidit.

SCHOLION.

DIVINUS NOSTER SENEX, UTERI strangulatum ijs potissimum contingere vult, quæ consuetudine viri minimè fruuntur, & senioribus potiùs quàm junioribus, cum earum uteri leviores existant. Lib. 1. de Morbis Mulierum. Virgines vetulas adfligere, & viduas quæ juvenes pepererunt, & viduitatem experiuntur. De Natura muliebri. Galenus lib. 6. loc. adfectorum, viduis magna ex parte evenire, ijsq; maximè quæ cum antea probè purgarentur ac parerent, atque virorum concubitu gauderent, si omnibus his fuerint privatę. Nostra ægra eo die sine dubio, aut præcedente aurorâ suum taurum ruentem in venerem sensit, qui ipsi hymenæum, non manu ut Diogenes, sed congruo organo cecinit. Erat enim juvenis, cui hæc voluptas frequens & exoptata erat, ipsaque sæpiùs pepererit. Non passa qui-

ſa quidem eſt eum in corpore errorem uteri, de quo ſenes illi venerandi loquũtur; neque magna vaſorum inanitio, aut ſolito vehementior labor acceſſit, ut Senex Cous vult 1. lib. de Morbis mulierum. Fortè nec vaſorum ad uterum pervenientium plenitudo, unà cum eorum vinculis, ut Pergamenus Senex lib. 6. Adf. loc. 5. loquitur, cum menſtrua ſuppreſſa in corpore non ſubſtiterint. Sed acris quidem & craſſus vapor ex utero prorepſit, & ſuperiores infeſtavit partes: qui pro cujuslibet partis natura & functione, ſymptomata produxit. Si enim ad ſtomachum fertur, anorexiam, nauſeam, vomitum cauſat: ſi ad diaphragica & officinam reſpirationis, crebrum, anheloſum ac interceptum ſpiritum, cum metu præfocationis; ſi ad Cor repit, ſpiritus figit, animum deijcit, triſtitiam & metum cauſat, pulſum immutat, ſyncopen producit, & immobile aliquo modo ſiſtit. Non mihi imaginari poſſum, ita refrigerari corpus, ut planè aboleatur reſpiratio: In calore & humiditate ſiquidem vita, in frigore mors conſiſtit. Præterea ſi ea eſt veneni hyſterici (hoc enim nomine & Galeno & alijs

An hyſterica accidentia à frigore?

alijs venit Medicis) energetica frigiditas, ut subitò totum corpus, inprimis cor alterare possit, expellet vitalem ex corde caliditatem, & introducet contrariā intemperiem, nempe frigiditatem. At cor frigidum vivo homine esse nequit. Morerenturq; omnes hystericæ mulieres apnœæ, nec se ita citò recolligerent. Siquidem Intemperierum migratio de subjecto in subjectum nō est subitanea. Et si facta esset introductio in Cordis arcem frigoris, non nisi eo secedente, calor suas operationes efficeret: Nec sua antipathica vi venenum hystericū nativum fugaret calorem, & ad extima pelleret, ita ut interiora, jam vi veneni refrigerata, per respirationem non opus haberent ventilatione, sed calor in arterijs sopitus, & ad ambitū corporis latitās sola transpiratione adquiesceret: Siquidem extrema harum ægrarum non calida, sed frigida sunt. Multò minùs ad se rapuit calorem cor infestatum à noxa, licèt in thorace aliquis ignis gliscēs sentiatur: Ad locum enim congruum collectus nativus calor, major & fortior ut counitus, magna ventilatione opus haberet, quam ex loco proximo, organis nem-

nempe respirationis flagitaret: nec sufficeret longius quæsita transpiratio. Refrigeratio itaque cordi nec alteratione, nec fugatione ad extra, nec revocatione ad intra caloris facta est: quin nec dissipatione spirituum aut humiditatis vitalis, cum citò excitentur mulierculæ etiam ab illis quæ refectionem dant nullam, quale illud Hippocratis, Comprime duobus digitis, ut Valesius explicat, vellica quacunque lubet parte, atque si sentit mulier, hysterica sunt: 4. de Victus ratione in morbis acutis, in fine: nec cibus refectorius ac potus semper prodest, ut docet Rodericus à Castro lib. 2. de Morbis Mulierum c. 1. Ubi prohibet Vini exhibitionem finita statim accessione. In syncope, quæ sæpè strangulatu uteri æqualis aut longior est, deperduntur spiritus, apnœa tamen non fit. Causam igitur immobilitatis Spiritus seu Apnœæ dum inquiro, Galenus 1. de Sympt. causis. 7. monstrat mihi, satis arridentem. *Anhelitus perit ubi principes partes ambæ vehementi laborant sympathia:* loquitur ibi de *Cerebri & Cordis* morbis. Apnœam igitur hanc fieri puto ob *Cerebri & Cordis quietem.* Hoc à motu ces-

Causa apnœa hysterica.

Piso, aboleri in hystericis respiratione, quia occupatur nervus sextæ cõiugationis, eo modo quo principiũ nervorũ. Putat fieri aliquid Cataleptici.

Cerebrum patitur aliquid cataleptici.

ſat ac ſi ſui oblitum eſſet, & ſpiritus vitales non movet, ſed contrahit ventriculos, ne virus hyſtericum ſuam arcem ingrediatur & devaſtet eam; haud itaque à pulmonibus aërem repetit ad reficiendos ſpiritus, aut ſanguinem à vaſis hepatis ad reſtaurandum humidum radicale; humor enim vitalis immobilis in ſua arce inſtar coagulati latitat. Pulmo & thorax ad motum non ſollicitata, à cerebro non vim moventem flagitant. Sic cerebrum à veneno hyſterico quaſi cõſternatum ceſſat ab omni motu, aut leviorem cauſat. Ambo ſiquidem principia vim patiuntur; prout igitur cerebri cordiſque arces virus hyſtericum repperit diſpoſitas, ita videtur ſuas actiones dirigere. Noſtræ ægræ caput non torpidum reperijt, nec ſpiritus pigros, craſſos, & pituitoſos, ſed bilioſos, cum iræ phantaſijs luctantibus. Itaque deſipientiam & furorem quendam cauſavit; & quia circa præcordia æſtuantem bilem, anguſtiam & palpitationem dedit. Vix mihi poſſum temperare, quin in hæc erumpam verba, ut quæ Ariſtoteles de VINO, Fernelius de MELANCHOLIA protulit, ego de humore corrupto hyſterica

cauſan-

causante vitia dicam; Nempe ASSIMILARE SE ILLUM NATURÆ ÆGROTANTIUM. Ita ut in naturis humidis quales sunt pituitosæ, torpentia pigraque symptomata producat, apnoeam scilicet, gravativos dolores capitis &c. Sanguineis puto rariùs accidere; Melancholicis mœstitiam, metum, tristitiam & maniam dare; Furores tamen leviores, & agilitates corporis præter naturam in picrocholis & biliosis. Talis erat hæc ægra, cujus uterus biliosum humorem vicinum corruptum sensit, qui à se ablegavit vapores similes, quos Laconici æstus excitavit, ablegati capitis actiones turbarunt, desipientiam causarunt, garrulitatem promoverunt, gesticulationes manuum, tortuosas flexuras brachiorum protulerunt. Cordi anxietatem, pressuram, metum, tristitiam, & thoraci sublimem spiritum dederunt: & reliqua in historia ipsa recensita. Socrus hausto furtivè vino, cum Bacchi mysta clandestinè esset, adscripsit. At iniquiores pronunciavit Comicus eas nuris. De semine viri seu proprij in utero retenti diutiùs multùm dubito, cum ejus exitum non senserimus, & sanguinis missio, &

per

per uterum consuetis diebus fluxus profuerint. Quamvis aliquando ex furtiva venere conceperit, ut & à partu similes motus habuerit: Faciles hi motus similes convulsionibus fuerunt, quia non antea eos experta est, ut docet Senex Divinus Coac. prænot. 349. & sine febre fuerunt. 1. Porreth. c. 3. aph. 29. Idem adfirmat. Corpus uteri manu deprehendi moveri in mulieribus ætatis grandioris sursum & ad latera; quibus menstrua declinare solent. Inanitioni vasorum & uteri reficcationi Cous adscribit; Galenus plenitudini adsignat. Novi in ea ætate sanguinem esse adustiorem, unde etiam flatulentum, qui flatulentia sua & fibras, & nervos uteri contrahere potest. Non placet Senis Coi mens, qui appetitu humidi sursum uterum vult' ferri, ut impleatur, ac si non ex venis abundans ipsi accederet humiditas; ut Galenus vult. Non puto errorẽ uteri Platonem motum animalem dicere, sed naturalem & à sympathia, quem etiam Galenus exemplo Palmarum arboris explodit. Fortè Cous ex communi opinione protulit, siquidem non humectãtibus, sed exiccantibus ac discutientibus curat.

curat.

urat. | Naribus enim graveolentia per
uffitum admovet; ſubter utero odorata
dponit, manu propellit ad infra ute-
um, & ligat faſcijs, ore diducto vinum
doratiſſimum infundit; ubi ad ſe redie-
it medicamento deorſum purgante e-
acuat. Ex vino conyzam, & caſtoreum
jjunæ exhibet; uteros per odorata jubet
luere, & ſuffitum ex aromatibus parat.
ib. de Natura Mulierum. An igitur
æc inanitionem auferant, Aut plenitu-
inem abſumant, tu qui æquus lector es
idica. Ad ſpaſmodicam accedere mi-
i videtur uteri error adfectionem, in-
uit id & Pergamenus ille Magnus Do-
tor 6. loc. Adf. 5. quæ ſi reliquis conna-
s nervoſis partibus communicatur,
dſurgunt & illæ in hoſtem, maximè ſi
apor vellicans ad eas accedit; Abdomi-
is igitur primò, mox thoracis nervoſa
musculoſa tenduntur, reſpiratio hinc
rimùm difficilis, mox impedita fit.
uffitum itaque & medicamentis diſſi-
antibus abiguntur, & abſumuntur va-
ore, uterus ad locum redit proprium.
uem ex ſuccino ferre noſtra nequivit, *Cur ſuccini ſuffitū non quieverit ferre*
ia bilioſa erant evaporata & ipſa pi-
ochola, unde & à ſiccis magis exagita-
bantur,

bantur, & inflammabantur. Bezoar verò ideò profluit, quia à corde abegit noxia malignavè, quæ cum displicentia quadam ad animum hærebant. Sanguini subtiliori, inflammabili facilè, ab usu meracioris vini, æstu laconici, ira suppressa, & à natura biliosa incenso quasi venæ sectio profuit. Purgans & clysma humoribus in via prima dempserunt copiam.



CASUS IV.

APHONIA CUM CONVULsivis motibus in Adolescente.

JUvenis coloris subfusci, annorum viginti duorum circiter, à cœna totius corporis lassitudinem, cum levi quadam animi defectione sentiens ad cubile properat. Destituit ibi eum vox, & motus membrorum, ut in lectum caderet confusè. Soror adstans deliquium animi putabat, quod ex levi causa illi alias frequens, tamen cum solito diutius attonitus jaceret, concursus fit domesti-

carum, vocor proximus ut Medicus, attonitum transversim in lecto jacentem conspicio, cum spiritu sublimi ac axillarum sursum attractione. Arteriarum motus celeres & vehemẽtes à lypothomia absolverunt, oculi claudebantur; dentes compressi fortiter cohærebant, membra attracta & relaxata leviter suspicionem dabant convulsivi motus. Mordicus dentibus cochleare ex argento compressit, ut vestigia darent in duriusculo metallo molares & incisorij. Negarunt solens esse malum ægro astãtes, & in cœna nil nisi Suevicas delitias, carnis brodium in quo panis suffocatus natitabat, bubulæ saporem, hordei tumorem in carnis succo, comedisse, ac cervisiam potitasse nigram, dixêre. De merenda largiori dubia fuit responsio. Audivi ex Austria reducem scabiosum, cacochymicumque venisse. Crines nigri, color subfuscus ad pallorem vergẽs, pauciloquium, constitutionem Melancholicam describebant. Inter hos sermones, æger pedibus calcitrat, sinistrum extendit brachium rigidè, expandit palmam, digitos tendit distinctim, manum dextram in pugnum contrahit, pollice

contra-

contracto. Pedes modò sursum tulit, modò depressit, sæpiùs distendit: mens non constabat, sensus nullus, visus aberat, nec audiebat, nec percipiebat quæ clamore aures pulsabant, mutus. Positus in lectum ritè, quasi dicas, secundum spondæ longitudinem, maxima omniũ membrorum distentio erat, secundum eorum dimensionem, longa quidem, sed quæ quietem agnosceret.

Aquæ Epilepsiæ dicatę non fugarunt sed acerbarunt malum in os infusæ. Caput pronum inflectebatur, ceu arcus, in pectus rigidè. Primus paroxysmus superabat horas tres; rediêre plures. Mens & vox tempore quietis, quod exiguum erat, aberant: E cubiculo manè in hypocaustum portatus plurimas sensit tẽsivas convulsiones, quæ longæ & frequentes fuêre, è contra quietes paucæ & parvæ. Mutus, & vehementer inclamantibus ne sensus dedit indicium; gemitus & suspirium vox erat. Alter accedens Medicus inspiciens flexum capitis, cujus maxilla pectori adhærebat, & distensiones membrorum rigidas, Spasmum Emprosthotonum pronunciavit, ac medicamenta ordinavit. At

cum

cum saltim per quartam horæ observarit, eamq; vix integram, in illius sententiam ire non libuit, cum sensus illi omnes vincti fuerint, & mēs ita consternata, ut in paroxysmo ab omni vacaret opere, & in quiete, liber scilicet ab omni malo, jamque loqui cepisset, nesciret omnia quæ acta essent. Balanus supplevit vices clysmatis ordinati, qui alvum solicitans, evocavit stercoris quantitatem multam. Tertius tum numerabatur dies, & motus ac torsiones ea luce breviores erant, quietes longiores. Incepit à levi distensione manuum, brachiorum & pedum paroxysmus, hoc die, ut in pandiculatione fit; qui tandem in nervum erumpens, totum corpus instar tetani distendit. Quietes longiores, pauciores & breviores motus erant: mutus in motu violento & quiete mansit. Quamvis nescio cujus rei casus nomen salvatoris expresserit, reliqua vox gemitus & suspiriū; quinto die mutus, quiesque horarum sex & plurium, motus convulsivus duarum & brevius. Sexta vena brachij dextri magna aperta fudit sanguinem rubrum, crassum, paucum, ob lipothymiam, sine tensione muscu-

lorum. A vena secta paroxysmus nullus; mens sana, quæ tamen effari nil potuit, nutu monstrabat artuum lassitudinem. Nono vox rediijt, è faucibus adfirmans aliquid decidisse ad inferiora, adscribebat pharmaco purganti, quo usus, quod globosa projecit, quorum mihi inanis sedulitas adstantium denegavit conspectum. Negavit se nosse quicunque eorum quæ à cœna illa, à qua deliquerat ut loquebatur, secum acta sint, usque ad sectionem venæ. Interim noctes inquietæ fuêre, cum terrificis insomnijs: Dies verò optimæ, ita ut omnia munia sanorum obiret. Vagabatur in plateis æger, nec se tali adflictione fatigatum fuisse sciebat. Vino purgante usus, sed non ut decebat. Sorores cacochymiam, quæ scabiem comitatur, accusabant, ego Silenum senem & Cypriã juvenem absolvere nolui à suspicione mali intentati; sanguinem ex sinistro brachio detrahere post mensem jussi. Quam sectionem spasmodica secuta est passio, qua membra extima distendebãtur & extendebantur, ut ne equulei major sit tortura, digitorum larga expansio, caput in scapulas refringebatur, den-

tes co-

tes cohærebant, mox magno hiatu os apertum, lingua ſurſum torta, pedum tremor, totumque corpus pandiculante tremore concuſſum eſt. Clamor vehemens non excitabat ipſum, nec ex morbo redux noverat acta. A ſecta vena quinque noctibus hora ſomni prima pādiculationes, tremores, & convulſivum ſpaſmum ſenſit, quæ dulcis ſomnus, vigilia alacris ſecuta manè inſomnium vocitavit terrificum, omne illud malum quod paſſus. Octiduo poſt integer degit, & cum eum negotia deſererent, otio uſus eſt minus ſalubri, unde hoſpes rediit hoſtilis, ſpaſmodicæ torturæ, vincula linguæ, adſpectus torvus, manus in pugnum contractæ, mentiens geſtus ferientis, quaſſatio lecticæ ſpondæ pedibus diſtentis; hiatus oris terrificus; Hæc utique in acceſſione fiebant, ubi ad mali remiſſionem perventum, manus miras geſticulationes dederunt, in altum, in depreſſum, in gyrum, ita ut hyſterica vitia ſaperent. Non ſemini adſcribere volui ſuppreſſo; haud enim retinebat, cum amaret non renuentem ſeu reluctantē. Phyltri putabam effectus. Itaque Theriacam dedi, à qua melius habuit.

Cui conſervam magnam præſcripſi; qua dum utitur integro menſe dextrè valet: Redijt ex iracundia terribilis hoſpes,& terrificos motus violēter& fortiter cauſavit. Purgato corpore pilulis ex extracto Melampopij & pilulis cocchijs evomuit materiam viridem amaram primò, mox nigram auſteram, 3. cibum cum pituita, in dejectione bilis, & flava & atra erat cum plurimis ſquibalis.

SCHOLION.

Distensiones has membrorum cum ſenſus & intellectus abolitione, Epilepsiam an rectè pronunciarim Aretæus & Galenus docebunt. *Lib. 1. c. 5.* Clara eſt Aretæi ſententia, quæ lumen meæ opinioni clariſſimum, ſplendidiſſimum adfert. In ipſo comitialis morbi inſultu, ſenſibus captus homo jacet; *Symptomata Epileptica.* manus ipſi nervorum diſtentione convelluntur: crura verò non ſolùm diſtracta ſunt, ſed etiam huc atque illuc à tendonibus proijciuntur. Id genus calamitatis jugulatis tauris haud abſimile eſt; cervix incurvatur, caput variè diſtorquetur. Siquidem nonnunquam Pro-

NUM,

NUM, ceu arcus inflectitur, quando pectori maxilla adhærescit: nonnunquam verò in SCAPULAS REFRINGITUR: veluti his qui per vim crinibus trahuntur, usu-venit, quando modò in hanc, modò in illam partem ad humeros admovetur. Sic laborantes magno hiatu os aperiũt: id siccum habent, linguam prælongam: ut periculum sit, ne aut magno vulnere saucietur, aut penitus abscindatur. Interdum convulsione dentes inter se colliduntur: oculi inversi sunt; palpebræ cum palpitatione frequenter dehiscunt: quod si quando connivêre velint, palpebræ non committuntur, sed alba oculorum cernuntur, ac subapparent. Supercilia nonnunquam, ut his, qui ad irã concitantur, in glabellam attrahuntur, nonnunquam ad tempora vehementer admodum revelluntur, ut cutis circa frontem valdè prætenta sit, atque in superciliorum medio rugæ evanuerint. Malæ ruentes palpitant. Labia interdum quidem in acutum clauduntur, interdũ verò ad obliqua dilatantur: quando in ridentis speciem dentibus circumtenduntur. Malæ rubent quidem, sed cum morbus increvit & faciei livor accedit;

cervicis vaſa diſtenduntur: vox, ut in ſtrangulatu, aufertur: etiamſi vehementer inclames, non ſentiunt: Eorum vox nihil niſi gemitus & ſuſpirium eſt, reſpiratio verò ſuffocatio quædam eſt, veluti in his, qui laqueo ſtrangulantur &c. Illuſtris hæc deſcriptio hujus mali, accedit luminis plena ad hiſtoriam propoſitam, & nil videtur in eo, quod non apud Aretæum audiatur. Galeni ſubtilitas etiam huic ægro Epileptici dabit nomen. Siquidem ille, 3. locorum Adfect. 7. ſic Epilepſiam deſcribit.

Epilepſia quid? *Morbus Comitialis eſt convulſio omnium corporis partium non perpetua ut in Emproſthotono, & opiſthotono ac tetano videre eſt, ſed quæ ex temporum accidit intervallis, cum mentis quoque ac ſenſuum oblæſione.* Tria hæc in Convulſione hujus hiſtoriæ obſervantur. Primum, quod in eo omnes per totum corpus partes convellebantur. Secundum, quod ſenſus & intellectus oblæſa fuerint. Nihil enim ſenſit, etſi dentes firmiter impreſſerat ſpathomelæ; nec vehementi clamore excitari potuit, non vi extractus pollex ex pugno commovit; intelligebat nihil, & quæ acta fuêre non memorare poterat. Tertium,

rium, Convulſio nõ fuit perpetua, cum membrum non rigidum permanſerit diu. Intervallum temporis autores non uno intelligunt modo: vel enim intervallum hoc intra paroxyſmum & paroxyſmum eſt; aliud in uno quoque paroxyſmo, quatenus convelluntur omnes muſculi, ſed non ſimul, eò quod alij muſculi tendantur, alij relaxantur in eadem acceſſione.

Intervallũ tẽporis in Epilepſia ut intelligatur.

Celſus primam diſtinctionem ſic explanat, quod interpoſito tempore ad ſe redeant, & per ſeipſos adſurgant. Lib. 3. c. 23. Secundam Nicolaus Stupanus feliciſſimus interpres Galeni, præceptor fideliſſimus; ita explicare videtur, muſculos in Epilepſia modò flectẽtes, modò extendentes alternatim trahi verſus ſua principia, Theſi 59. Tertiæ partis Pathologiæ cap. 3. Theſi 84. Semeioticæ particularis cap. 1. Concuſſionem horrendam vocat, qua non partes rigidæ manent, ſed muſculi vel contracti extẽſivè membra ſecum trahant. Ambo hæc intervalla an in hiſtoria ægri hujus reperiri poſſint, quæritur? De primo non eſt controverſia, longius & pluriũ dierum fuit, de ſecũdo inter me & Col-

legam diſputatio erat: Sanè extendentium muſculorum verſus ſua principia attractio ſatis longa, & membra rigida fuerunt, at quæ finem agnoverunt, & locum dabant attrahentibus, ut in crurum motu obſervare licuit. Nec opus eſt ut in Epilepſia ſubſultus fiat membrorum convulſivus ſemper: Salius peculiare facit hoc genus Convulſionis, & motus convulſivos vocat. Quotidiana proh dolor experientia docet, non mẽbra in Idiopathicæ Epilepticis horrendo motu concuti alternatim, ſed etiam diſtendi fortiter, & id ſæpè longiùs, manus in pugnos contrahi fortiſſimè, ut flecti vix poſſint. Retrotrahi ſpinam, aut ad pectus maxillam attrahi Aretęus cum experientia adfirmat; At hæ figuræ etiam Opiſthotoni, & Emproſthotoni nomenclaturâ venire poſſunt: Epilepſiæ tamen erunt ſpecies; ſi totum corpus convellitur, & RECTRICIS Partis fit cohibitio, ut eloquitur Galenus de Symptomatum differentijs. 2.

Clariùs acceſſiones poſteriores hoc enodant: Et hiſtoriæ Decadis quintæ Convulſionum amplam diſcurrendi de controverſia hac dabunt occaſionem.

Quid verò hujus juvenis mentem consternârit, ut ſenſibus nihil perciperet, & ab intellectus opere ceſſarit, organa motus agitârit primariò, relatio non dedit. Sanguis emiſſus laudabilis fuit, nec ſemen caſtos habuit teſtes. Cacochymiæ erant ſigna, ſtigmata ſcabiei, & in animi defectionem prona natura, quæ à me cũ viſa non ſit, ſuſpicabor eum tali paſſione laboraſſe, quæ ad Catalepſin proximè accedit. Perſuadebam mihi clanculùm ad amatam peregrinationes fortè Zelotypam ob rumores alterius ei nupturę aliquid monſtri aluiſſe, & pro amore neſcio quid amari hauſiſſe. Adeò terrificæ torſiones, & prodigioſi oris hiatus, geſticulationes variæ & miræ erant, ut in ſuſpicionem me deduxiſſent, ni in triſtem partem ſtrenuior eſſet ſuſpicio. Poſteriores paroxyſmos quos rixæ & ira promoverũt, diſtractus, quid pronũtiem, dubito. Laborantis geſtus iracundi ſimilimi erant; oculis hirquis, & torvis neſcio quos invadentes in angulis hypocauſti quærebat, ac minaci pugno, inſtar accincti ad pugnam loca notavit, hæc ſecuta torſio membrorum & diſtẽſio calcitrans pedum; & quo minori acta

Der argwohn iſt ein ſchalck.

hæc ſunt tempore, eo mirabiliores erant geſtus. Bilis non auſus proventum dicere, cum paroxyſmus ceſſiſſet his Bolis, ℞ Theriacæ Andromachi veteris ætatis, extracti Diapœonias ana ʒs. Fiant ex Mixtis Boli ɴ. tres, veſperi ſumebat unum, alterum manè, tertium ſequente nocte, benè habuit; hyſtericis technis ſimilima accidentia ad hoc medicamentum me vocarunt. Quod cum profectus faceret nõ exiguos, ſuſpicio ſiquid: amoris poculi me vocabat ad Theriacæ veteris uſum, & Epileptica Symptomata ad extracti. Bilem flavam abſolviſſem planè ab hac labe, ni jurgia, rixæ, iræ, Si lenis unda decumana revocaſſent tortores ad membra poſt menſem exagitãda. Toto hoc menſe uſus fuerat mixtura huc Electuarij inſtar. ℞ Conſervæ Florum Tiliæ, Liliorum convallium, Peoniæ ana ℥j. Anthos ʒvj. Bethonicæ ℥j. Radicis Scorzoneræ Hiſpanicę conditæ ℥s. Nucis myriſticæ Luſitanicę cõditæ, ℥iij. Corticis citri ſicci conditi ʒs. Rad. peoniæ ʒjs. S. Peoniæ ʒj. Cranij hominis p̃parati ʒij. Pulveris Marchionis ℥ß. Specierum contra Apoplexiam ʒij. Cum Syrupo de Bethonica ſemp. ℥ijß

Fiat Electuarium, cui inſpergebantur ſpiritus vitrioli gut. vj. Capiebat juglandis minoris quantitate manè evigilans, & noctu dormituriens. Et hujus remedij uſus conducens, philtri ſuſpicionem, & bilis furorem ab hac labe removet. Theriaca inprimis morbi temporibus, exacerbationes dedit majores, at poſt duos mēſes ſingulariter profuit. Nec mirum: in principio paroxyſmi corpus verè cacochymicum fuit, natura ægri melancholiam ſapiebat, niger crine, fuſcus facie, lingua pauciloquens, otioſæ vitæ, ætate tamen juvenis, ac ſociabilis: itaque purgato corpore, ex potione facta ab extracti Cnicopharmaci ℈iiij. cremoris tartari ℈ß. cum aqua Squammariæ diſſolutis optimè, & è vena detracto ſanguine brachij dextri, medicamenta antiepileptica primum invenere locum, qualia fuêre, aqua Hirundinum compoſita, & Epileptica Langij, de quibus bibit, ſæpius: Fuit etiam ipſi in potu decoctum viſci querni in aqua cū ſ. coriandri; Item extra paroxyſmi furorem hoc transfuſum. ℞ Sacchari albi fini ℥iv. Radicis peoniæ maris inciſæ ℥ſ. Viſci querni inciſi ʒij. Vini albi ne-

carini

carini Mensuram j. Aquæ communis quartarium unum, vinum fuit oligophorum; fiat transfusio liquorum supra species, per manicam Hippocratis calidè vicibus quinque, transfusum detur refrigeratum. Hoc alterato vino, à vena secta est usus: prætulit tamen aquam decoctionis coriandri & visci querni, cũ dulcia fastidiret, & tenuioris Cervisiæ potum expeteret. Tragea à vena secta usus, ex pulveris Marchionis ℈ij. Radicis Scorzoneræ Germanicæ. ℈j. specierum diambræ completarum ℈j. Troch. de Gallia Moschata gr. v. & ℥vj. Sacchari fini, facta; Et Theriacâ, cum fructu. Viribus aliquo modo refectis, cum adhuc subtristis, mussitans obambularet, & clàm ex ædibus avolaret, vino purgante Cacochymiæ me opposui. ℞. radicis Peoniæ, Acori vulgaris, Pimpinellæ ana ℥s. Turbethi gummosi ʒiij. herb. Absinthij Mj. Bethonicæ, origani, chamædrios ana Pj. Florum Peoniæ, Lavendulæ, Liliorum convallium, Tiliæ ana Pj. sem. Foliorum Senæ mundatorum ℥js. Rutę p. j. S. Feniculi ʒiij. Agarici trochiscati ʒijs. Cort. rad. Capparorũ. ʒij. Cremoris tartari in nodulo ligati ℥s, Calami aroma-

Vinum purgans.

aromatici ℥j. Rhabarbari electi ℥ij. Incisa, misce ad sacculum, cui superfusum vinum necarinum ad libras tres seu Mēsuram unam, & semis Augustanæ mensurationis fuit, hausit pro vice quartarium, purgatus benè. Absolutis frequentioribus evacuationibus, rursus sanguis detractus est. Evacuatis itaque & demtis aliquo modo noxijs materijs, antidoti usus non, ut prius exacerbavit noxam, quin abegit, quia ejus vis minor erat. At cum superioribus Scholijs dictum effusionem spirituum animalium in nervos & musculos violentos Epilepsiæ dare motus, quęreret fortasse quidam, cur venæ sectione sanguis extractus sit, qui non tumultus hos in corpore dat. Indicat sui ablationem per venam apertam sanguis, si aut copia aut vitio exuperat, aut furore quodam in corpore agitatur. In prima historia tardatus remoratusq; sanguis diminutus est. In sequenti furore agitatus; hic vitio infectus quem vestigia scabiei recentia, & confessio propria sic indicarunt. Edoctus Galeni oraculo, quod habet capite 10. li. de Curandi ratione per sanguinis missionem; hoc feci, qui in Epilepsia jubet sanguinem

Cur venā secuerim in hoc malo.

nē emittere, maximè, si quis tale, (quod de nostro narratum fuit ægro) antea non perpessus est unquam, geminamq; jubet facere (quod & huic factum) maximè si in victu prægressa est intemperantia, (& illud subolfeceram), maximè si melancholici succi redundantia est, (nec hic defuit). Cornelius Celsus lib.3. c.23. In accessione prohibet mittere sanguinē, maximè si nervorum magna est distentio, ideoque in quiete & laxis jam membris, huic & prioribus venam aperui. At cur non in talo ut Cornelius Celsus, aut in cruribus, ut Galenus & Mesues, venam tundere jusserim; Sanguis vitiosus dictus & cacochymia magna prægressa in causa fuerunt; jubet siquidem Oribasius lib.8. c. 3. post accessiones cubiti incidere; Et Platerus, humerariam & Cephalicam brachij aperire, nisi menstrua suppressa, aut hœmorrhoides occlusę aliud suadeant. In virgine venam brachij, & postera die in pede adperuit, ut videri in Tract. 1. lib. 1. c. 2. potest, & in observationibus proprijs. De Aphonia horum ægrorum in sequentibus amplus loquendi campus aperietur.



CASVS V.

APHONIA EX CASV ab alto.

FAmulus à pedibus Dynastæ cujusdam, qui, in quodam conventu apud nos, legatum Electoris VVestphaliæ, agebat, vino somnoq; sepultus, noctambulonem egit infaustum. De subdiali enim quodam cecidit supra occipitium, quod læsit, non quidem frangendo cranium, sed cutim vulnerando, & cerebrum concutiendo. Inventus ibi post aliquot horas à famulis lotricibus, à quibus in lectum attonitus, ex vini an sopienti stupore, an ex casu, aut ab utrisque non explano, deductns est. Quod ante diluculum factum, quod in Majo maturum satis. Cerebrum in occipite contusione confusum aut consternatum, memoriam labefactavit, vocem abstulit, rationem ab officio sevocavit. Sinistra pars inprimis collisa videbatur, quod suffusus sanguine oculus sinister optimè notavit; Attonitus totus fuit, & quid secum ageretur haud sensit.

sensit. Chirurgus tractavit superficiarium vulnus, & fomentationem capiti adhibuit. Deprehendi ego, vocatus tertia die, attonitum, & cum pisce certantem taciturnitate; præscripsi itaque clysma sequens revulsionis ergô. ℞ herbarum Malvæ, Bismalvę ana Mjs. Mercurialis, Betæ viridis, ā Ms. Origani Pj. Florum chamomeli Pjs. Radicis Polypodij querni ℥ß. sem. carvi ʒiij. Coque in s.q. aquę communis, Colaturę ℥x. adde olei, Laurini, Castorei ā ℥s. Fl. chamomillę ℥ij. Electuarij hieræ Logadij ℥s. Mellis Mercurialis, Rosarum laxativi ana ℥j. Mellis primulę veris ʒvj. Salis p.j. F. Enema, laxata ab hoc clysmate aluo; vena post meridiem aperta fuit, sanguis qui effluxit, statim concrevit. Confortationis ergò, & ob suspicionem imminentis Epilepsię hęc aqua ordinata: ℞ Stillatitię Epilepticæ Langij Mirabilis ejusd. ā ℥s. spir. cerasorum nigrorum ʒij. Aquæ Anthos, Bethonicæ ana ℥s. Ambræ griseę gr. ij. ol. succini gut. ij. Tab. de extracto xyloaloës. ℥s. Misce. Capiebat de hac aqua, qua excitare attonitum volui, cochleare unum quarta quaq; hora. Fomentum paratum fuit capiti, quod

quarta

quarta die adhibitum fuit. ℞ herbę betonicæ, agrimonię, chærę fol. j, Origani, Fl. chamomeli, melilochi ana Pj. Rosarũ rubrarum Mj. Radicis Angelicę ℥s. Incisa misce & include sacculo, quem coctum in vino calidè loco læso chirurgus admovit, & fomentavit. Metuebam hac die febrem, nec pulsus renuit, quare Cornu cervi decoctum dilutum Julebi violati ℥iv. & vini Ribium tantundem in potu esse jussi. Quinta alvum clysmate sollicitavi, ut à capite nonulla revellerem. ℞ herbarum Malvæ, mercurialis, betę viridis ana Mj. Florum chamomeli, origani, majoranę ā pj. sem. carvi ℥s. Carycarum pinguium N. v. Coque in s.q. aquæ communis, Colaturæ ℥xij adde olei florum chamomeli ℥ij. Castorei, Rutę ana ℥s. Electuarij hierę Logadij ʒv. Mellis rosati laxativi ℥js. Mellis Anthosati ℥s. Salis p.j. fiat Enemą. Nec sic excitatus, licet quidã spiritus vitrioli, acido copiosè infuso, excitarit motum corporis ad violentiam. Emplastrum de hedera præscripsi, ℞ Therebinthinæ Venetę, Gummi hederę, cerę ana ʒvj. Resinę purgatę ʒj. olei rosarum ʒv. Gũmi ammoniaci ℥s. succi hederę arboreæ

℥j. Farinę fabarum q.s. fiat emplaſtrum. Quod attonito poſt fomentationem ex herbis ſupra annotatis, bis in die adplicatum. Et cum febris eſſet nullum indicium, ſequentia ordinavi, ℞ Aquæ ſtillatitię Squammarię ℥ij. Epilepticæ Langij, Mirabilis ejuſdem, Picarum ana ℥j. Bethonicę ℥ſs. ſpiritus ceraſorum ʒij. Troch. de Gallia moſchata gr. iij. ſpecierum contra apoplexiam ʒj. Tabularum de extracto xyloaloës ℥j. Miſce, ſæpiùs exhibita fuit; Mithridatium palato illinebatur, & deglutiebatur, naribus ſternutatorium liquidum infuſum eſt, ex pulvere ſternutatorio excepto ſucco betę viridioris, & aqua majoranę, per quatriduum hęc ſunt continuata. Vitalia erant integra, ratio vacillabat, loquela deficiebat, oculus ſiniſter ſuffuſo ſanguine fuit commaculatus, ſiniſtra pars capitis adflicta magis, deglutiebantur intruſa in os tanquam à mente capto ac attonito, & talis erat, ſomnus multus, comatoſus. Nono die purgavi corpus. ℞ Extracti maſſę pilularum cochiarum ʒj. oxymelitis ſquillę ʒij. Mellis anthoſati ʒj. aquæ bethonicæ q.s. Fiat exigua potio, alvus ſaburram depoſuit copioſam.

ſam. Decimo cum omnis abeſſet caloris præternaturalis noxa, talem potum ordinarium præſcripſi. ℞ Radicis Sarſæ pariliæ ℥js. Ligni ſaſſafraſij ℥s. Viſci querni ℥s. macerentur per horas ſex in aquæ fontanæ menſuris quatuor, loco calido, vaſe benè cooperto, coquantur poſtea lento igne, ad caſum menſuræ unius, in fine decocti ebulliant ſeminis coriandri præparati, cinnamomi ana ʒj. Aqua hæc colata & refrigerata potus erat ordinarius per viginti dies; cum verò alvus adhuc pigra eſſet, duodecimo clyſter adplicatus, mentem conſternatam revocavit, cæteris adjuvantibus, nutuque ad interrogata quaſi reſpondebat. Fari cœpit decimaquarta & loquebatur de doloribus corporis ex concuſſione. Itaque pectus dolens unguento Anodyno, oleo chamomelino, & caſtoreo cõmixtis illinitum fuit: hauſtusque plurimos ſumſit potionis traumaticæ. ℞ herbarum Bethonicæ, primulæ veris cum toto, agrimoniæ, pyrolæ, hederæ terreſtris, ana Ms. Florum Anthos p. s. Lavendulæ p.s. Roſarum rubrarum Radicis Angelicæ, Conſolidæ majoris, ã ℥ß, feniculi ʒiij. viſci querni ʒij. Coque

 in men-

in mensuris aquæ fontanæ duabus, ad casum ℥xviij. colaturæ adde, Syrupi de Bethonica simplici, de hedera terrestri ana ℥js. Symphyti Fernelij ℥j. Misce, Capiebat uncias quatuor pro vice, manè & vesperi. Decima nona rursus purgatus ex hac potione, ℞ Extracti Cnicopharmaci ℈iiij. panchymagogi ℈s. phlegmagogi, gr. viij. dissolvantur cum s.q. stillatitij Bethonicæ, cui adde Mellis anthosati ℥s. oxymelitis squillæ ʒiij fiat potio. Secesserunt plurima, Mens constabat, loqui poterat, diu tamen extra tectum non licuit esse: Occipitio inungebatur hoc unguentum, ℞ Unguenti de Bdellio, Olei Castorei ā ℥j. Rosati completi ℥js. aquæ vitæ aureæ Lāgij ℥s. Misce agitando benè. Vicesimotertio rursus purgavi. ℞ Mellis anthosati ℥s. Extracti Cnicopharmaci ℈iiij. Extracti pilularum cocchiarum ʒs. aquæ salviç q.s. Potio fiat: benè purgatus; incedere potuit, in diversorio obambulavit, vinum feriebat caput, potum, ideoque decocto usus est priori: & Tragemate hoc capitis debilitatem fugare tentavit; ℞ specierum diarrhod. abbatis ʒj. Contra apoplexiam ℈iiij. Diambræ ʒj. diaxyloaloës,

aloës, ſem. coriandri præparati, ſeminis Peoniæ ana ℈ij. ſeminis Erucæ ℈j. Sacchari roſati tabulati ℥vi. Miſce, & fiat Tragea. Cogitabat de abitu, qui tertio & triceſimo morbi factus, diſceſſit ſanus, niſi quod Cerebrum adhuc debile & memoria imbecillis maneret; Ordinavi itaque tabulas has. ℞ Specierum aromatici Cariophyllati, ʒs. Diambræ completæ ʒj. Pleres Archontic. compl. ℈ij ſem. coriandri præpar. ℈j. Sacchari albiſſimi diſſoluti cum aqua Ceraſorum, fiant Rotulæ majores, quæ viatici inſtar erant. Dominum legatum ſecutus ſatis commodè degit.



CASVS SEXTVS.

MOGILALOS A LINgua læſa.

SACRISTANO cuidam, annorum quinquaginta novem, facie rubra, temperamento melancholico, in templo negotioſo, & domi otioſo, uſus linguæ impeditus quoad loquelam fuit, & guſtus planè proſtratus. Mucus ſiquidem

lentus, copiosus, crassus totam investije linguam, ac palato quasi adglutinavit. Huic injectum pharmacum in anum, saburram elicuit copiosam, & scrupulus pilularum cochiarum excrementa plurima protrusit, revulsio etiam fontanellâ tentata commodè. Liquidis crassiora commodiùs deglutivit. Collega mihi fuit Clarissimus & Excellentissimus nostrorum Pharmacopoliorum visitator Octavianus Brendlerus, communi consilio etiam membro læso auxilium adplicavimus. Linguam & palatum eluentes gargarismate ex aqua prunellæ ℥iiij. Bethonicæ ℥iij. Aceti squillæ ℥j. Mellis rosati colati ℥ijs. Rob. diamoron ℥s. Miscce, quibus sæpiùs in die lentorē & viscitatem ex palato evocavimus. Descendebat ex capite lentus, viscidus ac tenax humor, quem Errhinis sevocavimus à lingua. Cuius vim latitantem & sepultam eruere, & evocare frictione Theriacæ dissolutæ in spiritu Cerasorum, & stillatitio salviæ tentavimus, non sine successu. Cocchiis pilulis ad ʒs rursus purgatus, secessu & vomitu noxium ejectum est. Repetita est hęc purgatio octiduo pòst, sed ad ℈j. saltim, & cum

maxi-

maximo fructu. Fari, ſed ſemiblæſus cœpit, inſtar mogilali, quũ pauciſſima proferret. Datum eſt reliquum temporis, aquis Cephalicis, & pulveribus roborantibus cerebrum. Integra tandem rediit loquela, ſed paulatim, & vacillans mens habuit opus grallis; membris reliquis vitium nullum erat. Poſt annum apoplexia perfecta in alterum vocavit mundum, toto anno quaſi ſanus cum vixiſſet.

SCHOLION.

LOQUELÆ abſentiam in his quinque mutis diverſas agnoſcere cauſas creditu facilè. Deficit vox & oratio, aut quia materia non ſufficit, aut organa inhabilia, aut Artifex non ſuum munus peragit. Materia vocis Aer eſt exſufflatus copiosè, vel ſpiritus adfatim foràs elatus per muſculorum inter coſtalium actionem, quem ſi larynx moderatur, & lingua diſtinguit, fit oratio. Sunt enim inſtrumenta vocis larynx, orationis lingua, muſculis ita inſtructa, ut pro arbitrio noſtro in omnes partes corporis moveri queat: adiuvant eius laborem labia, maxillæ, genæ inferioris partes.

Aphoniæ cauſa.

Quibus denique subministram operam præstant palatum, gurgulio, dentes, foramina narium. Serviunt Laryngi etiam musculi, qui eum ut plectrum regunt ad moderationem efficiendam congruè.

Artifex est facultas animalis, quæ per nervos suum opus perficit, & vim suam largitur musculis. Nervi sunt duplices, quidam vocantur sextum par, quod à cerebro descendit, cujus portiones quædam recurrunt à thorace; quidam septimum par seu conjugatio, qui inserunt musculis linguæ. His ita ex Galeni mente positis, facilè erit de diversis his obmutescentiis judicium ferre. In juvene collapso supra nucham, artifex impeditus vim suam denegavit instrumentis vocis & loquelę; accepit enim ea pars ametriam ex casu valido, ubi latitant canales, per quos vis descendit ad musculos laryngis & linguę. Spiritus cerebri confusi cum humoribus in postica cerebri parte exigua vi ad organa vocis descenderunt; non puto vas ruptum sanguinem fudisse in cerebrum, quia nec calor prętet naturam urens, nec mēs nimium aberrans fuit. Repleta cadenti arx rationis vinoso vapore erat, obscu-

rarunt

rarunt nubes hæ radios rationis, & coë-gerunt quasi: Resolutis itaque his humoribus, discussisque vaporibus crassis à decoctis ligni & herbarum, ac per errhina evocatis, sensim rediјt loquela, & memoria vacillans robur adsumsit. Mulier quædam supina cadens de subdiali, occiput allisit gradibus scalæ, unde aphona ac attonita, huic iussi venam etiã menstruatę secare, clysteres ordinatos à me & aliјs Medicis non admiserunt: Fomentatio facta à cephalicis, & Emplastro de Gummi hedera adplicato, noctu nil levaminis sensit, quin potius Epilepticis insultibus agitata pro deplorata ab adstantibus habita. Superstitiosum muliercularum genus nescio, quod amuletum contra Epilepsiam sub culcitra posuit, quod vocabant coronam serpentum, fuerunt cornua simillima cervi volantis, sed albida, pura, tersa. Viginti quatuor horis sub calcitra latitabãt, nec ullus motus ab illo supposit u prodiјt spasmi. An huic amuleto adscribere debeam ignoro. Hoc novi, motus hos exclusisse à cerebro quicquid ex concussione latitabat in postica, quare nos revellentibus usi sumus. Et in hoc casu

concurrentes nos medici, nullus alterum vidit, & symbola erãt diversa. Quilibet igitur sibi tropheum posuit. In sene lingua copioso muco, & viscido humore, ac lenta pituita septimi paris vim non sensit nervorum, nec huic conjugationi defuisse læsionem credibile, cum cerebrum proventum humoris senserit pituitosi, hinc vox & sermo ipsum ad tempus destituit, prodierunt verò integra remotis enarratis obstaculis; quamvis primò blæsus erat. In Adoscente nostro, an Artifex læsus fuerit, cum spasmodicis motibus agitatus, ut vult Galenus lib. de Loc. adf. 4. c. 6. an verò musculi Laryngis convulsi soli in causa fuerint, disputare licebit. Ambobus ego tribuerem, ni aphonia longior fuisset convulsione, ni sensisset æger quid ex gula decidere, cum loquelam reciperet. Hystericis nostris accidisse ex spasmodica illa contractione, de qua Piso in libro de morbis prætervisis, ut laryngis musculi diu manserint rigidi, credo. Parvi illi sunt musculi, quibus alluit sæpiùs humidum, quo imbuti & repleti, contracti diutiùs & rigidi manserunt. Quin intercapedines musculorum

Quod conspicuus tumor colli magis docebit.

rum

rum ſpiritum ex pulmone efflatum recipere poſſunt, qui eos magis diſtendit in contractione ſpaſmodica, ut flatulento in ſpaſmo fit, quibus diſſolutis cedit illa contractio & rigor, vox ac deglutitio redeunt. Et hæc videbatur mihi cauſa, quod & extra paroxyſmum violenter moventem hi muſculi rigidi aphoniam causárint. In ipſo paroxyſmo hyſterici mali, poſſet etiã alia cauſa dari, nimirum reſpirationis defectus, qui eſt in hyſtericis; unde paucitas materiæ vocis. Ad formationem enim ſermonis quinque requiruntur actiones, expiratio aëris in reſpiratione ſimplici; Expiratio aëris copioſioris ſed citra ſonitum; Expiratio ſonora; vox & oratio. In hyſtericis in paroxyſmo, ſimplex ſeu ordinaria reſpiratio eſt, qualis in tacente & ſedente homine fit, nec copioſus cum ſono aër expiratur, multò minùs figurat larynx vocem, & lingua orationem. Quæ breviter de aphonis hujus decadis.

Actiones in formãdo ſermone.

Meminit cujuſdam de tecto cadentis, & oſtendentis ſiniſtram capitis partẽ, qui etiam mutus per 45. horas mãſit, & poſt Epilepticos mot⁹ ad ſe rediijt, Diomedes Cornarus obſervationum Medicinal. 15.

Hiſtoria alia.

Præ-

1624. Præterito anno de tecto ex contignatione quarta cecidit quidam murarius in pedes, & tandem in dorsum salvis omnibus membris, nisi quod totius corporis conquassationem accusaret, cui chirurgus emplastra exiccantia adplicavit, ego clysmata, venæ sectionem & & purgantia, traumaticaque. Senex nostri nosocomij chirurgus, emeritus, qui quinquaginta & pluribus annis præfuit, fila ex lino cocta in lixivio doloribus calida adplicavit, non sine aliquo levamine.



CASUS VII.

EPILEPSIA A MANU *sinistra orta.*

TEXTORIS cujusdam uxor quinquagenaria cum urina, patrio more, & Germaniæ errore, me consulendi causa convenit; tincta erat bile & tenuis urina, sed ex hoc tripode hariolari morbum non licuit. Itaque morbi dum typum eloqui tentat, ipsa membra expresserunt eum meliùs. In colloquij medio manus si-

nus sinistra, & brachium idem tremere incipiunt, mox corpus totum, hunc tremorem convulsivi motus sequebantur, ijque fortissimi. Casum corporis preveni positum in lecticam proximam Musæi. In manu erat nullum inditium mali manifestum, nec ipsa quidquã accusabat præter omissam phlebotomiã. Aiebat sentire se frigus quoddam in manu sinistra, quod insulrus hos semper præcederet. Caput dolebat, corpus erat rugosum, macilentum, squalidum. Purgavi fortioribus pilulis corpus, & in manu salvatellam jussi aperiri sinistra: & si sentiret prodromum paroxysmi in manu, eam constringeret fascijs: cerebrum verò his confortãtibus muniret. ℞ Specierum diarrhod. abb. ℈iiij. Succini præparati cum aqua tiliæ, visci querni, S. peoniæ maris, ungulæ alcis, cornu cervi usti ana ℈j. Misce fiat pulvis, de quo caperet ℈s. pro vice in aqua Cerasorum nigrorum. Convaluit. Rumor quidem tùm erat, illam tales paroxysmos sæpiùs finxisse, si ædes numis vacuæ essent, ut à fraternitate Corporis Christi visitata, largiores eleemosynas acciperet.

Nota hæc in priori dosi præscribi à me, ut faciliùs solutioni sufficerent, & convenientia faciliùs reparent emendet.

SCHO-

SCHOLION.

Mirarì fortè quidam possent, tantæ energię virus latitare in manu, cui signum ab extra nullum est, nec latitantis noxæ inditium. Non nego virus in corpore gigni posse, adfirmavit id Pelops & Galenus, quod nervosis partibus bellum & inimicitias intendere valeat; sed an sine partis corruptione, titubare me facit Carolus Piso. Negat siquidem is per consensum Cerebri fieri morbos, nisi pars illa, cui consentire debet, revera præter naturam adfecta sit. In nostra ægra ante & post paroxysmum integræ actiones manus fuerũt; initium paroxysmi à tremore manus & brachij sinistri fuit, mox totius corporis tremor secutus, ac quædam jectigatio. Tremor verò è duobus constat motibus, quorũ nullus totus perficitur, sed altero incipiente adhuc statim contrarius motus conjunctus reperitur. Pugnæ adsimilat Galenus 2. de sympt. causis cap. 3. Unus est facultatis moventis corpus motu animali, alter corporis moti, quod movetur naturaliter. Corpus siquidem, ut res gravis adpetit, motum deorsum

Tremor quid?

Lib. de Trem. c. 5.

sum. At cum invita facultate animali, quæ non sine proæresi agit, membrum ad inferiora delabatur, pugna hæc manifesta cernitur, in qua membrum deorsum ruere, ut in paralysi solet, facultas movens voluntariè permittere renuit, gravitas membri in sublime ferri membrum à facultate, ut dum valet homo, non permittit. Dum igitur modò victa, modò victrix est facultas, fiunt hi compositi motus. Quæ jocundissimè Galenus de causa impulsiva duorum horum motuum. At causa quæ præparat partem movendam, ut resistat voluntati & facultati moventi, aut quæ hujus vim infringat, alia quærenda. Nec enim debilitas facultatis moventis, etiāsi consideretur respectu corporis movendi, ut vult Galenus c.3.& 8.de Tremore& Palpit. & 2. de Sympt. causis. 3. morbus dici meretur. Sic tremor in bajulorum pedibus ob onus gravius sublatum non symptoma est, quia nō à morbo enatus. Fortè nec tremor manus in bibulis. Cū morbus sit partium corporis, nec opifex movens malè agat, nisi instrumenta malè disposita sint; quia anima nil nisi per corpus patitur. Si igitur opifex seu facultas

cultas debilis censetur, Cerebro erit vi-
tium, cujus discrasia spiritus æthereus
nec resarcit, nec retinêre valet, aut con-
sumsit, ut in febribus ardentibus, in se-
nibus. Si verò aberrans; instrumentis
noxa erit, quando aut nervi aut musculi
morbum patiuntur, aut discrasiam quã-
dam morbo æmulam, quam narcotica
vis vini infert. Au pars onus quoddam
habet morbidum, quo reluctatur facul-
tati. Quale, repletionem dicit Galenus
partis, etiam à sanguine. Et tale tremens
seu jectigatum brachium dextrum vidi
Historia. Anno 1622. in Nosocomio Servæ cujus-
dam. Hujus totum corpus quiescebat
solum brachium jectigatione spasmo-
dica concutiebatur, cacochymica erat,
crassa, cum menstruis parcis. Purgato
corpore, præmisso tamen prius præparã-
te, ℞ Syrupi de peonia ℥ij. Melyssę, Ar-
themisię, ã ℥j. (uteri mihi hęc miracula
videbãtur) oxysacchari cõpositi ℥j. spi-
ritus vitrioli gut. iv. M. ℞ Extracti Cni-
copharmaci ʒj. Melanogogi ℈s. M. Fiant
Boli N. iiij. Capiti has rotulas præscripsi.
℞ Pulveris Marchionis: ʒj. spec. diam-
bræ incompletę. Pleres archont. incõpl.
ã ʒs. Sacchari albi dissoluti cum aqua
cera-

Cerasorum q.s. F. Rotulę, Moto brachio dedicavi hanc illinitionem, ut ubique nervosum genus irritatum demulcerem. ℞ Olei lumbricorum terrestrium, vini albi ā ℥ij. Coque ad vini consumptionem, cui adde Unguenti Nervini ℥js. Misce. At his proficere licuit nihil, ideoque pondus ex brachio sanguinis detrahere volui adfecto, quo dempto ęgra convaluit. Quiete statim succedente concussioni in brachium. Quæ historia etsi repletionis adsertor esse possit maximus partis motæ, attamen, quũ ectigatio membri magna, & concussio talis, ut & adstanti molesta esset, malum hoc factum putavi esse ab irritatione quadam, quę peculiari noxa nervoso generi obfuit, quæ ab extra sollicitavit stimulando, qui stimulus, & naturali & animali virtuti bellum movit; vellicata autem pars sensilis in consensum suum principium trahit, quod majori conatu suos spiritus ad nervos lacessitos deponit, hinc fiunt illæ jectigationes membrorum, & tremores præcedentes Convulsiones seu Epilepsias: ut docet Felix Platerus Tract. primo lib. 2. c. 3. in causis. Tremores ob onus grave sublatum pe-

L dum

dum id clarè monstrant. Facultatis e-
nim lucta manifestè cernitur animalis
cum gravitate membri. Illa conatur in
sublime rapere partem cujus naturalis
gravitas imum appetit. At facultas haec
sine spiritu non descendit, nec animus
movet ullum membrum absente eo. Ita-
que hic ad luctam delabitur in mem-
brum, qui si imbecillis est, aut quia pau-
cus, ut in senibus, ac extenuatis à longo
morbo, aut quia liber meatus negatur ab
inhabili organo, ut parcus veniat, mem-
bri fit tremor; at si inordinatè ruit, ut in
illis quorum membra virus quoddam
vellicat, jectigatio accedit, quam Epile-
psia, cum sine fræno descendat motor
hic velocissimus, excipit. Posse verò
hoc fieri Aura illa frigida, quam in manu
sensit, quæque per continuatas partes
nervosas cerebro adscendit, edocet.
Magnus ille Carolus Piso auræ hujus
sensum frigidæ in extremis partibus in-
ter signa prodroma jàm jàm instantis E-
pilepsię ponit, motus illo Hippocratis,
quòd dolor dorsi, colli aut humeri, item
frigus denunciet Convulsionem, Coac.
263.270.7. Non enim fomitem Hippo-
cratem ibi in humero aut collo posuisse

De morbis præternaturalis, in consilio de Epilepsia.

Prætetea in partibus illis nullum adfectum præter naturam revera deprehendi, quod & in mea tremula, & convulsa spectare non potui. Unde auræ frigidæ nervi concussi sensum judicat: qui cum naturę frigidior sit carnosis partibus, de se sensum dare frigoris, si concutiatur; maximè cum extrema nervi in corpus aliquod membranosum abeant, à quo si avellatur convulsus, sensum ibi tristem excitare ob divulsionem ab illo, cui insertus est nervus. Exemplis quæ ibi legi possunt, jocundis & veris illustrat. Putat autem ibidem extremas partes ob Nervorum principium læsum primariò, non hoc oblæsionem illarum convelli. Veneror hujus magni viri cogitationes eruditissimas ac utilissimas & jocundissimas: Magnum tamen Galenum si in 3. Lib. Locorum Adf. c.7. audio, qui puerum, cujus morbus comitialis à tibia oriri cõsueverat, à Medicis curatum vidit, cui post medicamenta evacuantia totum corpus, ligatione medij membri, supra eâ videlicet partem, quæ primaria dispositione erat adfecta, facta fuit. Nam hoc pacto, accessio quę antea quotidiè puerum infestare consuevit, re-

verti prohibita eſt. In Piſonis Magni magnas & eruditas rationes conſentire non poſſum, ut negem nullam per ſympathiam fieri Epilepſiam; ligationis ſiquidem ea vis non eſſet, ut Cerebrum commotum ſevocaret à ſuo œſtro. Attamen dubium me faciunt, quomodo malignitas tanta ſine manifeſto ſigno latitare poſſit in tàm anguſtè coarctata loco: ut nervis vim facere, & cerebro remotiori noxam dare, cuti minùs, poſſit. Itaque cum Epilepſia ſit morbus cerebri, hoc ſemper reſpexi, non ſaltim in textoris uxore, ſed etiam in jectigatione brachij: & pulvere tali caput roboravi. ℞ Pulveris Marchionis ʒiij. Rad. Zedoariæ ℈j. Peoniæ ℈ij. Scorzoneræ ℈ß. ſem. ſeſeleos ℈j. Angelicæ ʒs. Miſce, fiat pulvis, doſis erat ℈j. in aqua Ceraſorum. Videmus ſanè in ſuffocationis imminenti periculo ſæpè tales tremores, in pueris, quibus artus tremunt & concutiuntur, ſic in ſene penè ſuffocata matrona tremor maximus adfuit. At quid hoc aliud eſt quàm naturam concurrere cum ſpiritu ad partes externas cum auxilio quodam. Magni igitur hi tremores cum errore properantis naturę mihi videntur,

ut il-

ut illi minores, deficientis. Certè tremor eſt motus repetitus bis, ſeu fractus, ut ipſe Galenus innuit, antequam nimirum membrum verè & perfectè motum eſt, alius à natura repetitur, ut & tremulæ voci accidere ſolet, quæ eſt reſpirationis repetitio. Sic in magnis doloribus calculi, partes proximæ, imò ſæpiùs totum corpus tremit; & ex audito horrendo contremiſcimus; profuſum an ob ſpiritum, aut negatum, ambigo. Dolores provocare ſpiritus credo, abigere metum; quamvis & terror confundat, & diſturbet ſpiritus in cerebro. Sic maligna quædam ac noxia vis in parvo latitās corpore inimicitias exercebit cũ rationis ſpiritibus, & eos diſturbabit. Licet de loco ubi hæreat nos dubij ſimus, nec ad extra quid appareat. Exigua nervi punctura viſum ſubterfugiens noſtrum calamitates & mortem cauſat, exiguum etiam pungens interni circa nervoſa latitare poteſt corpora, quod eis bellum inferre valet, in quo Cerebri ſpiritus in auxilium vocantur. Errore quodam & cum ametria delabuntur in organa motus: hinc jectigatio membrorum illa, & convulſivi motus.

Tremor quid?

At hic tremor horrori aut rigori magis reſpondet. Vidi tamẽ tremula membra.

Malo cum Platero felicissimo sic sentire, qui motus illo Galeni, quo adfirmat motus hos differre à naturalib. eò quòd à morbo fiant: At cum nervos non contrahi dicant naturaliter in motu naturali, sed per eos spiritus deferri, tanquam per canales, superiùs eorum irrigationem non posse admitti conati sumus persuadere. Neque illa locum ob Intemperiei vitium quod infert habebit, nec in Epilepsia, quę ab aura fit, vel qualitate, (qualis hujus historiæ erit, & illius cujus meminit Galenus, Hollerius, Camerarius, Faventinus, Hali Rodoham, qui in brachio dextro sensum rei frigidæ ad caput deambulationem sursum adpellat, com. ad lib. 3. textum 19. technæ Gal.) irrigans materia nervos aderit. Existimat Galenus cerebro in Epilepsia similem aliquem motum evenire, qualis stomacho in singultu accidit à re quapiam molestante. At hic motus expultricis facultatis lacessitæ est, in qua ventriculi se movet corpus. Movebitur igitur & in hac lucta corpus quod principio nervorum dedicatum est, ut excutiat noxium, quod in hac Epilepsia communi sententia spirituosum corpus,

Cur irrigationem nõ admittat autor nervorũ pro Epilepsia causa.

Cerebri motus in Epilepsia.

pus, aut aura dicitur, aliquibus qualitas, quibus irrigare natura negavit. Morbifica itaq; eiecta causa, spirituosa, in minimo quanto, neq; nervos replere potest omnes, cum parcior, neque irrigare, cum non humor: Nec humor familiaris & cerebro domesticus sede cũ noxio pellitur, vt hic irriget, quia paucus, quia infundibulum petit, hinc spuma circa os. Alienus humor in hac Epilepsia nõ habet locũ, quia causa cõtinens si est, Idiopathicam Epilepsiam causat. Verùm humectationem locum habere, ob subitam invasionem & solutionem morbi superius negavimus, ducti Galeni manu. Nec cura quę instituitur admittit: quum exiccantia omittantur & excitantia ac spiritus revocantia exhibeãtur in paroxysmo. Imò ipse somnus, cuius proprium est Cerebrũ humectare, aliquo modo hos motus sistit. Et hic motus expultricis ob malum stimulans & lacescens, excludit omnem obstructionem, ut superius innuimus, qvocunque nomine vocetur, sive ANGVSTIAM, seu SEMIANGVSTIAM seu SVBSIDENTIAM dixeris ventriculorum cerebri. Primum cum ventriculi cerebri

Cur mot. principij nervorum in Epilepsia nõ admittat obstructionẽ.

non ſint principium nervorum, quod laceſſitum inſurgit, ut excutiat noxium. Dein, quia ventriculi cerebri duo illi magni latiores ſunt beneque diviſi, ita ut nec vapor nec aura anguſtiores reddat, multò minus qualitas. Nec actio illorum his lædatur, cum non ſint receptacula ſpirituum. Subſidentia ſiccitatis nimiæ effectus eſt, ut hanc ab hoc morbo excludit magnus Pergameni Senis ſpiritus. 2. de Sympt. c. 7. 3. loc. adf. 7.

Lib. de cauſis morb.

Quercetanus exhalationes has malignas acidas ſeu vitriolatas vult, qua vi arterias carotides conſtringunt & comprimunt, ut expirationis & reſpirationis libertas, qua ſpiritum animalẽ à Cerebro ad cor, & à corde ad cerebrum permeare neceſſe eſt, aëris ſuo intercepto curſu propè tota eripiatur. At hic cum cor & Cerebrum locos adfectos faciat, Galeniſtis non erit patronus in ANGUSTIÆ opinione. In ſua enim hiſtoria, quæ morbos complicatos habet utraque viſcera pati noxam non renuo. Ab utero malum per continuatos nervos in cerebrũ repit, & per vaſa ſanguinis ad cor permeat, viſceribus igitur ambobus vim faciet, ac eorum actiones lædet. At nec

Via à fomite ad cerebrum noxæ.

hæ læ-

hæ læsæ actiones propria seu pathognomenica Epilepsiæ signa sunt, nec locum adfectum seu proprium subjectũ morbi Epileptici enodant. Sic enim Galenus. Animi defectus antecedit morbum attonitum & comitialem, cum MALIGNUS existit. Quod antea sic expressit. Omnẽ præterea, quæ ex utero provenit, strangulationem defectus animi antecedit, sicuti ad vteri versus superiora recursus & ad latus inclinationes atque inflammationes plerunque consequitur. lib. 1. ad Glauconem de arte curativa c. 14. Patet ex his vterum suum malignum & Cerebro & cordi communicare, tam in strangulatu, quàm Epilepsia. Arterias carotidas constringi ab styptico illo, & causare ut concidant ægri tanquam exanimes & quasi extincti, ægrè admittent Galenici; quibus motus animalis actio nervosi & musculosi generis vi cerebri benè constituti, & in sua symmetria existentis est; non venosi aut arteriosi. Neutiquam igitur adscribent subitaneum casum harum partium compressioni. Præcedit is rarò in illis, qui per sympathiam laborant, cum moneantur vertigine, tremore & alijs. Idiopathia verò

laborantes etsi subitò haud præmoniti corruant, ob facultatum principalium lęsionem id fiet, at hæ animales sunt, & in cerebro hærent, nō in arterijs, quibus inhabitat vitæ vis. Etsi stypticitati aliquid tribuendum, parum id erit, quū hi vapores multum acrimoniæ, quibus menynges vellicantur, (quarum tamen operatio præter sensum nulla,) aut principium nervorum stimulatur, ut insurgat ad expellendum noxium, vocat in auxilium totum cerebrum, ut cum suo infensissimo hoste luctam & conflictum incipiat. Adstrictio arteriarum, & coarctatio ventricułorum cerebri inutilis videtur & inepta, ut producat animales motus tumultuosos; & si quid stypticitas agit vitriolacea, spiritus figet & cohibebit. Ea de causa specificum creditur in Epilepsia pharmacum. Acre igitur illud est, quod movet œstrum expultricis principij nervorum, non quod stypticitate ejus conatus impedit.

CASUS



CASVS VIII.

CONVVLSIVI MOTVS ET *Palpitationes ſpaſmodicæ à Mannæ diluto ſaltim libato.*

ANTISTITA congregationis nobilium apud nos, ad ſororem nobiliſſimam, ſecum me abduxit in caſtrum ubi habitabat: quæ conſternata ex viſo ſanguinis torrente à ſaucio adfine, & ob vibratum fugientis gladium, incidit in febrem puram plurium dierum. Nobiles enim quidam in eo caſtro hilariter Sileno litantes, & cantantes; cui puer indoctum cecinit, ſed dulce, bibẽti; lecto ſe dederunt, ibi concalefacti vino, à verbis ad verbera & vulnera nudi devenêre. Saucio ut ſuccurreretur, ille qui fecit ſtragem excitavit nobilem, cum uxore, ex primo ſomno, quæ ex audito & viſo facinore conſternata, pavida incidit in quaſdam anxietates cordis, quas excepit febris pura quidẽ, ſed dierum plurium, cum doloribus vagantibus punctorijs. Adſtabat ei Pharmaco-

pœus non famæ exiguæ, qui in proximo oppidulo officinam habebat, in qua vigili cura præceptrices Medicorũ chartulas coactas servat, quas ex suo Triphonis antro proximæ nobilitati ægræ, tanquam sortes sacras, obtrudit, & in suo tripode pharmaca diluit. Mysta hic uncias duas Mannæ decocto hordei dissolutas conabatur ægræ adflictæ, pigrior cum esset alvus, propinare: benigni hujus usum dissuadere nolui, maximè cum adstantes cognati, & frater Reverendus admodum idem querulo plausu efflagitarent. Libare igitur poculum diluto Mannæ perfusum cœpit, ne rogationes nostræ fructu carerent. At primis dum gustat quasi labijs, & os ventriculi nondum id sensisset, quod cochlearis cavitatem replevisset, ecce, pedes incipiunt contremiscere, brachia subsultare, & totum corpus salire, oculi perverti: mãsit tamen integra mens & vox clangosa, cum suspirio ex pectoris imo. Mannæ benignissimi Pharmaci famam palpitatio hæc spasmodica, seu saltus potiùs dubiam fermè fecisset, ac exilium minitatum esset. Adeò nihil est tam beni-
» gnum, nihil tàm sanctum, quod convi-

tium

tium ſemper effugere poſſit. Vale itaque omnibus purgantibus amicum dixi; refocillantibus locum eſſe volui; ac alvum ſollicitavi clyſmate, & cordi Tragema cardiacum addidi, verbis animum conſternatum excitavi. Sanguinem etiam extraxi ex venis, & ſic cura abſoluta fuit.

SCHOLION.

SAltus hic membrorum & tremor convulſivus, non à nocente & maligno medicamento, quale eſt veratrum, de quo 5. aph. 1. Hippocrates, aut Antimonij vitrum, vel aſarum, ex quorum uſu præludia ſpaſmi in cruribus nonnunquam præſentiũtur, teſte Platero Tract. & lib. 1. c. 2. cauſatus eſt, ſed à benigno, ut communis Medicorum opinio habet, Pharmaco. Illa, cum ſua inſigni efficacia ſollicitare naturam fortiùs ſoleant, nervoſum genus ad arma vocant, ut in luctam convulſionis deſcendant, annuente eodem Platero. Pharmaca ſiquidem hæc fumos acres ac vapores ad nervos ablegant, eorum principium irritant ac offendunt, ut inſurgere ad noxium pellendum cogatur, cujus opinionis etiã

eſt Va-

est Valesius comment. ad aph. 1. lib. 5.
At manna benigna de se non acrem fumum, qui stimulare meninges, aut nervorum principium, non qualitatem stypticam, quę arctare ventriculos cerebri, & arterias carotides posset, ut somnium magni cujusdam viri est, ablegavit, nec malignitatem in se habet; solo cũ melle deterior dicatur à Quercetano, qui crudam propinare vetat, in mellis laudes tamen profusissimè raptus est; vide caput ultimum ejus Diætetici & octavum. Taceo quod exiguo corpore, quum vix libaverit, ad orificium ventriculi descendit. Nausea igitur & imaginatio spiritus ob terrorem per se mobiles cõmoverunt, qui ob antipathiam, quæ naturæ fuit cum medicamentis purgantibus, extrema moverunt salienti motu; non verò contraxerunt nimium, quia levis profusio spirituum facta est; & membra leviter allecta fuerunt. Nimia sanè internorum sensuum, & vehemens operatio, quæ cogitatio & in rem attentio sedula, spiritus in externa trudit organa sensuum; maximè si natura ob fastidium aut sibi repræsentatam noxam insurgit cum vi expultrice, quæ aberrans

Platerus Tract. 1. l. 2. c. 2.

Tract. & lib. 1. c. 2.

rans in opere, infundit copiosos spiritus in musculos, qui ab eis concitantur ad motum edendum depravatum, quem convulsivum dicimus. Exemplis illustrat Felix ille felicissimus in observationibus tribus: Promovendi cujusdam in Doctorem Medicum, qui ex nimia animi intentione in suam orationem, ut memoriter in tanta multitudine hominum rectè enunciaret, spiritibus diffusis corruit attonitus instar Cataleptici. Duo alia ex terrore ob aspectum furis suspensi, & cadaveris in loculo; quem terrorem sola imaginatio consternata protulit, ut & sequentes eum convulsiones. Terriculamenta illa tenellæ ætati sub nomine Berchtæ facta multum damni hactenus dedêre; undè sancta illa Platonis admonitio omnium aures fatigare deberet, qua terriculamenta, & figmēta horrida à simplici hac ætate removere jubet. Mercurialis de Morbis puerorum, exemplo pueri Germani explanat. Novi & ego puellam, quæ ex perfusione aqua inopinata in Epilepticas convulsiones perterrita seu consternata incidit, ex quibus nec adhuc liberata, sed fatua nūc grandis convellitur. Prona est ætas hæc

A. S. Nicolai personati p̄sentiâ territus septennis convulsus mortuus, 1625.

tenera

tenera ad convulsiones, ob spiritus ad motum faciles, & ob vim imaginationis infirmam, qua spiritus regere nequit. Est enim in hac ætate sensus communis, ac imaginatio instar novi alicujus advenæ in mundo, qui aut miratur objecta sibi nova, aut ab eis perterretur & perturbatur. At horum actio sine animali spiritu nulla est; quorum ministerio, cum ij qui acutioris ingenij sunt, abutantur sæpè, & plus profundant de ijs, quàm par sit, fit ut ingenia acuta proniores sint ad Epilepticos insultus & Catalepsin. A-

Ira quid? nimi fortè adfectus, IRA dictus, nos in hujus rei cognitionem perducet. Est il-
„ la verberatio cordis orta à re, quæ osten-
„ ditur ut mala, & quam depellere cor ni-
„ titur, in qua depulsione spiritus cordis
„ effunditur in sanguinem, & agitatione i-
„ psa accenditur, & sanguinem calefacit,
„ & bilem rubram inflat, ut depulsionis
„ causa sanguis in exteriora spargatur,
„ fiuntque hæ agitationes. Animadversio igitur displicente (quod spiritualis est Idea concepta in mente irascentis, objecta censorijs,) cor insurgit, & ministerio spirituum vitalium, qui in sanguine arterioso sunt, arcere à se noxium

vult,

vult, & expellit ſanguinem hunc ſpirituoſum à ſe in totum corpus, maximè in externa membra, ac ſi ibi aut hoſtē quæreret, aut ea armaret contra objectum, quod offendebat. Eadem imaginatio intentior facere poterit; cum objectum, quod offendere & nocere ipſi valet, offertur; (Exemplum erunt, illi qui ex viſo Epileptico corruente convellenteq; ſimiles inſuetas convulſiones paſſi ſunt; & puer ille noſtrâs, qui territus ex decollatione rei alicujus in Convulſiones Epilepticas incidit) ut effundat ex cerebro ſibi familiares & domeſticos ſpiritus, & expultricem excitet, ut imaginatione conceptum noxium, ſpiritibus infixum, ad extra cum ipſis ſpiritibus protrudat. Eſt ſanè notum his adflictis imaginationem eſſe depravatam, ut fateantur, ſibi obverſari aliquod nigrum, ſeu atrum, vel aliud quoddam terrificum, à quo infeſtentur, cum quibus ipſis lucta ineunda. Idem & noſtræ ægræ accidiſſe mihi imaginor, quæ jam turbatos & perterritos habuit ſpiritus, itaque & facilè fugaces: nihil enim noxæ aluit Manna. Narravit illa nuper & repetijt ſæpiùs ſe à nomine pharmaci con-

ſternari ac ejus totum tremere corpus. Movetur enim ſpiritus animalis inordinatè aut ab imaginatione, aut à movente violento, ſeu ſit morbidum ſeu animi adfectus, qui ſi copia in muſculos deſcendit, convulſivè eos movet. Animi quidem motus ſeu adfectus cordi philoſophi, & pleriqueMedici proprios dicunt, cum ſint Epithymicæ, non Logiſticæ facultatis functiones, unde Epilepticos motus fortè non cauſabunt. At ſi Divini Senis oraculum in lib. de Morbo Sacro penſitatur, Cerebrum cum ſua facultate Logiſtica multum in illis laborare deprehendimus. Pathemata doloris & voluptatis judicat ſenſus tactus, cui præeſt animalis in cerebro reſidens vis: & hæc eſt quæ demonſtrat quid placeat, quid diſpliceat. Hinc illud D. Senis, quod ita ſonat: Noſſe homines convenit, à Cerebro non aliundè nobis voluptates, riſus & jocos contingere, itemque dolores, moleſtias, triſtitias, & ejulatus. Hacque parte præcipuè ſapimus, & intelligimus & videmus, & audimus, & turpia & honeſta cognoſcimus, malaque & bona, itemque quæ jocunda ſunt & injucunda, partim quidem

Tacitæ obiectioni reſpondet.

Cerebrum conſentire animi adfectibus.

dem

dem consuetudine discernimus, partim verò utilitate percipimus &c. At turpia & honesta, dolor & molestia, à sensibus percipiuntur externis, judicantur à communi sensu, qui ob turpe, dolorem aut molestiam animum aut ad iram, aut tristitiam timoremvè concitat, prout spiritibus gaudet, unde non saltim Cordis functiones, quæ Epithymicæ facultati subserviunt, verùm etiam Logisticæ organa & membra commoventur. In cerebro sanè actiones hæ inchoantur, cum viso hoste irascatur homo, colubro terreatur, amico lætetur. Eadem ex auditus objecto fiunt. Contrahitur verò Cor in tristitia, in lætitia dilatatur, & in ira ardet, ac movetur violentiùs, quia ad ipsum venæ ex toto corpore omnes tendunt, ut doctissimè sentit Hippocrates. Quæ cùm ita verè se habeant, ne miremini, si animi pathemata Epilepticas invasiones dixero causare, quum earum ea vis sit, ut in IRA ad arma provocentur, & Logisticæ & Epithymicæ facultatis organa sæpè ita terribiliter, ut homo suam naturam exuisse videatur, & organa motus salianr ac tremant. Sic in tristitia mẽs terretur, ut cessent omnia

Vide Hipp. 6. Epid. 5. aph. 59.

membra motus cum corde, & ſpiritu tam vitæ, quàm mentis mentiantur fugientem militem. Hujus ut illius objectum percipitur ſenſu, judicatur communi ſenſu, ſeu mente. Manifeſtum itaque ſpiritus & animales & vitales ac ſanguinem ad tumultum, & conturbationem in organis motus & ſenſuum in IRA, ſubminiſtram operam dare, ac Facultati & Epithymicæ & Logiſticæ ſubſervire; in triſtitia regurgitare, & recurrere ſpiritus & ſanguinem ad ſuos fontes introrſum, ac quieſcere.

Eodem modo ſpiritus Animales ad tumultum, & conturbationem concurrunt in Epilepſia, at ſine ſanguine, quum ſolum Cerebrum vim patiatur, cor nihil, niſi duret malum diutiùs, fortiùs, violentiùs, quaſi ſentiat: qui conturbati & tumultuantes organa motus ingrediuntur, & in illis hos ſaltus, tremores, contractiones, &, ut numero dicam, convulſiones pariunt. Motus porrò hic turbulentus Cerebri dijudicationem impedit omnium objectorum, quia inordinatus; nec intellectus operatur, niſi quieſcat Cerebrum. Sola enim quies Cerebri ſapere facit, prudentiam ſubminiſtrat,

Cur nullus in Epilepſia ſenſus & diiudicatio.

ſtrat, & intelligentiam cauſat, dictante Sene ſapientiſſimo, libro de morbo ſacro. In terrore ſpiritus quaſi fixi, & coagulati ob arctata vaſa vitalia, per quæ calor & vita corpori cõmunicatur, primò ad tumultum non adſurgunt, cum & ſanguis quieſcat, attoniti fiunt, nonnunquam corruunt etiam, ut Monialis apud Luſitanum Cent. 2. Curat. 90. atque quum animus revocatus inſurgit & indiſcretè, cum ametria ſpiritus animales movet ac profundit, turbulenti morbi comitialis motus fiunt. Nolite quæſo hanc ſpirituum profuſionem ridere, aut figmentum adfirmare; Subitaneus & inopinatus tubarum ſonitus filium Matthei de Gradibus Epilepticum effecit, qua intra decem occubuit horas. Qui ſonitus quid aliud cauſavit, quàm commotionem ſpirituum animalium, cui expultrix Cerebri vis manus adjutrices dedit. Eadem pronunciare de fragore cœli gravi, de obſceno animantis mugitu, (cum objecta auditus ſint, cujus ſenſorium non cum voluptate, ſed quaſi dolore alterant) poſſumus. Jaſone c. 4. de Morbis Cerebri, & Mattheo de Gradibus cap. de phrenitide, ponẽtibus has

 cauſas.

causas. Audio symptomata dici motus Epilepticos, nullum verò sine morbo symptoma prodire: profusionem spirituum ab anima aberrante in opere fieri ob occasionem aliquam externam sine vitio corpori illatam: Aliam igitur causam adsignandam his Epilepticis motibus ab his erroribus recensitis, causatis esse, contenditur. At dum mecum repeto, quod multis vertigo surrepit ex despectione de præcipiti loco; quam tamē inter symptomata depravati motus spirituum animalium locatis, altius cogitando deambulare quiesco, cum nemo sanus despectū è præcipitio inter morbos numeret; vertiginem verò quis nescit adfectionem esse Epilepticis motibus vicinam? Audio imbecillitati retentricis eam adscribi: est & in Epilepsia non contemnenda cerebri imbecillitas, qua retentrix nihil agit, sed expultrici adsurgenti locum coactè dare cogitur. Cessante enim Retentrice, Expultrix agit, testimonio Medicorum, nec hæc absque stimulo. Quid assignare verò pro stimulo possumus, qui vertiginis rotationes causare posset à despectu de præcipitio, nisi receptam quandam per ocu-

los

los qualitatem, quæ animum ita commovet, ut rotari in gyrum ſpiritus permittat. Anima enim oblato ſæpè faſtidiente verbo, aut viſo adſurgit, & ad arma convocat ſpiritus, excitando cerebri expultricem, quæ cum contrarium aliquod ſentit, cui inimicitia eſt (antipathia ſcilicet) cum nervorum principio, aut cerebro, fortiùs agit, & imperium retētrici præripit, ac ſpiritus, prout agit, aut in cerebro rotat, aut ſi violenter agit, & ad poſteriora trudit, in nervos profundit. Terribiles tamen hi motus & contractiones, haud agnoſcunt externam cauſam debilem & levem, niſi cerebri ſit diſpoſitio, quæ magnam imbecillitatem ſuſcipere poteſt, ut ab extrinſeco violento facilè aliquid patiatur, ad motum ſpirituum inordinatum uſque. Fateor, verum haud mihi hæc ſatisfaciunt, ſpiritalia, ſeu intentionalia ſunt objecta quæ viſus recipit; quæ auditus aërem habent pro vehiculo, at vix hæc alterabunt corpus, cui ſoli morbus convenit. Sed in iratis & perterritis ſi Epilepſia fit, commoti erunt etiam humores noxij qui in cerebro latitarunt, qualis in picrocholis & iratis bilis, in-

 meti-

meticulosis melancholia, qui stimulabunt expultricem, quam stimulationem superius inter morbos posui, cum actiones lædant. Grammaticus Galeni, lib. 5. de locis adf. c. 7. huic opinioni lucem adfert, cui bilis præsentia comitialem movit morbum, si vehementes animi motus habuit, ut cum irasceretur, vehementer doceret aut cogitaret. Qui correcta bile diætâ, & evacuata amaro medicamento, illi nihil noxæ dabant. Sunt
» sanè proprietates ineffabiles corporibus
» innatæ, quæ observatu difficiles & per-
» scrutatu impossibiles mihi videntur. Extrema denique cur tremuerint, & jectigando salierint, spasmodicè mota difficile erit dicere. Certus sum imaginationi non esse vim parvam, quæ aut viso aut audito hoste noxa vi ad arma vocare spiritus, & expultrici licet sit naturalis facultatis functio imperare possit, cum odor pharmaci id effecerit in quadam moniali, de qua Clarissimus & excellentissimus vir communis Germanorum præceptor Medicorum Casparus Bauhinus p.m. hæc mihi retulit. Antistitam quandam monacharum in cœnobio Rauracis vicino purgãtium odorem

Imaginationem & expultrici imperare.

rem

rem vix potuiſſe ferre, multò minus in corpus per os aſſumere, & tamen ſingulis vernis temporibus à Medicis, præceptricem pharmaci purgantis formulã petijſſe, ſed ita ut ingredientia vinum evacuans ſeorſim & annotarentur & darentur, quæ ipſa conjunxit, ſacculo incluſit, & vino madefecit, de maceratis ſingulis diebus per ſeptimanam, aut ulterius naribus odorem hauſit, ex quo ter quatervè imò pluries in die purgata fuit. Sic in Cœnobio D. Johãni Sacro ad Sylvam, layca ſoror ſuę religioſæ porrigens poculum vini purgantis ex odore vini ſemper habuit ſedes ad minimũ quinq;: porrexit verò pluribus diebus, Religioſa enim febre laboravit. Factum eſt anno 1624. Ea eſt imaginationis vis, ut & imperare expultricis facultatis organis valeat. Nec ſemper opus eſt ut ſenſus triſtis ſenſorium aliquod feriat, cum ipſa antipathia aut ſympathia in rebus latẽs, miros cauſet motus. A veratro, inquit Divinus Senex, convulſio mala; Rauracum lumen, ineptum Antimonij uſum in cruribus cauſare præludia ſpaſmi. Nec mirum, fortia illa ſunt pharmaca, quę virulentum de ſe ad extrema mittunt fu-

mum, qui nervoſo & membranoſo generi inſidias ſtruit; Ex vitri antimonij uſu dolores ad ungues uſque vergunt; Irritat itaq; virulentia ſua fumus hic nervos, quæ irritatio ſi levis eſt, ſollicitat ſaltim naturam, & fiunt palpitativæ cõvulſiones; ſi fortis, naturam ita irritat, ut inſurgat ad expellendum noxium, unde fiunt robuſtæ convulſiones, ut habet Platerus Tractatu & libro 1.c.2. Valeſius non tantùm pharmaco hoc malũ tribuit, ſed etiam adparatui in membris, quem pharmacum reperit. Cum haud grave ſit, quod à procatarctica oritur cauſa. In cacochymico ſiquidem corpore, cui nervoſa ſunt debiliſſima, facilè eſt malum ſeu morbum validum producere, qui nervis vitium infert. Sic piſtoris cujuſdam uxor cum infuſum vitri antimonij ad plures doſes haberet, cõpendio quodam curam abſolvere voluit, & in aurora medium canthari, circa meridiem reliquum hauſit, circa veſperam convulſa perijt; nec mirum: & forte erat ac violentum quod hauſit, ac copioſum, & apparatus in cachectica multus, qui radices egerat, & ſub fonte vitæ cuniculos fecerat. A vehementi phar-

Zupffen in den Glidern.

1605.

pharmaco ſollicitari ac irritari omnium quaſi partium virtutes expellentes, ut aberrant etiam in opere vomitus inanis, ſeu conatus vomendi irriti à medicamento edocet, & quilibet in ſe experiri poterit. Maximè ſi illud quod irritat orificium ventriculi laceſſat; tùm enim & in conſenſum inteſtina trahuntur, ut & illa doleant, & egerere conentur inhærentia, quibus interdum majores accedunt labores, in cerebro, in extremis, & alijs. Sic in dyſenteria cum conamine maximo, & torminibus ſpaſmodicas palpitationes in cruribus obſervavi in librorum compactoris meorum uxore. Nec mirum à vehementi, & violento laceſſente in arma trudi quaſi totius corporis expultrices: horridus ſermo, terrifica vox, horribilationes toti' corporis in meticuloſis cauſat; & hilaris vocula ac gaudium liberos ſpiritus profundit in geſtientia membra.

Vomitum inanem quondam ex imaginatione concitari vidi, cum horribilatione totum.

Ad arma igitur vocatæ expellentes vires, ſi quæ reperiunt in extremis heterogenea, illa ut proxima conantur expellere, & à ſpiritus adjutę, in flatus vertunt aut fumos, qui palpitantes motus in membris in quibus illi latitant, efficiunt,

ciunt, ſimiles ſpaſmo. Abundat verò humor tenuis in extremis partibus magis, ob motum qui eis eſt, à quo incaleſcunt; calefactæ attenuant retentum humidum glutinoſum. Et hæc palpitationis convulſivæ cauſa eſt, nimirum flatus qui palpitationem, & profuſus ſpiritus ſeu animalis vis in motu leviter errans, qui convulſionem cauſant: quod Platerus innuit Tract. 1. lib. 2. cap. 3. At tremor, quem territi ſentimus, & qui noſtræ ægræ fuit in pedibus, tum ob imaginationis errorem fit, quæ ſpiritibus non regimen dedit congruum, tum etiam ob muſculorum extremorum imbecillitatem; Obſervari enim poteſt in illis, quorum extrema aliquid mali paſſa ſunt, quod contriſtatis aut iratis tremant, quum debilia ac imbecilla ſint. Imaginabar mihi ſæpiùs in his triſtibus tremere extrema, quia ſpiritus animales, & vitale nectar ad ſuos fontes recurrũt; in iratis quia præter ordinem ad extra ab ijs funduntur: Quibus autem membrum ſpaſmodicè tremit ac ſalit, ut in ſuperiori ſcholio exemplum eſt, illis ad nervoſum genus hærere malum quod irritat, ac ſollicitat ſtimulando ab extra, qua ſtimu-

ſtimulatione & naturalis vis excitatur, & animali vitium infertur, partis illius cui adhæret;in conſenſum verò trahitur principium nervorum omnium,aut ſaltim illius, quæ laceſſitur, ut communicet dolenti parti plus, quàm natura exigit ſpiritus. Videre eſt ſimile in operatione facultatis naturalis,quæ ad dolentem carnoſam partem ſuā deponit vim, quæ in ſanguine eſt, qui copioſiùs eò prorumpens dilatat, replet, & cum corpus craſſum ſit diſtendit partem, ac in tumorem attollit, in quo fervens & ebulliens ſanguis phlegmonem parit, & interdum gangrænam. Sic animalis ſpiritus, corporis ætherei, uberior ſi in nervoſum & muſculoſum corpus demittitur, contractio fit membrorum verſus ſua principia, qui ſi rurſus ex muſculis, in cerebrum ablegatur fit quies; unde & fluxu & refluxu ſpiritus, fiunt contractiones & relaxationes inſtrumentorum motus. Inquietudinem ſpaſmodicam ob vitium membrorum hoc anno in noſcomio noſtro obſervavi. Torquebantur brachia puellæ an- 1624.
norum quatuordecim miro modo ſurſum, deorſum, in gyrum, inquietudo

erat

erat maxima, corporis reliquum patie-
batur nihil, purgato corpore, cerebrum
corroborare aquis Antiepilepticis vo-
lui; ℞ Aquæ Epilepticæ Langij, Picarum
ana ℥js. Cerasorum nigrorum ℥ij. Be-
thonicæ, Millefolij ana ℥j. pulveris
Marchionis. ʒj. Tab. de extracto xylo-
aloë ʒvj. M. Brachia inungebantur, ut
demulcerem membra inquieta, hoc o-
leo, ℞ olei Lumbricorum ℥iij. piperum
℥j. M. Inquietudo quidem desijt, at ma-
nus & brachium sinistra stupida mansê-
re, & ad motum inepta. Quod dum
conor aqua arthletica emendare opus
labore fuit, qui revocavit convulsivos
motus, quos Epilepsia excepit. In hac i-
gitur puella & extrema & principium
nervorum, quamvis hoc symptomati-
Historia cè, aliquid passa sunt. Stannarij verò
1607. uxor, cui per imprudentiam arteriam
bonus quidem barbitonsor secuit, ejus-
que sanguinis, quum tenuem, fluxilem,
& ut ajebat biliosum agnosceret, co-
piam emisit, opus adfirmans habere il-
lam hujus phlebotomiæ; spasmodicas
adfectiones in suis sensit, sed flatulẽtas.
Cum copia sanguinis arteriosi dempta
corpus refrigerarit; hinc lipothymiæ
illæ

illæ crebræ, totius debilitas, ut è lecto surgere nequiret. Non enim hæc grumo adſcribo ſanguinis, quẽ arctiori vinculo ſupra vulnus arteriæ compeſcuit barbitonſor, ut reſtagnantem reprimeret. Flatulentum ſpaſmum credidi eſſe, quia ſuræ diſtenſæ fuêre, quia illinitio olei chamomelini & piperini curavit. Talem etiam ſpaſmum ex diarrhæa biliosa obſervavi. Evacuationes ſiquidem hæ violentæ refrigerant corpus, unde ſuppreſſus ichor ſeroſus ſub cute diffluere ſudore non poteſt, nec calor fundit, ſed in flatus abit, hinc ſpaſmi flatulenti, qui frequentiores ideò in æſtate, ꝙ æſtus ſolis poros cutis dilatet, & ſeroſo ichore permadidos reddat, at leve noctis frigus aut venti adſtringat, & humores ſeroſos retineat, quos natura in flatus reſolvit. Poſt paucos annos miſera hæc phlebotoma hectica obdormivit, quia theſaurum vitæ in effuſione imprudenti perdiderat.

CASVS



CASVS IX.

OSCITATIO PERIODICA *frequens, cum spasmodica thoracis concussione.*

VIRGO annorum quatuordecim
texturæ raræ, coloris albi cum le-
vi rubore malarum, gracilioribus
venis, cui pudoris sinus nondum præter-
fluentem sanguinis quarta quaque luna
sensit undam, circa æquinoctium autu-
1624. mnale, cum arcturus ortus jam esset, in-
cidit in abdominis & capitis dolores,
cum horrore levi. Exacerbatio à sum-
pto cibo in ambobus erat locis; vocatus
alvum laxam esse volui, unde mitigatus
aliquo modo dolor. Post aliquot dies
philonij Romani granis decem recurrē-
tem tardare ac sopire conatus sum, ha-
bet & illud quod flatus abigit, humo-
rem coquit crudum, & alienum digerit
ac absumit: at concedebantur saltim in-
duciæ, pax firma nulla; clysterem igitur
quarto à Philonij exhibitione die adpli-
care jubeo. ℞ Olei sem. Lini ℥vi. Elect. è
baccis Lauri ʒjs. Diacatholici ʒij. El. hie-
ræ pi-

ræ picræ ʒj. decocti carminativi ℥ij. Misce, fiat Enema. Anodyna sua vi cum cruciatus mitigaret, ac ejus focum vi purgãte oppugnaret, tertiò auctior dat°. ℞ Decocti carminativi ℥iij. Elect. è baccis Lauri ʒjs. hieræ picræ Galeni ℥s. Logadij ʒs. Olei sem. Lini ℥iv. Fl. chamomeli ℥js. M. fiat Enema. His armis oppugnatus hostis, exacerbatus magis quàm debilitatus fuit. Dolor siquidem abdominis accrevit, ut secum alia symptomata adduceret, oscitationem nempè frequentem & fastidiosam, quæ quarta pomeridiana singulis diebus accessit, ea vehementia, ut & musculos thoracis ita attraheret, ut totus thorax jectigatione quadam spasmodica attolleretur, (ut in magna & difficili respiratione anhelantes solemus) cum involuntario abdominis motu. Vicinam convulsioni adfectionem mihi persuadebam, quæ ex halituoso flatu, ex ventris cavo in musculos thoracis, maxillæ inferioris & buccarum elevato, prodijt; qui ob heterogenea commista vellicavit musculos & nervosas partes, ut depravatum motum edant, similem convulsioni. Est enim & oscitatio non dissimilis motus,

Hystericis symptomatibus similima dixissem, ni ante quinquennium eadem quasi passa esset: quamvis non abnuem, ut superiùs videre est, puellulis etiam innocentibus hystericis adfectionibus similima fieri. His malis ego opposui varia, primum pulverem præparantem, cujus usus fuit in brodio carnis manè & vesperi. ℞ Cremoris tartari cristallini ʒj. olei sem. feniculi destillati gut. iij. irroretur cremor oleo, & dividatur in doses N. VI. Sensit ex hoc pulvere commodum, ideoque repetijt; postquã malum non cederet, vocatus præscripsi vinum purgans. ℞ Radicis Levistici, Peoniæ, Pimpinellæ, Filicis ana ʒij. Calami aromatici ʒjs, Galangæ ℈j. Turbethi gũmosi ʒij. Foliorum sennæ mundatorum ℥js. herbæ melyssæ hortensis, Ceterach, calamenthæ ã p.j. Florum liliorum convallium, Tiliæ ana Ps. Corticis tamaricis ʒjs. S. feniculi ʒjs. Incisa misce ad sacculum, quem infunde in vini necarini Mensura una & semis, seu libris tribus per horas viginti quatuor; de quo ante cibum prandij hausit cyathum unum. Ex quo dejecit limosa, spumosa, putredinem olentia, copiosa; quæ dejectiones

non

non fuerunt juvantes, cum debilis esset, & lecto se movere non auderet, quia fastidiosa oscitatio ex levi motu redijt, quæ thoracis musculos vehementi motu sustulit, unà cum sterno totoque thorace, non sine sonitu circa cartilaginem xyphon idem sub qua fundus est ventriculi. Huic fastidiosæ & violentæ oscitationi jusculum carnis, aut Aqua sequens. ℞ Aquæ stil. Panacis Heracleæ ℥ij Epilepticæ Langij ℥js. Hirundinum compositæ ℥j. spiritus Cerasorum ʒij. Misce, aut Tragema cordiale, opposita fuerunt. Interrupit jusculi calor halitus oscitantes, & cochlearia duo aquæ ob effectum laudata sunt, at Tragemati vis fuit minor aqua. Sonitum cum in ventriculo sentirem, & motum observarem thoracis, qui depravatus erat, cum agitaretur attollendo violenter, maxillæ inferioris musculi contraherentur, bucca constringeretur, oris esset contractio quædam, ita ut labia in acutum protuberarent, exhibui Theriacæ dromachi veteris, ℈ij. cum ol. stil. Zedoariæ guttj in bolo, à qua paroxysmus brevior quidem factus, sed qui priùs vespertina quarta accessit, ille postero die

manè prodijt; at cum nihilominùs vino laxante corpus moveretur, consuetam horam vespertinam observavit, cum singultu socio, ac motu thoracis vehementi. Dolebat sequenti manè venter, ideoque jussa à vino purgante abstinuit, & stomachum roboravit Emplastro, ℞ Emplastri de crusta panis Montagnanæ ℥I. Diaphœnici calidi ʒiij. Gummi takamacæ ʒj. Cum oleo stomachico Cratonis fiat Magdaleon, qui ductus super alutam, ut instar scuti stomacho superimpositus fuit: calefecit eum etiam buccella panis immersa vino malvatico; discutere conati sumus flatus, & halituosos fumos stillatitio oleo feniculi, ad guttas tres in carnis jusculo exhibitas, item his tabulis, ℞ specierum dianisu ʒij. diatrion pipereon ℈ij. Sacch. albissimi dissoluti cum aqua feniculi q. s. Fiant Rotulæ majores: musculi thoracis, & colli ac abdominis inungebantur oleis lumbricorum terrestrium, florum chamomillæ, Anethi mistis. Matutinum tempus quietius semper fuit, ita ut & lecto adfixa neret; (nam de lecto moveri sine oscitationis fastidio vix licebat, triginta itaque diebus semper in lecto hæ-

N. sit)

ſit) & ſatis commodè habuit, at à cibo ſemper malè: à purgatione deterrimè, cum debilis fieret. Quare remoto omni purgante, ea præſcripſi quæ abſumunt pituitam, diſcutiunt flatus, quæ uterum, quæ caput, quæ ſtomachum reſpiciunt, ac leviter detergendo purgant, quæ in pilulis exhibui, manè quinque & veſperi totidem. ℞ Succi rutæ inſpiſſati, ſucci Peoniæ inſpiſſati ana ℈j. Extracti Carduibenedicti ℈s. Mirrhæ electæ gr. iij. Caſtorei gr. ij. Trochiſcorum de Abſinthio ℈s. cum ſyrupo florum chamomillæ q.s. Fiant pilulæ N. XXX. Et loco Emplaſtri cujus nullum enarravit fructum, aqua ſequenti fundum ventriculi circa cartilaginem xyphoidem inungere juſſi. ℞. Vini ſublimati rectificati quartarium ſemis, ſeu ℥iv. ſpecierum diagalangæ groſſo modo inciſæ ʒij. ſtent per horas viginti quatuor infuſa, in vaſe cooperto vitreo, poſtea ea aqua ante cibum inungat ventriculi locum. Laudavit amborum uſum, & jam lectum deſeruit; placuit itaque pilulas repetere, ſed ſic auctas. ℞ Succorum inſpiſſatorum rutæ ℈ij. Peoniæ, cardui benedicti ana ℈j. Pulveris radicis Acori vulgaris, Ze-

 doariæ,

doariæ, ana ℈s. Myrrhæ selectæ gr. xj. Castorei gr. ix. Extracti Gentinianæ, Absinthij ana ℈j. fiant cum syrupo de Mentha minore pilulæ, ex quarum scrupulo formentur Numero v. quas, cum primò, fortiores sensisset, tribus contenta jejuna & in vespere fuit. Laudavit & harum effectum, at prætulit priores. Jam cum oscitatio & reliqua cessassent symptomata, de quodam in stomacho pondere conquesta dejecit quidem ex pilulis de hiera cum agarico ad ʒj. & cremoris tartari ad gr. vj. Cum syrupo de Carduo benedicto conjunctis, sed non sine debilitate virium. Jussi itaque Naturam refocillare cibo euchymo, vino bono, & corroborare stomachum Tabulis præscriptis. Et sic convaluit, ac bene vivit. Acta hæc sunt in autumno anno 1624.

SCHOLION.

INvoluntaria totius oris, & faucium apertio, ut hiare os, ac palatum universum videatur, Oscitatio vocatur, Stupano Thesi 109. Disputatione anni 1606. Propriè enim ad oris partes pertinet, Joubertus decad. 2. parad. 4. Est

Oscitatio quid?

autem

autem mobilitas vitiosa Galeno 3. de sympt. diff. pandiculationi similis, Cõmento 1. in lib. Hipp. de hum. aph. 7. & 2. Epid. 2. quam facultas expultrix musculosi generis excitata seu sollicitata à causa quapiam morbosa causavit, lib. 2. de causis sympt. 1. Et 2. de causis Sympt. 6. 6. Epidemiorum Comment. 5. aph. 3. Respirationem magnam, vocat Felix Platerus Tract. 1. lib. 2. c. 5. in qua ore aperto admodumque diducto aër primò adfatim hauritur, mox halituosus iterum copiosè efflatur. Expultrix hæc vis, naturalis facultatis species, est otiosa, si stimulo, à quo excitatur, caret. In oscitatione est stimulus hic flatus vaporosus, aut humor flatuosus Comment. 1. in lib. Hipp. de humor. aphoris. 7. Et 2. Epid. 2. seu spiritus crassus 3. de diff. respir. 10. qui perreptat musculorum corpora, copia magis quàm qualitate nocente peccans, ac musculosum genus fatigans. Elevantur hi vapores, vel à stomacho & locis concoctioni primæ servientibus, ut docet Forestus lib. 10. observationũ, Scholio 126. vel mesenterium ejusque venæ vaporem crassum & flatuosum de se mittunt, maximè in febrium initio,

quæ oſcitationem cauſant. Galenus lib. de præſagijs experientia cõfirmatis, vult ex ijs elevari, quæ in corpore introrſum ſunt, unde in magnis venis Hippocrates ponit focum, lib. de flatibus. Perrepere verò hi flatuoſi vapores muſculoſum genus debent, thoracis, & capitis, maximè genarum & oris, quos ſtimulant, ut inſurgat expultrix eorum, ut expirando hiantibus faucibus eijciat vaporoſum craſſum. Cum autem expiratio non ſit ſolius Naturalis facultatis motus, ſed animalis cooperetur, duplicem hîc motum fieri mihi perſuadeo, unum Naturę expellentis vaporoſum flatum craſſum, alterum Animalis virtutis muſculos faciei, & thoracis moventis & attrahentis ſpaſmodicè aliquo modo.

Cum igitur Oſcitatio non ſit motus depravatus ſolius naturæ moventis expellendo, ſed etiam Animalis facultatis quæ organa motus thoracis, & oris movet, ut reſpirationem depravatam producat, haud mirum ſi ex viſo oſcitante uno imaginatio in aliam oſcitationem promoveat. Nunquam ſpatijs muſculorum humiditas deeſt, & thoraci ſpiritus, quem per ἐκφύσησιν hiante ore

ſæpè βοφώδεσ ſeu cum ſono expellit. In noſtra ægra copioſus craſſus flatus, ſeu vapor halituoſus thoracis, & buccarum infeſtavit muſculos, non ſaltim ex ſtomacho aut officina chyli prodijt, quũ purgantia vim intulerint virtuti, nec cõmodum ullum ſenſerit ex eis; & carminativa ſimplicia illa fatua fuerint, ſed etiam ex utero, ut hyſtericorum proficuus uſus medicamentorum edocuit, quæ & morbum profligarunt; quin convulſivæ quaſi abdominis, & thoracis muſculorum attractiones, majorẽ fuiſſe vim quàm halituoſum vaporem meſenterij aut ſtomachi demonſtrant. Cura Hippocratica quam docet lib. 6. Epid. c. 2. aph. 10. Ubi longam reſpirationem continuarum oſcitationum Medicatorium ſcribit & lib. 2. Epid. c. 2. aph. 13. nõ hîc habuit locum, quia copioſior fuit ſpiritus hic halituoſus, quàm ut retentus abſumi aut expirari potuerit. Vinum Generoſum Malvaticum, diluto aquæ, etſi Hippocrates & Galenus 7. aph. 56. id præcipiat, prætuli. Ut humiditates imbibitas ventriculi ori abſumat & exiccet. Subſcripſit eventus, cum oſcitationes à panis buccella malvatico imbibi-

ta, breviores & pauciores sint redditę, ac paroxysmi tempus interruptum, nec in vitium enorme thoracis, & abdominis musculis incurrêre. Reliqua medicamenta qua vi egerint, aut quod indicatum in Theatrum ea produxerit, doctus lector judicabit.



CASVS X.

TREMOR PEDVM INVOluntarius in quiescente & ambulante.

IN nosocomium, quod pijs Eleemosinis Augustæ sustentatur, textor quidã sortis infimæ, & fortunæ sinistræ venit, cacochymicus, quem fames, pestis dira, & uxor, bestia mala, ejecerunt, & domo & civitate, ut in bruma latebras quæreret alienas, cum in proprijs algor, & penuria hybernarent. Hic ab exilio redux etiam clementi hyeme, de fame & frigore conquestus voce lamentabili, & subsultantibus membris, receptus & curæ subjectus fuit. Quadraginta circiter annorum erat, facie subnigra, crinibus atris,

atris, corpore cacochymico. Huic puero Tycheminus propitia, pater Iro pauperior, injusta noverca pro matre; pecuarijs igitur subservire coactus in die bubulcum, noctu equisonem sequebatur sine tibialijs & calceis. Debilis erat, fortè ob famis dira, pedes cum saltu quodam tremebant, seu ambularet innixus baculo, seu sedens quiesceret, seu cubans in lecto attraheret. Brachiorum ea jectigatio non fuit, nec aliorum membrorum tremor. Misertus miseri, cum viderem nec calorem lecti, nec cibi bonitatem ac ordinem quicquam proficere, curam talem instituere placuit: Purgavi sæpiùs corpus, postea decocto Guajaci jussi uti, ad sudorem, quod fuit tale. ℞ Ligni Guajaci torneati ℔j. ponderis medicinalis, Corticis ejusdem ℥j. Sassafrasij ʒx. Radicis Cariophyllatæ ℥js. Aquæ fontanæ Mensuras sex Augustanas, stent in infuso per noctem loco calido, testâ clausâ & vitreatâ, manè coque igne lento ad casum medietatis, in infusum immerge nodulum in quem ligata sunt, Thymbræ hortensis, seu Cuniculæ Mjs. sem. feniculi ʒs. coque & cola; quod refrigeratum manè ad ℥iiij. hausit; eodem deco-

decocto usus est pro potu ordinario. Usus hujus duravit plus quàm triginta dies, sudavit copiosè, dolor tum pedes adflixit, incessus tamen erat melior, tremensque saltus membrorum mitior, & jectigatio tremula quasi nulla. Maximum se frigus in pedibus sentire aiebat, & color non alienus fuit ab illorum, quos scelotyrbe maculat. Fateor tamen me scelotyrbem, utpote rarum morbum apud nos, non ita diris Symptomatibus sævientem, ut illi in Medica facultate proceres Septentrionalium & maritimorum locorum annotant, unquam observasse. Nec mirum: alia nobis Diæta, nec ita salsa, nec crassa, potusque magis tenuis, & necarinum lymphatum nectar. Adjuvare sudorem hoc electuario quod vesperi adsumsit, ad ʒjs. pondus, volui: ℞ Theriacæ Andromachi veteris ℥s. Acorj conditi. ℥j. M. Inunxi etiam pedes. Aquæ Artheticæ descriptionis nostri dispensatorij, & Aquę salviæ sylvestris cum vino destillatæ partibus æqualibus. Dabat inducias tremor, & vix ambulanti accessit, at recidiva facta, in corpore cachectico, pejora caussavit, Thermas quærere jussi, sed Marte

& Mor-

& Morte furente, viæ minus securæ, misericordia nulla, pauperrimum cura excluserunt perfecta. Quare calidis oleis Illinire exitum ex spinali medulla, nervos crurum, & ipsos musculos partium movendarum inferiorum adgressus. ℞ Olei Lumbricorum terrestrium ℥iij. Olei vulpini. Castorei, de Lateribus ana ℥j. Vini albi optimi ℥iiij. coq. ad cōsumptionem vini. Conqueritur & nunc de summo frigore in pedibus & dolore. Tremor membrorum idem, at non continuus, ideoque in Thermas Badenses Marchionis missus post aliquot menses; præ pauperie convalescere nequivit. Rediit baculo incedens, non tamen ita tremulus. Discessit ob supra adscripta monstra, nec visus in hoc anno 1626.

SCHOLION.

TRemulum hunc nostrum civem motibus his varijs & miris subjungere placuit, ut is hoc agmen clauderet, Tremuli enim post principia aptè collocantur. Superiùs de tremore plurima, quæ hujus subsultus causa sit, Platerus & alius fortè explicabunt. Magnum illud

Lumen

Lumen ſcribit Tremorem tantò majorem fieri, ſi membrum quod moveri debet, grave exiſtat, vel minùs ſequatur, & muſculus ad movendum aliquo modo etiam involuntariè incitetur: Hoc incitamentum in nervis & muſculis læſionem vocat, ab humore excrementitio, qui irritat ad motum nervũ, & quaſi impellit; maximè pravitatis ſi quid ei inest. Tract. 1. lib. 2. c. 3. Salius Concuſſionis membrorum, & ſaltus cauſam dum inveſtigat, adfirmat; omnibus his adflictionibus ſubjectos imbecillum genus nervorum ab ortu aut recepiſſe, aut ex accidenti in eis tale quid factum fuiſſe, quod cum à prava viroſaq; tenui, ac pauca materia ſtimulatur ac moleſtatur, ipſum inſurgit ut excutiat. Et hanc materiam nervoſo generi infixam eſſe vult, generari vel in cerebro malè adfecto, vel particulari aliquo membro, quod malè habet, de Adf. part. c. 20. In noſtro ęgro ſanè, cui paupertas pedem ſubmiſit, Nervoſum genus admodum debile fuit, cum in pueritia famis & algoris conflictus ſenſerit plures, nec eos vitare potuerit toto vitæ curriculo. In muſculis pedum latitat quod irritat ad

mo-

motum, pravum aliquod & tenue, vellicando eas partes: Cum ſudor & inunctio frigoris, & doloris ſenſum in illis partibus cauſarint. Quieſcenti & jacenti cum tremor adſit, nec pōdus partium movendarum, nec debilitas virtutis ſufficiebant. Has itaque cauſas apud horum autorum tripodem quæſivi, nec mihi in eis adeò placeo, ut doctiores audire recuſem.

Novi Galenum virtuti invalidę, non organis adſcribere Tremorem, at cum ſimile proponat, extenſionem manus in ſanis, quæ etiam duobus perficitur motibus, ſurſum quidem trahente facultate; deorſum ob membri gravitatē, ob quam deorſum labitur: itaque & movendæ parti cum Platero hujus jectigationis cauſam aliquo modo adſcribere placuit. Maximè cum etiam non actionem tentanti tremulus hic ſaltus adſit. At Galenus noſter, Membri actionem vult Tremoris cauſam eſſe adjuvantem: quum nullum motum tentanti tremor non contingat. Et licèt concedam in noſtro ægro facultatem debilem eſſe ob frigoris, ob famis nocumenta, attamen cum plenus & euchymus cibus, quo nūc

hoc

hoc ſemeſtre veſcitur, cum calidus lectus, decoctum & ſudor, calida illinitio eum non vindicarint ab hoc malo, maximè cum corpus incipiat fieri ſucculẽtum, materiam quandam nervos vellicantem & muſculis pedum adeſſe puto, quum die doleant. Superiora enim nec tremunt, nec dolent. Non enim ſemper facultas debilis, ſed & intemperies aut muſculi moventis, aut nervi admittentis facultatem tremorem cauſat. Eſt

Hiſtoria. optimus & honeſtiſſimus quidam vir apud nos, cui manus dextra nullum defectum ſenſit quavis diei hora, niſi cum manè calamo aut penna in ſcribendo uti vult, incipit quidem ſine faſtidio ſcribere, niſi quod fortiùs comprimat priores digitos tres, quibus ars ſcribendi opus conceſſit, ut ijs ſolet uſu venire, quibus gravior manus ad ſcribendum eſt, cum & illi contractivos ſentiant motus, ut & mihi ſcribenti hæc & aliàs ſæpius accidit: at cum jam unam aut alteram abſolvit lineam, ſubitò manus quaſi retrotrahitur, ut non ſecundum lineam rectam manus verſum ſcribat, ſed deorsũ ad calcem chartæ ducat lineã; ni vi quadam pennam extollat. Catharris obno-

xius,

xius, prius ſenſit in axillam deſtillationis nocumentum, quod in muſculum palmarem deflectens hanc laſſitudinem tremulam, & convulſioni æmulam cauſavit. Hactenus uſus optimis remedijs topicis, & avertentibus materiam purgando &c. id effecimus, ut mitius malum ſaltim ſit. Deſcribit ſimilem caſum Reinerus Solenander. Conſ. Med. ſ. 2. c. 18. ex quo Medicamenta depromſi. Suaſi Ferinarum uſum: at acidulis conſuetis uti maluit, randem uſus Emplaſtro attrahente, cucurbitulis ſiccis, ſuaſu Doctoris in fonte illo, ſenſit aliquid boni, at nil perfecti, & malum in eodem anno. Decocto Guajaci in priore ægro uti volui ſine diæta exquiſita (monente Montano Conſ. 7.) quam & noſtrum Noſocomium nō admittit, quod ſolis ſporadicis morbis, & quibuſdam contagioſis, ſed ſine peſte & morbo Gallico, dedicatum. Nam felix noſtra patria & his ædes, curas & Medicos diverſos conſecravit malis.



DECAS QUINTA.

CASUS I.

SPASMODICA ABDOMINIS adfectio.

PATER Jesuita, habitus siccioris, corporis hirsuti, temperamenti Melancholici, ætatis consistentis, passus est adflictiones spasmodicas abdominis: quarum exortus à musculis abdominis, & finis in diaphragmate & thoracis fuit. Convulsus itaq; quasi thorax, spiritum difficilem, sublimem & anhelosum dedit; aberrabat nonnihil in paroxysmo mens, quum diaphragmati noxa esset, cui cerebrum nervum implantat. Rugitus, & murmura in ventre, flatuum opera, hypochondrij passio diuturnior. Adfectio sanè, si non re ipsa, at mihi saltim rara; in qua musculi abdominis & ventris, thoracis & vasorum genitaliũ, quod involuntaria seminis excretio in paroxysmo indigitavit, convulsi sunt. Focum causæ morbidæ in hypochon-

drijs latitare audax pronunciavi; non quidem ex nobili lienis viſcere, tot arterijs aura vitali prægnantibus dotato, ut quidem imperitarum muliercularum garritus ſuſurrat, & nonnulli ſomniant Medici; hinc fabula illa narratur toti notiſſima terræ, peccata hypochondrij innocuo Lieni adfricari. Non potuit hoc nobile viſcus, plurimis beatum arteriis, tenuiſſimis condecoratum vaſis, vitali multùm calore gaudens, non eam infamiæ ſubterfugere notam, ut non audiret fœculentæ ſaburræ, & flatuum nocentium, diſtendentium, rugiētiumque hoſpitium eſſe. Falſi eo, quod Colon inteſtinum juxta lienem locatum eſt. Huic natura cellulas dedit plures, in quibus fœces & flatus hoſpites, ab his murmur, diſtentio, & ſi quid mali reliquum. Anguſtius eſt in ſiniſtro latere, ut cedat lieni, nobili ſcilicet viſceri, cui tamen avet necti membranis tenuiſſimis. Aliæ igitur partes in hypochondrio peccare dixi, ventriculum ſcilicet & inteſtina, ſicciori calore chylum producentia, Venaſque meſeræi, quarum intemperies ſicca & calida quotidiè alluente fovetur chylo craſſo, & cocturâ

Lienis nobilitas & in hypochōdriaca adfectione innocētia.

calidiore; In his partibus coctionem primam & vitiari, & ejus perfectionem impediri. Vitiari, quum in hypochondriaca adfectione ventriculus ſiccior ſit, quàm ut bonam chyli coctionem efficiat; impediri, quia venæ meſenterij calidiores humidum exugunt ex coquendis, & in chylum formandis citiùs quàm par eſt. Unde craſſior chylus & terreſtrior, qui in venis meſenterij torpidè movetur, & pigra quiete vaſis illis vitium infert infarctus; quod ſi ſiccus calor diutiùs in illum agat, elicit flatus, & uberem vaporum proventum producit: Qui cum mobiles natura ſint, haud in cavitatibus fixi manent, ſed cuniculos ubique parant, linquentes hoſpitium vetus, ac membranas inteſtinorum perreptant, & ſe in muſculos, nervos, tendines abdominis inſinuant, quas perreptando cõvellunt, & quum copioſi ſint, non acquieſcunt in horum commotione, ſed & thoracis & genitalium muſculos, utpote vicinos, vellicant, ac ſpaſmũ excitatis tot expultricibus in ijs cauſant. Hæc proferenti adſenſit adſtans collega, qui pro ſingultu id malum habuit, placuit & hęc ſententia Patri Terrentio, qui

qui mecum Medicinæ Patavij operam dedit, ſubjungens, ſi curarim ægrum, ut de ipſius cauſa diſcurrerim eum fore brevi ſanum. Communi itaque conſilio, vacuantia, melanogoga, phlegmagoga, flatus diſcutientia ſaburræ in inteſtinis, venis meſenterij & primis vijs opposuimus, conantes de malo demere, quod licitum; infarctus reſerantibus, & deobſtruentibus ut vocantur expedire, & viſcera à morbidæ materiæ moleſtia liberare: muſculoſa & nervoſa corpora oleis anodynis, flatus diſcutientibus demulcere, ac eorum contractiones mitigare; ventriculi & viſcerum ac venarum ſiccam ac calidam intemperiem humectantibus, & temperatè refrigerantibus corrigere ac emendare, tùm in victu, tùm medicinis: idque Syrupo de pomis odoriferis copiosè ſumpto, & clyſmatibus convenientibus. Siccum tandẽ corpus in labrũ aquæ calidæ dulcis immerſimus; quibus mitior & remiſſior facta adfectio, aërem juſſimus ægrum mutare. Monachium igitur petens, recidivam paſſus, ubi à Medico copioſus olei communis hauſtus propinatus eſt, ex quo levamen ſenſit, ſed nõ diuturnum.

Habuit hæc adfectio ſuas periodos, ac intervalla, jejunum magis, quàm ſaturum adgrediebatur, ac ſi natura cibum dum conficeret, non malum morbidum curaret. Actum hoc eſt Anno M. DC. XVII.

Retulit quidam eius Societatis anno M. DC. XX. eum hoc malo adhuc torqueri, quamvis rariùs. Hoc tempore, quo hæc ſcribo, adhuc vivere ijſdem malis, ſed quodammodò levioribus ve-
1626. xatum, pronunciatur.

SCHOLION.

HEurnius in libro de morbis capitis, cap. 25. ſimilem depingit hiſtoriã, quam cum majoris lucis ergô exſcripſiſſem, ac ægro & patri Terrentio tradidiſſem, nec hic abeſſe eam placet. Sonant
Hiſtoria. ejus verba ſic. Cum medicinam diſcebam Patavij, vidi adoleſcentem, cujus inteſtina totumque abdomen convellebatur, teſtes & vaſa ſpermatica ſub oſſe pubis abſcondebantur, rugitus aderat, & tenſio hypochondriorum. Frigida huic erat temperies, & ventriculus frigidus cum madore; anheloſus erat à

diaphragmate oppreſſo, ac mente in paroxyſmo exuebatur. Præceptores mei adhibebant flatus diſcutientia & eos attenuantia, ac ea quæ evincere poterant materiam frigidam coquendo ac purgãdo, & roborabant tandem inteſtina. Primum injectus clyſter eſt, ex decocto anethi, cum hiera, melle roſato, & oleo chamomeli; & dein decocto agrimonię petroſelini præparabatur; poſtea pilulis aureis, aloëphanginis purgabatur, alternis diebus clyſter repetebatur. Foris oleo rutæ & Caſtorei inungebatur. Interdum accipiebat unam pilulam ex caſtoreo cum ſyrupo bethonicæ, hæc inaurata erat. Bibebat vinum ſalviatum, & ex bethonica: Dianiſum illi in delitiis erat; fricabantur crura. Quæ Heurnius, qui caſum rarum vocat: & noſtrum ob raritatem huic Decadi incluſimus.

Lienis innocẽtia in flatuoſa hypochõdriaca exponitur.

Vulgi garritus & mulierum crocitus Lienem innocuum infamiæ nota conſpurcarunt, ac ſi is fæcis, & ſaburræ melancholicæ hoſpitium eſſet: ita ut quicquid in ileo peccetur ſiniſtro, aut in hypochondrijs, ob id Lien audiatur ſiniſtrè. Id haud dextrè citatus ex Hippocrate locus à Galeno 2. de Naturalibus

facult. 9. causavit. Quibus lien minui-
» tur, illis corpus floret; præterea quibus
» id viscus magnum ac tumens augescit,
» his corpus minuitur, & cacochymum
» redditur.

Hinc magni nominis Medicus sic ex hoc concludit loco; Si propria lienis functio est, superfluitate melancholici humoris sanguinem purgare; sequetur, ut sicuti sanus existens suo munere fungitur Lien, sanguine bono nutritur corpus, floridumque redditur: Ita si nõ fungatur suo munere, reddatur corpus cacochymum, ut coloris vitiosi, herbacei, plumbei, ex viridi albescentis, fusci aut alias quasdam coloris proprietates ad nigrum tendentes, quæ icteri nigri voce continentur, contrahat. Idque ex mente Gal. 6. Loc. adf. 1. At pace magnificorum horum virorum enunciationem hanc de Liene non esse convertibilem dico. Non enim florescebat Bergeri Cauponis nostratis corpus, quod totum inflatum & aqua tumidum fuit, non quidem limpida & serosa, sed instar glutinis crassa & condensata, maximè in pedibus, quæ sub dio in aquam solvebatur: & tamen ejus lien parvus, solidus & integer fuit.

Historia.

Senex

Senex Divinus Cous libro de locis in homine ſic de Lienis loquitur turgeſcẽtia; Cum LIEN ex febre tumidus extiterit, quod fit cum corpus extenuatur. Ex ijſdem enim & LIEN augeſcit, & corpus contabeſcit. Cum autem corpus extenuatur, & LIEN turgeſcit, unà etiam cũ corpore omentum extenuatum fuerit, ejus pinguedo colliqueſcit. Ubi verò partes iſtæ pinguedine vacuæ fuerint, & ex Liene turgeſcente in omentum defluxerit, quod cum nimirum valdè vicinum exiſtat, & vaſa vacua habeat, id excipit, atque ubi ſemel in corpore morbus exortus fuerit, ad id quod morboſum eſt vertitur, niſi quis rectè tractet, ut etiam ſi benè tractetur, periculo non careat.

Docet his Senex noſter Cous, ex febre Lienem poſſe fieri tumidum, & corpus attenuari, nimirum dum Lienis calorem ad intemperantiam exceſſivam redigit, ut omnem humiditatem ex vẽtriculo ad ſe trahat, & coctionem primam ſic lædat, quam hepatis virtus emendare non valet; coquitur itaque ſanguis minus bonus, ſed talis qui non inſervit corpori ad alendum, hinc nec au-

getur, nec humectatur ritè, ſed exiccatur & extenuatur, ac decreſcit.

Febrilis calor operam ſuam ſubminiſtrat & contabeſcentiæ corporis, & turgeſcentiæ lienis, cum igneus ſit, qui ſeroſa exiccat; cogitur igitur LIEN liquida ex ventre proſicere, ut idem Senex noſter Lib. 4. de Morbis ſic ſe explicat:
» Verba ejus ſic ſonant; Aſſevero autem,
» quod ubi quis ampliùs biberit, corpus &
» lien ex ventriculo aquam ad ſe attra-
» hunt, & ſi plùs æquo traxerint, confe-
» ſtim hominem laborare, itaque ita con-
» tingere ſentiunt, qui Lienoſi ſunt. At u-
» bi Lien traxerit, optimè quidem ceſſe-
» rit, ſi vetus aqua quæ in Liene, aut ven-
» triculo ineſt, ad veſicam percoletur, &
» iſthac veluti per colum effundatur. Ne-
» que enim per ſuperiora loca aqua de Lie-
» ne expurgatur, niſi certè quantum in
» vaſis ineſt, quæ à Liene procedunt, ſed
» in ventriculum & veſicam expurgatio
» fieri poteſt. Hæc autem niſi fluida fue-
» rint, & foràs percolentur, aqua de Liene
» ad inferiores partes fertur, illicque reli-
» quo humori commiſcetur. Quæ verba
Senis ſapientiſſimi clarè docent, quomodo LIEN ex febre intumeſcat; quia natu-

natura ejus est attrahere humidum liquidumque, quòd passim Aquam vocat. Excalfactus itaque Lien plus aquæ trahit, unde laborare contingit hominem, maximè si reliquam non deposuit per arterias emulgentes ad urinæ receptaculum, aut non regurgitarit ad ventriculum, quod rarum esse adfirmat. Relicta ergo aqua in Liene & ejus vasis, turgidus fit Lien, maximè si copiosa bibitur, ut in febribus frequens est.

Nam si aqua pauca est, ut Senex sapiẽtissimus ibidem loquitur, minimè utique gravarit, sed de corpore ad vesicam & ventriculum per venas percolabitur, multæ enim ex eo deferuntur, quæ ubi sicciores quàm antea fuerint, ad se ex inferioribus partibus trahunt.

Quod si altera aqua oriatur, (id est, nova semper hauriatur bibendo) neq; ventriculus, neque vesica foràs percolet, LIEN attollitur, & inferiores corporis partes dolore adfliguntur. Turgidus itaque Lien fit à copia humidi, & corpus tabescit ob ejus privationem, quũ sanguis eo non temperetur. Ex turgido Liene hydrops fit, ut sequens Coi prudentissima instructio Curæ edocet, qua doceta.

cet aquam purgantibus evocare, aut tenuissimas crustas umbilico inurere, ex quibus singulis diebus aqua elicienda. Quæ Senis Divini Coi oracula, Lienem ab infamia, quæ saburræ melancholicæ domicilium vocatur, vendicant potiùs, quàm ut tàm vile ejus officium dicant, & vitium ei aliquod adfricent.

In moderatione seu debita actione Lienis sanitatem corporis consistere, in ametria seu immoderatione morbum in confesso est. At non quia fæcem terrestrẽ separat, ab alibili humore corporis, sed quia vita in humidi moderatione viget, & sanitas viret. Lien est quod humidum subministrat aptum, ejusque locus ab Hippocrate dicitur. Si igitur turget Lien, nulla humidi fit distributio in corpus, hinc tabes, hectica; quum à febre exarescentes partes nil sentiant humidi: si verò aquam deponit in omentũ, quod ob venarum mesaraicarum calorem colliquantem pinguedinem amisit, hydropen causat: ut videre est lib. de Locis in homine. Lienem porrò magnum fieri, si febris aut mala curatio bilem vel pituitam auxerunt, quæ utraque cum sero ad Lienem decumbunt. Unde,

ait,

ait, si bilis simul cum aqua ad Lienem rapiatur, malos colores, ulcera, fœtorem oris, & gracilitatem corporis fieri: Lib. de Adfectionibus, si pituita colores quidem plumbeos producit, & lien vel major vel minor redditur, ulcera vix in tibijs sunt, sed partes eæ quæ subsunt oculis valdè sublatæ sunt, loco citato & lib. 2. prædict. Curari verò spleneticis, quæ ipsi sunt duplicia; alia enim per vesicam purgant, & molliorem efficiunt, quæ sunt diuretica: alia verò purgant quidē, neque tamen quicquam per vesicam quod evidens sit, neque per aliam uspiam partem, lienem tamen emolliunt, qualia sunt adpropriata, quæ per insensibilem discussionem hoc agunt, ut videre est libro de Adfectionibus. Causa igitur quæ LIENEM turgescere facit, & quæ ejus tumorem deplet manifesta est. Clarum est; non sc. terrestrem, non feculentum, non crassum humorem ex sanguine, vel ut crassius loquuntur, ex hepate à liene prolici, quem Melancholiam dicunt, sed tenuem, sed serosum & fluidum. Qualis per vesicam expurgatur; qualisque prolicitus diureticis detumescit turgidus, & emollitur tumidus

Splenetica medicamenta qualia Hippocrati.

Lienis tumoris causa.

dus Lien. Ægerrimè mihi persuaderi patior, providam, sapientem, & dextram naturã, tàm sinistrè de hoc viscere meritam esse, ut nonnulli sentiunt. Alia ejus substantia, alia ejus fabrica, aliud ejus temperamentum, quàm ut ad tàm vile munus destinatus sit, instar mediastini, ut subserviat hepati in fece, saburra, limove sanguinis extergendo. Mollis, rara, spongiosa, & laxa ejus est substantia, quamvis Platero hepate compactior dicatur, instar solidioris spongiæ, aut levioris punicis Laurentio. De temperatura ejus aptè loquitur Senex noster sapientissimus, lib. de Carnibus: in constitutione Lienis calidi plurimum, frigidi minimum remansisse, quantum scilicet sufficiebat ad glutinosum cogendum. His igitur dotibus ornatus Lien, non potest absque piaculo receptaculum fæcũ sanguinis adpellari; aut sentina terrestris saburræ seu excrementi Melancholici dici; sed ad præstantius ac majus opus eum vocatum aut procreatum puto. Jocundissimę Felicissimi Plateri, & magni Casparis Bauhini, clarissimorum Germaniæ luminum, opiniones, me ita firmum reddunt in hac mea sententia; ut ijs

Lienis substãtia.

Casp. Bauh Anat. lib. 1. c. 43.

Temperamentum.

ut ijs ſolis inniterer, utpote fideliſſimorum præceptorum placetis, quæ per ſe ſunt ita firmata, ut alijs rationibus non egeant: attamen & meas nænias ijs accinere placet. *Nobilitas. Lienis adſeritur.*

Parenchyma Lienis oculis claris inſpicite, tenuiſſimis vaſis, æmulantibus fibras, arterijs nempe & venis inſtar plexus cujuſdam copulatis & commixtis circumfuſum eſt. In his excrementa craſſa recipi putatis? Bilis flava, tenuis, mobilis humor; ſerum fluxile, aqueum, cavitate ſeu ventre gaudent, quo recipiuntur, quo conduntur; eaque ampla: & tenuiſſima vaſa, æmula fibris, craſſum, terreſtrem, pigrumque humorem pro hoſpite recipere debere creditis? Pituitæ, in Cerebro, in ventriculo, in inteſtinis, largas & capaces formavit natura cavitates; & melancholiæ anguſtas, teneras, ſubtiles efformaſſet? Sagacior architectus eſt Natura, ſapiens ſuum tribuere cuique. *1. à Lienis fabrica.*

Deinde calidus eſt & humidus Lien, & ſua natura, ut ex Hippocrate loco citato ex libro de Carnibus mõſtravimus; & ob arterias numeroſas, magnasque, quibus etiam hepati præcellit. Calor au- *2. A temperamẽto lienis.*

tem

tem talis, qui à vitali continuè fovetur, non ad crassi humoris conservationem necessarius est, sed ut elaboret attenuando humores, & utiles reddat, ut Fernelius edocet lib. 1. Physs. cap. 7. Tenuis igitur non crassus, utilis non excrementitius humor in liene hospes erit, quem calor lieni proprius, & adveniens, vigore & vita insignis, qualis in arterijs, optimè concoquet & elaborabit. Non nego crassiorem succi partem ex chylo in venis mesaraicis jam alteratam, & sanguinis dispositionem aliquam adeptam, antequam ad hepar fertur, allici & ad splenem deferri per portæ ramum sinistrum, ut Clarissimus & Magnificus Casparus Bauhinus lib. 1. Hist. Anat. c. 15. & cap. 43. docet. Sed hunc succum crassiorem chyli in tenuem sanguinis succum mutari, à calore vegetante, & vivifico arteriosi sanguinis, quem abundare in splene copiosæ arteriæ edocent; quin dilui tenui illo chylo, quem ventriculus ex potu conficit, ac splen ad se rapit per ramum splenicum, qui ad sinistram ventriculi mittitur partem, & vas breve, planè mihi persuadeo. Nam vasa hæc, Natura sagax eò destinavit, ut humidum & liqui-

3. Materia ex qua fit humor in liene contentus.

liquidum ex potu in ventriculo exugant quaſi, ne nimia humiditate chylificationem impediat. Illa verò vaſa non ex hepatis parenchymate exugunt humorem fęculentum & craſſum, qualis Melancholia creditur, ſed ex venis meſaraicis, infra hepar, ut ramus ſiniſter ſplenicus, qui ex chylo in meſaraicis alterato, antequam ad hepar rapitur, portionem allicit, ut docet Bauhinus lib. 1. Anat. cap. 15. Sic vas breve, quod ſtomachum venoſum vocant, ex ipſo ventriculo exugit cremorem. Hunc enim ramum prolicere humidum ex ipſo ſtomacho, lipothomiæ illæ, quæ nonnullis accidunt, qui longiori intervallo edendi tempus præterierunt, oſtendunt. Quam Clariſſimus Bauhinus huic vaſi, loco modò citato, adſcribit operationẽ. Haud igitur coctionis ſecundæ excrementum per hæc vaſa ad Lienem fertur, ſed ſuccus, qui in organis primæ concoctionis elaboratus, & in illis, quæ ea ſequuntur, ac in quibus ſecunda inchoatur, rudimentum quoddam ſanguinis accepit. Provida natura, ſapiens artifex, nobis ſtructura horum vaſorum id demonſtravit, qui in duos ramos diviſit

4. A vaſorum advehentiũ exortu & diſtributione.

truncum portæ, ut duobus his ramis, & in dextra & ſiniſtra parte chylus per venas repens, diſtribueretur, ut in parenchymatibus illis duobus ſanguis ex eo, tanquam in officinis convenientibus elaboretur. Aiunt quidam terreſtrem ſuccum è chylo rapi ad lienem, & ex eo fieri melancholiam. His, noſſe me, reſpondeo, Melancholiam duplicem eſſe, excrementitiam unam, alteram vocari craſſiorem ſanguinis partem; hanc in nullo alio loco elaborari, quàm ubi tota maſſa gignitur ſanguinis, ſiquidem tenue, & craſſum in ſanguine non mutant ſpeciem, nec generationis principia ſeu officinam: At in Hepate ſanguinis tres partes generari, quas vulgus ſub bilis pituitæ, & ſanguinis nomine comprehendit, & melancholiam ſeu Melancholicum ſanguinum in liene, & poſtea commiſceri in hepate, abſurdiſſimum eſſe, & indignum omni philoſophia mihi videtur. Excrementitiam melancholiam Natura ex profeſſo non intendit, ut ei peculiare fabrefecerit viſcus, in quo fex & nex hæc & producatur & reſideat. Solet enim noxij proventum Natura mater impedire, & ſi talia prodeunt,

Melancholiæ differentia.

deunt, ejus potiùs defectus, quàm effectus sint. Præterea partis separatio terrestris à chylo in intestinis, non in mesenterij vasis per se tenuibus, & ineptis ad recipienda crassa terrena fieri solet. Quod si vasa consideramus in ipsa Lienis substantia, in quibus elaboratur succus receptus, aliud judicium erit de succi terrestris generatione seu elaboratione in hoc viscere. Ramus splenicus infra hepar locatus, transuersim ad lienem missus, & ad cavum ejus divisus plurimis ramis in substantiam absumitur Lienis, non quidem ut in hepate conspicuis, sed adeò tenuibus, paucis exceptis, ut fibræ potiùs quàm vasa videantur. An igitur locum angustiorem, subtilioremvè ipso contento Natura formavit? Tenue, subtile sit, quod exiguas venulas ingredi cogitur. Arterias porrò numerosas pluresque hepate, ac magnas recipit, eadem ferè ratione, eodemque numero, quo venas teste Cl. Bauhino Anat. hist. lib. 1. c. 43. quę cum venis plexu quodam connectuntur. At tales plexus nullibi natura frustra elaboravit; In hepate portæ & cavæ venæ plexus alimentalis sanguinis causa fabrefe-

5. A loco elaborationis splenici sanguinis, & vasorum illorũ structura.

cit; in pulmonibus asperæ & lævis arteriæ fit conjunctio, ut aëri liber sit ad Cor ingressus: in cerebro Rete mirabile, & suo nomine de se magnam opinionem dat. Ergo & in liene, ubi venarum mesaraicarum propagines, & totidem arteriarum in ipsius carne implicatæ intexũtur, natura aliquid magni molitur. Pronunciare si quid auderem, dicerem, arterias suo vitali calore, sanguini concredere vim nutriendi; quum ab arteriarum sanguine, & vivere & vigere communicetur omni corpori. Nisi enim sanguinem irradiet hoc nectar, quod ex calido & humido, in quibus sedes vitæ, prodit; alibilis non erit. Magnus Felix Platerus, ad spiritus naturalis generationem hunc plexum necessariò formatum fuisse vult. Quid si arteriæ in Liene radios spiritus naturalis suis spiritibus accenderent, & venæ humidum eis, in quo calor vitalis stabilitur, concederent? Conjugatio itaque horum vasorum admirabilis, negat hospitium esse Lienem Melancholici succi, sive boni seu excrementitij. Deplentia porrò quæ dicuntur vasa Lienis, haud apta ad purgandum tàm crassam melancholiam, ut so-

Quare in Liene plexus arteriarũ & venarum putet autor.

5. A vasis expurgãtibus Lienem.

ut somniant, sunt. Vas siquidem venosum seu breve, cujus officium fingunt acidum eructare humorem in ventriculum, ut adpetitum excitet, hujus causa à Natura positum non est, sed ut recipiat, & exugat ex vẽtriculo, quod tenue, meabile & facilis distributionis est, qualia sunt liquida, utpote sequacia, quibus lipothomiæ, quæ ab inedia diuturniori fiunt, ob hujus vasis suctum, ut superiùs ex Bauhino docuimus, citò abiguntur, ut docet vel vini haustus, vel pinguis jusculi adsumptio. Melancholici verò humoris in ventriculum eructatio nec necessaria est, cum ejus præsentia inficiat chylum, officiat adpetitui, & coctionis vim impediat. Declinat natura sapiens ac provida quæ nocent, & procurat quæ proficiunt.

Melãcholicum humorem nõ eructari in sanis in ventriculum.

Crassarum hic terrestris humor partium est, hinc adstrictio, & quædam ei inest acerbitas, quibus sensus obtusus fit, ut hæmodia quam dentibus conciliat planum facit. At obtusus sensus orificij ventriculi prosternit adpetitum. Taceo, quod hoc vas paucissimis ad orificium vergat, plurimis ad fundum. Fermentum porrò hoc acerbum, chylum

C. Bauhinus lib. 1. Anat, c. 43.

corrumperet, agitaret, & ingrato inficeret sapore, & sua frigiditate, (talem enim fingunt, quum frigidum & siccum dicunt) calorem ventriculi in elaborando obtunderet. Acidum sanè humorem, haud nego inesse ventriculo, imò ei ingenitum & connatum credo, quem relicta chyli vel cibi portio benè elaborata fovet, & quasi auget. Non is crassus est, sed tenuis, docet is humor in os ascendens famelicis, qui planè serosus, ac acidularum tenuitatem & aciditatem æmulatur. Quibus ferit dentes, linguam ac palatum grato quodam acore, sitim ut omnem auferat. Eadem delectatione adficit nervosum ventriculi corpus, & sua mobili virtute permeat omne ingestum, illudque solvit in liquorem aptum ac lævigatum; nec sine ea coctio perfecta, concinna ac bona in ventriculo fit: ut videmus Zythepsas sine fermēto Cervisiæ alterius, aliam haud coquere perfectam (unde vulgò das Haubt, quasi dicas Cervisiæ caput, vocatur.) Admiscetur enim hoc cervisię, decocto malzo, ut totum ejus corpus, quod ex aquea & aërea constat substantia, cōmoveatur, agitetur, effervescat ac fermente-

De acido humore vētriculi.

tur. Permeat illud omnes cerviſiæ partes, ſeparat craſſa à tenuibus, provocatque ſpiritus vivificantes latitantes in malzo.

Qualis humor. Tenuis itaque humor hic, ſpiritibus, vel quaſi corroſivis, prægnans ventriculo ingenitus eſt, in eoque quotidiè quaſi renovatus ac reſarcitus ab aſſumptis cibis, (ut ſentit doctiſſimè Felix Platerus Ocellus Germanicæ Medicinæ Tract. 1. lib. 2. cap. 12.) fermentat quaſi chylum & exagitat, in lævigatum humorem permeabili ſua natura redigit; ſerum æmulatur, acidus eſt, & ſi non nimius, gratiſſimus, hic & eſurienti & famelico humectat palatum, ferit dentes, gratiſſimè vellicat linguam, & mihi hæc meditanti, & nunc deſcribenti accidit. Si igitur cogimur concedere ex hoc venoſo ſtomacho, ſeu vaſe brevi in ſanis aliquid eructari in ventriculum, hunc ſeroſum humorem eſſe, non fæculentum ſanguinem dicemus; famelica illa humiditas feriens dentes & linguam, ptyaliſmi acidi, ſeroſi, tenues ſubſcribent. Denique in ſanis nec ſeceſſu fœculentus talis nec vomitu eijcitur humor, qualis Melancholia dicitur. Itaque nec hujus hu-

moris in ſano corpore unquam eſt eructatio, cum in ventriculo ei negetur lõgius hoſpitium, ut hoſpiti minus grato & ejectione digno. Non verò videmus ejus vomitum; nec in alvi excretis is obſervatur. Cujus enim quotidiè fit generatio, de eo etiam quotidiè quid perditur.

De ſplenico deceſſu. Noſtrates quidem gryſea illa alvi excreta, ſplenicum deceſſum vocant, ſed quàm ineptè, norunt initiati ferè Medicinæ; primæ cum ſint coctionis recrementa, quibus ob flavæ bilis abſentiam, deeſt color flavus, ut in ictericis videre eſt. Obſtructionis ſignum, ob quam denegatur deſcenſus bilis.

Ingratus itaque hic hoſpes cum nullibi ejectus in ſanis videatur, nunquam in hoc hoſpitium recipietur, & ei introitus negabitur, cum excrementum ſit naturâ terreſtre, frigidum & ſiccum temperamento, undè & ſapore acerbũ, quod nec coctionem admittit, nec alienam promovet. Quare ad appetitum promovendum eſt ineptum, quum ſua acerbitate humorem compingat lẽtum, adſtrictione terrena venas obtundat ſugentes, & nervis organis adpetitus ſenſum

ſum conciliet obtuſum, ſua repleat craſſitie cavum ſtomachi. Ultimò retentus circa meſenterij vaſa, noxas & morbos dat, quæ tamen ejus creduntur locus, cur in ventriculo non idem aut tetrius quid cauſaret. Melancholia enim in ventriculi cavum ſi eructatur, aut mitis eſt & ſalutaris, aut tetra & excremẽtum, quæ eſt noxa quædam. Illa, cum pars ſit ſanguinis, putreſcet extra venas, dictante Sene Divino.

Hæc cum noxa, virus & nex, haud inſanè in ſanis adfirmabitis intrare ventriculum? Nulli igitur Melancholiæ pro hoſpitio dedicatus eſt ventriculus, nec in ſano ingredietur illum. In vaſis meſenterij inconcoctum, crudum, craſſum & fœculentum hoſpitari ſanguinem memini me alibi ſcripſiſſe, unde ex hæmorrhoidibus, quas ſplenis depletoria dixêre vaſa, materia quædam fæculenta & ſanguinis fęx deponi poteſt. A meſenterica ſiniſtra prodit hæmorrhois interna, & ad recti inteſtini extremum deſcendit, quod aliquot ſurculis orbiculatim complectitur, Cl. Bauhinus Anatomiæ ſuæ lib. 1. cap. 15. At hujus rami apertio rarior eſt, quàm externæ hæmor-

Parte prima, decade ſecũda, caſu 2. & 3.

rhoïdis, adfirmantque fautores opinionis communis, tùm demum illam aperiri, cum Lien obstructus dicitur, ut superioribus decadibus ex Laurentij, & R. Solenandri decretis aliquo modo innui. Eructatur verò fœculentus sanguis & aquosior, ut Valetius in Hollerium scribit, crudus & minùs elaboratus, quique in officinis sanguinis non ad omnes probas progressus, Decade secunda scholio ad observationes primam & secundam operis hujus. Et hoc edocet clarissimè originis horum vasorum locus, proditur non à Liene sed à mesenterica sinistra; in qua, ut in omnibus venis portæ, mesentericæ dictæ, sanguis minùs elaboratus, & fæx ejus hæret. Quod igitur ab hac hæmorrhoidali vena eructatur, non ex splene venit, sed ex venis, in quibus & rudis, & non defæcatus inest sanguis, qui visitur revera mucilaginosus & mucosus. Quod si ruber, vel, (ut sanguis effusus videtur) ater est, ex Cava vena provenit à qua hæmorrhois externa. Haud itaque spleni adfricate hanc infamiam, ut dicatis in eo fieri succum terrestrem melancholicum.

Per urinas splenem purgari Hippocrates

crates docet, dum diuretica præſcribit[a]. Ad renes igitur neet ſplenis excrementum per arteriam meſentericam ſiniſtram, quæ emulgenti per trũcum communem vicina eſt. Et hæc ſerum copioſum, quod in ſanis, non fæx eſt, non ſaburra craſſa terrena, ſed aquoſa deponũt. In quartana quæ deceſſerunt nigra, criticè prodierũt, expurgata materia quartanæ febris cauſa, quæ in venis aut meſaraicis ſi intermittens, aut cavæ ſi continua, locabatur. Ex his autem aut per emulgentes renum, aut per hæmorrhoides ani conſueta fit hujus materiæ purgatio. A Calumnia & infamia, qua notatur quod ſit receptaculum, hoſpitium, officina excrementoſi, pigri, fæculenti humoris, his ſententijs conor vindicare ac abſolvere innocuum ſplenem; quas multi viri Doctiſſimi, quorum ego vix dignus corrigiam calcei ſolvere, non admittent. Andreas Laurentius in ſuis Anatomicis diſcurſibus, ſcribit, volumus cum Galeno Lienem ad fæculenti ſanguinis expurgationem conſtructum; qui ingenita & nobis incognita vi allicit, non purum & impermiſtum ſuccum melancholicum, ut veſicula fellis, *Lib. 1. quæſt. 36.*

ſed

ſed multo benigno, & laudabili ſangui-ne perfuſum; ut renes ſanguinem ſero mixtum attrahunt: Et ut hi nutriuntur puro ſanguine, & ſerum ad veſicam deponunt, ita Lien nutritur puriori & attenuato ſucco attracto, impuriorem verò & ſqualidiorem aut ad fundum ventriculi, aut in hæmorrhoides eructat. Deinde, non putare ſe ait eſſe cavitatis in liene neceſſitatem, quia venarum & arteriarum plexus ſint innumeri, in quibus coctio fieri poteſt, ſic in hepate, ſic in mammis & teſtibus plexus innumeri obſervantur vaſorum. Denique vomitus & dejectiones ideò non eſſe nigras, quia perexigua fœculenti ſanguinis portio eſt, quæ internarum partium calore per halitum digeri poteſt; ut oſſium & cartilagium recrementa diſſipãtur. In ægris in quibus copioſa ſunt talia excrementa vomitus, & hæmorrhois plurima eructat. At hæc non vires frangunt ſententiæ meæ, quum voculæ illæ putare, & velle concludant nihil. Anatomiæ ſagax operatio negat ab hepate prolici ſuccum ſanguineum, ſed ex meſaraicis vaſis antequam hepar ingrediũtur, qui ex ventriculo elicitus chyloſus

ſuccus

ſuccus eſt, nec verè elaboratus, ſed modò inchoatus ſanguis, ut ſuperiùs ſufficienter dictum, & Platerus in poſthuma ſua Centuria docet. Plexus porrò vaſorum tenuium, & exilium denegat craſſo humori hoſpitium, cum bilis tenuis, & ſuccus aëreus cavitatem habeat. Quin provida natura arteriarum, & venarum amplexus copioſos nullibi formavit, niſi ubi ſpirituum copiam viventium ſanguis expoſtulavit, ut in mammis, in quibus lac imprægnatur vitali nectare, ut vigorem & nutrimentum infanti det; & in teſtibus, ubi ſemen vitali aurâ vigorandum fuit. Nec plexus ſine ratione à Natura ſagaciſſima fabrefacti ſunt, ſed ut diſtributioni utplurimum ſervirent; quales ſunt in hepate, in renibus &c. Exiguæ quin etiam portioni ſucci melancholici, quam ait generari, viſcere opus non eſſe aptè edocet, vel ut conficiat, vel ut retineat has fæces, meſenterij cum venæ ad id ſufficiant. Denique terreſtre excrementum, craſſum & fæcem ſanguinis abſumi per inſenſibilem tranſpirationem; & quæ in imo latent corpore, & in viſcere aliquo in abdomine locantur ita occultè diſſipari,

pari,

pari, absurdum fortè videtur. Aliud est tertiæ coctionis excrementum, quod Schola Medica sordes & sudorem vocat, cujus cutis emunctorium & purgationis locus; aliud est secundæ coctionis recrementum, cui natura alia expurgantia dedicavit loca. Lien si hæmatira dysenteria evacuatur, in sanis neutiquam,
6.aph. 48 sed in ægris nonnunquam prodest, nemo sanus crassum humorem sudore minui, & evacuari dixit unquam. Nihil igitur Laurentius dixit, fortè nec alij, qui cum Galeno adducunt lienis colorem atrum, & sublividum in omnibus animalibus, & saporem acidum, quæ de humore nutriente & hospitante testari debent, cum alijs de humoribus, sola melancholia exceptâ; sapor & color nihil pronuncient. Alba sunt ossa, tendines, cartilagines, nutrientur ne illa pituita sola, cum alba sit? pulmo subflavus bilem habebit alimoniam? Ficulnea sanè argumenta, digna quibus in Consualibus corona detur. Nulla pars nutritur excrementitijs humoribus, sed sanguine bono, de quo terrestre ad ossa & cartilagines defertur, aëreum ad pulmones. Nigrum colorem Lieni non in omnibus a-

bus animalibus adſcribit Galenus, de atra bile cap. 6. Hepate quidem nigrior eſt, cum parenchyma ſit, cujus caro ſpõgioſa & laxa, & talis opacitatem quandam habet, & in quo perennat caloris vitalis motus, quare & ſiccior & compactior. Unde Lienem albicare in animalibus, quorum temperamentum ad humidum & frigidum vergit, in calidioribus nigricare dicit loco citato. Acerbitas in juniorum animalium ſplenibus non obſervatur, ſed dulcedo quædam, quæ in quibuſdam adeò ſapida eſt, ut in delitiis habeatur, quod de liene porcino etiam Galenus adfirmat, & vitulinus toſtus ſale & pipere conditus optimè ſapit. Animalium verò, quorum ætas & temperatura ad ſiccum vergit, illis minùs ſuavem eſſe, & acerbitatis non nihil habere non dubito. Quod verò morbi ſanitatis doceant ſtatum, durius mihi videtur verbum, quod capere nequeo. Obſtructiones & ſcyrrhi qui in hoc cadunt viſcus, an ob ſolum contentum craſſum & fœculentum fiant, aliæ partes, quibus etiam conflictus cum his morbis ſunt, dubium faciunt. Vaſa quod aiunt lieni ampliſſima eſſe, ipſa autopſia negat,

3. de alimen. fac. 12.

negat, & numeroſa copia in tàm exiguó viſcere, non niſi tenuia admittit. Obſtructio ſanè in omnes cavitates cadit, maximè in vaſorum plexus, & quo tenuiora vaſa ſunt, eò etiam citiùs hoc malum prodit. Cum igitur in Lienis plexus vaſorum copioſior influit humor, qui nec expurgatur, nec adfluxus alterius deſinit, facilè fit obſtructio aut aliud vitium, maximè ſi immobilis pigerque ibi hæret, ut Hippocrates lib. de Locis in homine manifeſtè docuit. Scyrrhum non tantum humoris aptitudo cauſat, ſed & calor indurans; qui duplex Lieni eſt, unus temperamenti, alter à copia arteriarum, qui ſi vitium à febre aliquod acceperũt, generationem ſcyrrhi citiùs quàm in hepate promovent, quamvis & in hepate calculi reperiantur, maximè ovium. Denique obſtructus lien maſſam ſanguinis non fœculento humore inficit, niſi chyli craſſities ac viſcoſitas ei communicentur, quam emendare non poſſit, vel ſi copioſiùs adfluit, vel ſi calor ejus à morbo p̃cedente vitium hauſit: tunc enim deponit crudos ac pravos humores à ſe in ſiniſtrum portæ ramum, qui in truncum able-

ablegat, ex quo conjuncti ramuli cavæ hauriunt, & cum ſanguine in totum corpus diſtribuunt, ut doctè Felix Platerus Tract.3.lib.1.cap.2. docet. Dicerem ego ideò infici ſanguinem fœculento humore, quia Lien ceſſat à ſuo officio, quod eſt attenuare craſſum chylum, & Hepar ſolum non ſufficere ad bonam coctionem producendam; hinc corpori fœdum colorem cōciliari: eſt ſiquidem Lien moderator quidem colorum corporis malorum, ut Divinus Senex lib. de Adfectionibus innuit. Negat magnus Platerus Icterum nigrum ſobolem eſſe Lienis adfecti; quia non ſit ejus receptaculum, quod ſuperiùs probavimus, dum nec veſicam nec ſinum ei eſſe demonſtravimus: nec ex eo diſtribui poſſe in venam cavam, quum nullo ramo lienē attingat; et ſi ſecederet, à liene in arteriæ ramos recipi deberet, & tunc longè graviora ictero ſymptomata cauſaret. Sedem autem facit Atræ bilis venas portę, ex quibus in cavam in hepate eſt tranſitus; loco citato. Limus igitur & fæx ſanguinis in homine ſano aut exiguus erit aut nullus, aut ille qui in alvum ex venis portæ eructatur, ut cum excrementis ſe- *Atræ bilis ſedes Platero.*

cedat. Cujus locum venas portæ, maximè in Mesenterio, libenter Platero concedo. In illis enim crudus, rudis, & crassus est sanguis, qui si præternaturalis fit, multorum morborum mater erit. Lien itaque nec gaudebit hoc sanguine, nec fruetur, multò minùs pro alimonia habebit, nec ejus officina & sedes erit.

Cui volupe est legere maturiora, jocundiora & doctiora, de Liene, legat Felicis Plateri opinionem, lib. 1. Tract. 3. cap. 2. praxeos, & quæstionem 33. Centuriæ posthumæ. Item doctissimam Magni Caroli Pisonis de opere Lienis sentẽtiam, quomodo illum à Calumnia vindicarit, qui Cloaca melancholici humoris indigitatur, in introitu in librum de morbis prætervisis. Et Clariss. Bauhinum, lib. 1. Anat. cap. 43. H. Reusnerum de Scorb. exc. 4.

Quæ Lienis actio. Quam igitur functionem in humano corpore adscribam Lieni fortè quæritis? Nobile hoc viscus altera officina sanguinis est, & hospitium regale, ad quod rapitur chyli portio per vasa deferentia, quæ sunt ramus splenicus ad sinistram partem ventriculi missus cap. 15. lib. 1. Anatom. C. Bauhinus; infra hepar, ut ex-

hauriat

hauriat aliquam chyli, modò è ventriculo elapsi, portionem, antequam hepar ingrediatur: Concocta erit hæc portio chyli, & benè elaborata, cum ex fundo ventriculi, ubi perficitur chylus, delapsus sit; item vas breve, & gastricæ venæ, quæ tenue quod in ventriculo est & meabile, (tenuium enim cita & concoctio & distributio) exugunt ac lieni offerunt. Paulò ante evicimus breve hoc vas in sanis non eructare melancholicum succum, sive mitem sive tetrum in vẽtriculum, alia igitur ejus actio ibi adsignata est; (In ægris & hoc & alia vasa superflua deponere in ventriculum & intestina non est negandum) nempe quod non det, sed recipiat à stomacho. Carolus Piso in libro de Morbis pręter-visis, hoc vase & gastricis & epiploicis recipi tenuem illum cremorem, qui in ventriculo in chylo elaboratus innatat. Idque ex sedatione FAMIS arguit: quæ citissimè liquidis sedatur, ut jusculis nutrientibus carnis, & generoso vino. Famis autem causa suctio venarum ad vẽtriculum est, qua quietata & fames quiescit. Mesaraicarum suctio in intestinis fit, ex quibus proliciunt chylum, qui in

Vasis brevis opera in sanis.

inteſtina non delabitur niſi reſerato pyloro, qui perfectâ demum concoctione patet; ergo ſplenica vaſa, quæ ad ventriculum tendunt, qualia ſunt vas breve dictum, epiploicæ & gaſtricæ venæ ſiniſtræ, hoc liquidum ad ſe rapiunt, eoque citò reficiuntur, & fames ſopitur. Quæ Carolus Piſo, & Doctiſſimus Sennertus, nec diſplicent. At cum ſpirituoſa illa humiditas acida in vẽtriculo mota famelicos faciat, hanc ab humido ita figi ut moveri ea vi, qua fermenti inſtar ebullivit, non poſſit, maximè ſi copioſus potus, aut juſculum pingue ſit, mihi perſuadeo, & non ſuctionem tolli neceſſariò. Porrò cum liquidorum & tenuium, qualia ſunt vina Rhenana & Necarina, cerviſia alba tenuis, celer ſit ac cita diſtributio, cum vix hauſto potu è menſa, qui ea copioſiùs hauſerunt, ſurgant, ac aquoſam reddant urinam, ſuctionem ex ventriculo fieri ab his vaſis credibile Clauſo illa diſtributio fit adhuc pyloro, & ad emulgentes longior eſt via per hepar, quàm per Lienem, qui arterijs ſerum in ſuo parenchymate, cõmunicat, (ut Clariſſ. Bauhinus cap. 43. lib. Anat. ſuæ: innuere videtur) qui deinde trun-

de trun-

de trunco arteriarum, eo qui in ventre imo latitat, & arterias emulgentes renibus dat; (ut Laurentius in quæstione 38. acutè disputat.) Et hoc est quod D. noster Senex dicit, ASSEVERO quod ubi " quis biberit ampliùs, corpus & Lien a- " quam ex ventriculo attrahunt. Elicitur " itaque tenuis & mobilis chylus à Liene ex ventriculo per vasa hæc sæpius dicta, quem sua propria caliditate, & virtute illa vivifica, qua dotatus est à numerosa arteriarum sobole, ita elaborat, ut non incrassum ac fœculentam mutet ichorem, sed ut eum quem splenica mesenterica crassum adduxit, eo temperet, & æqualem, meabilem, fluxilem, uniformem & ad motum aptissimum reddat. Subtiliorem hujus sanguinis partem unà cum sero in arterias quę miro connubio venis ejus junguntur, transmittit, è quibus in aortam, ut calidissimum sanguinem, hoc subtili, & sero abundanti, è sinistro cordis ventriculo haustum contemperet, & spiritus in eo mobiles removeret. Hinc videmus cordis actionibus multum officere Lienis adfectus, & arteriosum sanguinem aut pigriorem ad motum fieri, aut ob seri communicatio-

Duplex sanguis in Liene elaboratur.

nem nimiam ejus calorem vitiari. Craſſiore verò ſanguinis ſui parte, ventriculum, inteſtina, meſenterium, inprimis omentum nutriri, & reſarciri. Quod verò coctionis normam perfectam non admittit, illud ut & hepar deponit in portæ ramos illos, qui proximi inteſtinis, ut in ſanis deponant ad excretionis oſtium, tanquam ſuperfluum. Videatur de hoc Plateri magni illius doctiſſima opinio ſuperiùs enarrata.

In ægris ab his inquinari excrementis & fæcibus viſcera, nec meus Platerus, nec alij dubitant, imò cachexia cacochymica eis augetur, tonos viſcerum labitur, & ægritudo prodit. Lien itaque & Hepar ab illis noxam patitur; quin ipſa ex prægreſſis morbis à ſuo officio deſiſtunt, & plus deficiunt in opere quã efficiunt. At in ſanis, dum omnia dextrè ſe habent, ſiniſtra actio à Liene expectanda non eſt. Nobile ipſius temperamentum, calidum & humidum, aëris æmulum naturæ, cum corpore ſpongioſo, & vitali robore vigente, commodè ac decenter cõcreditum elaborabit ſuccum, nec incraſſabit, ni erret, ſed ſubtiliorem reddet, ne plexus illi ſubtiles vaſorum

ſorum illum excludant; qui craſſum vix admittunt, niſi copia aquæ eum vi intrudat.

Tenuis igitur ſanguis, ſero multo mixtus, ac quaſi arterioſus, in viſcere hoc participante de aëris natura generatus, per anaſtomoſin, aut diapedeſin ex venis in arterias in ipſo parenchymate Lienis recipitur, qui deinde vitæ fonti vicinus ab eo irradiatur, & ſpiritu vitali impregnatur. Ne miremini: Cujus enim ametria vitali robori multum obeſt, & ſanguinem cauſat craſſum, & ad motum pigrum, illius ſymmetria multum vitali robori proderit, & ſanguinem facilè meabilem, tenuem & ſero decenti perfuſum cauſabit. *Qualis ſanguis Lienoſus ſanorum.*

At Lien, ut ſuperiùs monuimus, & experientia docet, nec contradicit communis Medicorum Schola, æger, vitali robori vim facit, & craſſum cauſat ſanguinem, aut ſero quaſi nimio ſuffocatum. Bona igitur ejus conſtitutio optimos dabit in corpore ſucceſſus, Contrariorum enim contraria eſt ratio.

Quum autem aberrat Lien in ſuo opere, aut quia morbi alij eum peſſunderunt, aut vitium in elaborando eſt, *Lien vitioſè quid agat.*

crassum coquit sanguinem, matrem obstructionum, quia piger est, multumque seri avet ad motum, quod ob mobilitatem citò recipitur in arterias, aut à spongiosa carne lienis imbibitur; & fit turgescentia & tumor ejus, quem arteriarum & partium adjacentium calor, si à febre prægressa ad siccum declinat, indurat, & scyrrhum generat. A quo vasorum cõpressio, intemperies vitiata, & humiditatis in fluendo remora, hinc arteriarum pulsationes. Quæ molestia, arterijs magis vitium quam venis adscribit; arteriosi itaque sanguinis portionem, eamque majorem coqui in liene hæc evincunt: vt venæ illæ quæ ad omentum, ventriculum, mesenterium & intestina abeũt, alibilis etiam illic gigni partem demonstrant. Nobilitatem imò Generositatem hujus visceris suspicite; caveteque ne ad tàm vile munus ablegetis; sedem risus & gaudij sciatis, quum mobilis humor in eo hospitetur: floris & coloris in facie causam, quum vivificum liquorem distribuat; illo sano timor nullus, quia clarum & lucidum expromit sanguinẽ. Abesto igitur longiùs calumnia, quæ sedis excrementi fœculenti infamia Lie-
nem

nem conspurcasti. Recedito falsa opinio, quæ organon & officinam saburræ melancholicæ finxisti. Sedes est, Thronus est, regia est, sanguinis Aërei, subtilis, mobilioris, qui arterijs concreditus, vitæ radios, perennitatis vigorem recipit, hospitium est & patria futuri Arteriosi nectaris. Nobilissimum igitur hoc viscus venerari & suspicere decet, non calumniari, nisi, ut illi qui Medusæ capite viso, vos lapides esse velitis.

Vitia hypochondriaca à Liene removẽtur.

Nobilitate sic Lienis assertâ, alia mala ab eo, inprimis hypochondriaca removere conabimur. Dolores punctorij in hypochondrio sinistro qui adfricantur Lieni, deque quibus lamentationes apud mulierculas multæ, & illi mihi vani videntur. Vetus est opinio, in Plauti etiam fabula nota, ubi Acanthio de suo cursu impeditus Lienem accusat; Genua hunc cursorem deserunt; seditionem facit lien, occupat præcordia; unde fabula digna sibilo, eximi cursoribus Lienem, ne in cursu impediantur. At utilissimi hujus & necessarij visceris orbitas, insolentiam quandam viventibus crearet.

Dolor pũctorius in sinistro latere.

Plauti Mercator Act. 1. scen. 2.

Nec dolor punctorius in lienem ca-

dit, cum circa membranas potissimum consistat, Galeno docente 3. locorum adfectorum 5. Nec dolor acutus splenem, sed gravativus exagitat, ubi extenditur, renititur membrana vestiens parenchyma 3. loc. adf. 8. Quam distensionem negat Platerus Tract. 2. capite 12. in numeratione causarum. Ubi etiam docet, qui flatus hos dolores causent; nempe qui in intervalla peritonei cum musculis ipsi connexis, & spatia musculorum irrumpunt, ac ea divellunt. Et species spasmi flatulenti ab ipso creditur. Sanè in ijs doloribus sæpè tumentem musculum deprehendimus, ut in pedibus in spasmo flatulento. Et ipsa medicamenta musculo adplicantur, quem demulcent, cujus flatus discutiunt. Latitat lien, & in tantum attolli in musculosis ut tangi posset, non est verisimile, in consumptis fortasse erit facilè. Et talis spasmodica adfectio fuit & nostri ægri, in quo flatus non tantum occuparunt spatia inter musculos abdominis & peritoneum, sed etiam ipsum diaphragma compresserunt, & thoracis musculosa corpora distenderunt, & quia acres ac melancholici nervosum genus velli-

cave-

caverunt, & ſpaſmi veri inſultus cauſaverunt, ſimul mentem perturbarunt. Eſt ſanè hypochondrium, flatuum officina, maximè ſiniſtrum, cum colon inteſtinum arctius ibi ſit; ubi hoſpitandi quàm diſcedendi, flatibus commodior datur locus, & ventriculus ibi latitet. Quę de lienari punctura ut vocant, Milʒ ſtechen; quam Lienis obtrectatores ei adfingunt, cũ flatibus in hypochondrijs à curſu exagitatis veriùs adſcribi debeat, qui per ſeditionem occupant præcordia. Nec hypochondriacæ κατ᾽ ἐξοχὴν dictę adfectionis Lien cauſa eſt. Cujus Typum cum Galenus ex Diocle deſcripſerit, hîc adpingere placet. Oritur circa ventriculum morbus, qui nominatur ab alijs melancholicus, ab alijs flatuoſus; quem ſumpto cibo maximè coctu difficili, & cauſtico, ſputum humidum, idemque multum concitatur: item ructus acidus, flatus, æſtus in hypochondrijs, fluctuatio non illicò, ſed cum retinuerit, interdum ventriculi quoque vehemẽtes dolores, qui nonnullis ad dorſum uſque procedunt: concoctis deindè cibis quieſcunt, mox alijs ingeſtis eadem rurſus revertuntur accidentia, quæ

Flatuum officina.

Typus hypochondriacæ melancholiæ.

„ interdum jejunos, interdum etiam à cœ-
„ na molestant, atque evomunt crudos
„ cibos, & phlegmata sub amara, & cali-
„ da, & acida adeò ut nonnunquam den-
„ tes torpedine adficiantur. 3. loc. adf. 7.

Symptomatũ Syndrome.

Ex quibus patet talia Symptomata in hoc malo videri ptyalismum aquæ tenuis; flatus vel exiens, hinc ructus acidus, vel contentus, & fit rugitus ac murmura per totum ventrem:
1. Æstus in hypochondrijs;
2. Fluctuatio:
3. Dolor vehemens ventriculi:
4. vomitus crudorum, corruptorumque: his adduntur.
5.6. Palpitatio cordis; & hypochondriorum:
7. Anhelitus ex respiratione repetita:
8. Alvus durior, corporis lassitudo,
9. sudor exiguus,
10. imbecillitas totius; ut apud Matthæum Martini videre est:
11.12. Galenus addit, non vehementia deliria, sed mœrorem
13. & timorem aliquem. Quæ symptomata si ad Galeni Lydium adhibentur lapidem, Lienem absolvent ab hac infamia, & illum consentire nonnunquam, primariò adfecto loco dicent. Est autem Lydius hic Lapis fontes illi quinque universales, ex quibus omnia signa, & argumenta desumuntut ad partes internas principaliter, deinde ad earundem

rundem adfectus cognoscendos: Sunt autem hi: Actio læsa; Excreta; Situs; Doloris proprietas; & propria accidentia: Lib. 1. loc. adf. 5. Levia illa deliria sine febre, cum mœrore & tristitia, cerebri sunt Symptomata, & quia levia per sympathiam accedunt. Cruditates verò, fluctuationes, ructus acidi, flatus, murmura, rugitus, vomitus, Actiones aut læsæ sunt, aut læsas docent Organorum primæ concoctionis, id est Ventriculi esse: Ventriculus siquidem aut aberrat in coquendo, aut in expellendo.

Fontes signorum. 1. 2. 3. 4. 5.

Quis locus adfectus quæritur.

1. fons. Ventriculi actiones læsæ.

Depravatè concoquit chylum, cujus substantiam longè crassiorem, viscosiorem, ac tenaciorem reddit, quam ut bonum ex eo sanguinem Hæmatoseos virtus progignere possit. Ideoque succum deferunt chylosum crassum & viscosũ venæ mesaraicæ ad sanguificationis organa, ex quo succus nutriens seu sanguis crassus, viscosus & fibrosus elaboratur, ad cujus motum multum seri efflagitatur, aliàs obstruendo vasa nocebit multum. Et relinquitur ventriculo phlegma viscosum, crassum, cujus vomitus in multis videre est: Et flatus, qui ex crassioribus humoribus exurgunt, & vaporosi

Qualem chylum vẽtriculus in hypochõdriaco malo gignat.

porosi sunt, quorum eructatio multa. In intestina verò deponuntur, terrestria limosa, & quasi argillosa, quæ per alvum exeunt. Ex quibus omnibus Coctionem ventriculi depravatam esse patet. Aciditas & amaritudo quæ rejectis inest, eadem dicunt. In expellendo ventriculus & intestina errant, quando vel cessant pellere quod noxium est, & fit retẽtio aut flatuum, quod rugitus, murmura & partium distentio in abdomine indicant; aut crassæ substantiæ, & fit pigra alvus: vel operantur malè, eructando flatus, aut evomendo cruditates, vel cibum, aut deijciendo liquida cum flatibus mixta.

2. *fons.* Situs, (alter fons,) doloris vehementis; fluctuationis, murmurationis, Æstus; palpitationis etiam testabitur de loco adfecto. Vehemens dolor ventriculi nominatur à Diocle; cardiacam nũc dicunt, dolorem stomachicum sic exprimentes. Fluctuatio & rugitus, ac murmura symptomata imbecillæ complexionis ventriculi vocantur à Galeno, audiuntur hæc in sinistra parte ut plurimum. Hanc verò partem, ventriculus, utpote plus vacuam, probè occu-

pat;

pat, sub cujus fundo colon intestinum progreditur, supra gracilia adscendens ad sinistras partes, ubi spleni tenuissimis membranis adnectitur, ibi angustius est, ut cedat spleni, à quo ad umbilicum in sinistris vergit locis: in qua parte & Lien cum suis arterijs & venis latet. Quæritur itaque cum hæ partes in sinistro hypochondrio sitæ sint, quid de loco adfecto ex hoc situ argui possit?

Læsæ actiones modò dictæ, primæ concoctionis esse, fluctuatio cum sonitu, clydon dicta, murmura ac rugitus, notant, cum illa, ut dictum, sint symptomata ventriculi imbecillè amplectentis, teste Galeno. In cavitatibus enim ventriculi ac intestinorum, & generantur & retinentur, quum longæ & largæ sint, maximè in coli, cellulis, ubi murmura & rugitus; fluctuationes magis in ventriculo & gracilibus audiuntur. Æstus in sinistro hypochondrio, si Galenum audimus, nullibi erit, quàm in ventriculi fundo; hunc enim pilorum inflammari, non phlegmone, sed habere calorem præter naturalem cum Diocle statuit, quamvis idem velit calorem hunc præter naturalem, qui hujus æstus

causa, ijs in venis hærere, quæ alimentum à ventriculo excipiunt. Æstus quidem hic sentitur magis cum acquisivit morbus vires, & quò diurnior eò etiam major; cui accedit palpitatio infra ventriculum splenem versus, quæ in arterijs mesenterij & gastricis fiet, & hæ pulsabunt fortiùs ac palpitabunt, quia in illis crassus & flatulentus sanguis. Excre-
Fons 3. ta sunt ptyalismus. Ructus ventriculi, crepitus ventris, vomitus crudorum, phlegmatis, dejectio stercoris limosa, quam assellationem splenicam nostri vocant, ex hæmorrhoidibus sanguinis eructatio atri & fœculenti nõnunquam. Hæc secundæ illa primæ coctionis recrementa.

Via per quam excretio procedit optimus horum notator. Ex primæ autem coctionis organis derivari hæc excrementa, os, per quod & flatus & cruda reijciuntur: & Anus, ex qua limosa decretio procedit, demonstrant: sanguis solus in hæmorrhoidali fluxu decedit; & est rarior, ille verò frequentior, unde & chylificationis frequentior error.

Proprietas Doloris, fons penultimus; est vehementia doloris, quæ sensi-

bilem locum dolere edocet. Lien autem & vasa non sentiunt, aut saltim obtusum sensum habent; è contra ventriculus exquisitum, ob nervos dispositos in orificiũ ejus; hos dolores vulgus cardialgia vocat, quo nomine dolores stomachi veniunt. Est & Colon intestinum in hypochondrio sinistro, cujus etiam eximius sensus; quare & hoc fortè distendentem patitur dolorem, à flatibus quibus ibi hospitium quasi plantatum est, & renitens qui tangitur tumor huic parti adscribendus, non Lieni, cui cavitas deest, vasa sunt exigua, nec aptum est ut in tumorem à flatibus extolli possit, ut doctè monet felicis memoriæ Felix Platerus Tract.3. cap. 2. & ante eum sagacissimus ac elegantissimus Fernelius Path.l.& cap.6. Et coquæ nostræ membranam vestientem hepar facilius detrahunt, quàm quæ Lienem.

Ultimus fons sunt Propria Accidentia. Ructus est propria actio ventriculi, quia est expulsio flatuum per os ex ventriculo: Crepitus est exclusio vaporosi flatus per anũ ex Intestinis: Murmura, Rugitus & sonus in ventre, in cavitate fiunt intestinorum, qui si acuti *Fons 5.*

ſunt, in tenuibus, ſi graviores, ſonori & bomboſi, aut murmillantes, in craſſioribus fiunt. Fluctuationes cum ſonitu, quas Græci Clydonas vocant, cavitatis alicujus proprium eſt accidens, quæ in abdomine extra Ventriculum & Inteſtina nulla eſt, ni diſtentum nimium ſit abdomen, ut in hydrope, ptyaliſmus proprium accidens ſtomachi. Palpitationem in hypochondrio, proprium accidens, arterioſi generis dico, at hæc in confirmato malo demum ſævit, ſic ſub mamma ſiniſtra quod palpitat cor eſt. Inter propria accidentia placet & illa referre, quæ acutiſſimus noſter præceptor Galenus habet; Quod ſumpto cibo maximè hæc ſymptomata fiant, præſertim difficili & cauſtico; concoctis deinde cibis quieſcant, mox alijs ingeſtis eadem revertantur ſymptomata, quæ interdum etiam jejunos, interdum etiam à cœna moleſtant. 3. loc. adf. 7. Ex quibus fontibus quid eruitur aliud, quàm vitium in primæ concoctionis organis primariò hærere, & aucto morbo in cõſenſum rapi, vaſa & viſcera illa, quæ in alterando chylo ineptè elaborato operari debent. Unde & illa in ſua operatione, &

ne, & deficiunt & aberrant, & fit etiam sanguificatio mala. Nec mirum: Ventriculus sic malè dispositus chylum crassum, viscosum & tenacem concoquit, rapiunt eum gastricæ & Mesentericæ venę, cujus nec viscera sanguificationis emendant labem, sed sanguinē crassum, viscosum aliquo modo ex eo efficiunt; cui opus est ad motum vehiculo copioso, quod est serum: Quod cum ex potu & liquidis fiat, siticulosi hypochondriaci bibunt largiùs, aut brodijs utuntur multis. Quæ tamen liquida, vasa ad ventriculum adsistentia, de quibus supra, citiùs hauriunt & exugunt, quàm chylificationi in tali ventriculo expetit. Quare manet crassus chylus, cujus & in venis motus tardus est, qui infarcit vasa, ac in ijs hærens tardè serpit, hinc tot obstructiones. Præterea cum & arteriæ mesenterice & gastrice chylo tali & sanguine repleatur, quia meabilis sua natura & mobilis non est, sed magno & valido promotore opus habet, Diastolem causant magnam, unde in hypochondrijs palpitatio. Denique cum crassus sanguis habeat spiritus pauciores, crassos, vaporosos, austrinæ tempestati similes;

miles; haud mirum est si cor & cerebrum in consensum veniunt. Ambo siquidem viscera ministerio horum opus habent, illud ad vitam, hoc ad sapientiam conservandam. Præter hos fontes Galeni oraculum me confirmat, Qui ait, circa ventriculum primò incipere symptomata; quin circa ventriculum oriri morbum; 3. locorum adf. 7. Et causæ generantes. Quæ vel sunt externæ, nempe victus ratio vitiata, dum vel in ordine assumendorum ciborum erratur, vel calidior cibus, aut coctu difficilior comeditur: Vita item sedentaria, quum otiosi, imò negotiosi, qui studijs nimium invigilant, & libris adglutinati cerebrum movent, & vaporibus replent, cum eorum spiritus incalescant, utplurimum segnem habeant calorem nutrientem seu concoquentem; denique mœstitia longa. Hinc videmus Doctos, & meditabundos hypochondriacos esse, & simul catharrosos; quorum cura, ut Ferriolus docet, exiccantibus non est adgrediendi. Internæ, sunt, Febres præcedentes chronicæ, aut ardentes, quæ ut plurimum discrasiam quandam in Ventriculo, intestinis ac eorum relinquunt vasis,

Causæ generantes.

Externæ.

Internæ.

vasis. Ex quibus manifestum, officinam chylificationis esse subjectum hujus morbi. Error porrò qui in retentione & distributione fit, eadem adfirmat. Ventriculus siquidem amplectitur chylum, quem venæ exsugunt mesaraicæ, quorum actio si depravata est, tenuem humorem & liquidiorem, antequam ullam perfectionem à vi chylificante accepit, ad se rapiunt, & relinquitur crassamentum chyli in ventriculo, quod sua vi fermentante chylum omnẽ corrumpit, cum in corpore crasso sit, ob quod pigrum est, & minùs permeabile. Quod si verò lassæ sunt, ob intemperiem, aut ab crasso cremore hausto infarctæ, desistunt ab opere, & serositas relinquitur in chylo, quæ diffluum facit chylum. Docet id fermentum Cervisiæ, quod vulgò, das Haubt dicitur. A fermento siquidem tenui & spumoso, (vocãt id, ein resch Haubt) citiùs Cervisia perficitur, & in meliorem venit substantiam, dotatam optimo & grato sapore, quàm à pigro, quod müed oder öd Haubt appellant. Officina itaque chylificationis est primarium subjectum hujus morbi, quia hæc primò læditur:

Eſt verò illa Ventriculus, & in eo pylorus, poſtea Inteſtina, & ultimò venæ gaſtricæ, Epiploicæ, ac meſenterij. At ſi morbus vires acquirit, diſtributio vitioſa fit, & vaſa portę, & arteriarum meſenterij cum viſceribus in conſenſum rapiuntur. Quibus itaque plexus ſunt ſubtiliores, illis majus ineſt vitium.

Qualis adfectus. Cognito loco adfecto, ipſe adfectus indagandus. Cruditas chyli in hoc malo, non fit ob privationem concoquentis ventriculi virium, ſed quia depravatè agit, tùm ob intemperiem, tum ob errorem externum. Depravata verò coctione corrumpuntur cibi, vel in ſubſtantia, vel qualitate: Chyli ſubſtantiam diximus corrumpi, quando vaporoſa ejus ſubſtantia in flatus abit, humida in cremorem craſſum, tenacem & lentum.

Calidã eſſe intemperiem & ſiccã ventriculi. Coctio omnis effectus caloris eſt, nec frigori corrumpenti in vivo hominis corpore datur locus. A calore igitur erit actio; nec id negat Galenus, qui ventriculos halituoſo ſpiritu repletos, calidiores dicit. 3. de Sympt. cap. 1. Non me ab hac opinione manu forti abducunt autores illi, qui frigidam ventriculo in hoc malo temperiem adfingunt, ut

Mon-

Montanus, prisci Galeni olim dictus anima, Cons. 229. 232. 236. qui hoc proprium hujus adfectus dicit, ut caliditas in hepate incipiat, & postea frigiditas ventriculo communicetur.

Et Consilio. 235. Intensiva sequitur ventriculi frigiditas, quia ubi est ignea hepatis qualitas, ibi consumitur pinguedo quæ est in abdomine, quæ conservat & colligit calorem ventriculi: ex quibus patet, illum ex accidenti ventriculo frigidam temperiem adfingere.

Brunnerus Consilio 5. frigiditatem ventriculi adcusat: Riolanus item in Methodo particulari: Matthæus Martini in morbis mesenterij. At si rumino pręcedentia mala, aut vitia in coctione, minùs illi mihi satisfaciunt. Sequitur enim hic morbus vel Causum, vel chronicum aliquem ignem, qui calidam & siccam adfricant intemperiem ventriculo, quæ ipsi aliquo modo, ut loquũtur, habitualis fit. Vitium infert Victus Calidior, qui hospes suo hospitio ardorem, & quandam ariditatem relinquit. Sic & mœror exiccat corpus. Quod si excreta consideramus, flatus, limosum ac crassum alvi onus, tenax phlegma, nec

hæc primæ coctionis organis denegabunt calorem. Magnus Galenus syncerum frigus negat flatus producere, cum non attenuet, dissecet, & conficiat alimentum instar caloris, ut eruo ex 1. cap. de sympt. causis 3.

Galenus pueros ob halituosũ calorẽ alteratricẽ facultatẽ robustiorẽ habere scribit 3. de sympt. caus. 3.

Calor itaque autor est, & promotor generationis flatuum, non humidus, qualis est vitalis & nutriens, sed aliquo modo siccus. Appellatur à Galeno diminutus, quia quodammodò dissolvit, non tamen conficit prorsus cremorem chyli. Vehementem non admittit, nec hîc locum habet. Autumnali Pergamenus senex tempestati æmulam illam discrasiam dicit, quæ mater flatuum creditur. At talis in ventriculum cadet in Utopia. Autumnalis aër matutinus frigidior est, Meridianus calidior, vespertinus algidior; solis quum accedens & recedens foveat æstus: at non sic vivificantes cordis recedunt, & accedunt radij. Ignorant illi abitum, & aditum, continuè fovent membra, viscera, partes, ne vita ipsorum labem patiatur. Calore quidem meridiano in macrocosmo humidum attenuatur, & in ventos abit, condensat hos noctis algor, &

in nu-

in nubes cogit. Somniari hæc licet ne in microcosmo? Noctis algor in illo Mors est. Simile igitur hoc grallis donabo, ut incedat ubi placet. In vivum non cadit hominem frigiditas extensiva, nec in externam aliquam partem sine periculo aut nece, multò minus in instrumentum primarium coctionis primæ. Quare calor in hac coctione errans & deficiens, in sicco erit, sed κατά τι, seu suo modo. Cum enim bona & perfecta chyli productio à ventriculi humido fiat calore, certè depravata in sicco erit. Edocent hoc pgressi morbi, febres chronicę, longę causodes, calidus & siccus victus, vinū meracum, curæ præposteræ; quibus ventriculi humiditas absumitur, & omentum, quod adstans ventriculi vocatur, gracilescit. Idem genita in tali ventriculo monstrant; FLATUS, (quos causa, crassum tenuans & dissecans, ac in vaporem mutans, producit) qui nec frigoris nec humiditatis soboles sunt. Alvi item excreta limosa, crassa, tenacia, continuata, exiccantis quodammodo caloris inditia. Siccus igitur calor in chylificationis organis, depravat chyli elaborationem, & distributionem in malo hypochon-

Hoc inferius historia declarabit dissecti ventriculi, cuius pylorus scyrrhos° fuit, Scholio historiæ 3. huius decadis.

pochondriaco. Crassum, tenacem & aliquo modo viscosum chylum ille producit, qui in mesenterij raptus venas, piger ibi serpit, & in illis corrumpitur. Habent enim & hæc vasa æstum quendam, & quò propiora ventriculo, eò majorem, maximè si præcessit febris æstuans. Talem calorem ex Diocle Galenus ventriculo tribuit 3. locorum Adfectorum 7. ubi inflammationem vocat, quam etiam vasis deferentibus crecat, quam etiam vasis deferentibus chyli adscribit. Hanc phlegmonem esse negat, sed phlogosin Montanus Consilio 236. Chylificationis itaque organa, tàm ea quæ concoquunt, quàm quæ distribuunt discrasiam talem inflammatoriam habent. Durior fortè hæc opinio videbitur, cum Montanus talem discrasiam Hepati adsignet, Cons. 229. 232. 236. igneam vocans qualitatem 235. 233. quam etiam adscribit venis meseraicis, & ipsi mesenterio 230. 231. 232. 236. Lienem rapi in consensum saltim, 233. ait: Summus hic Galenicus Lienem à labe quadam pronunciat Liberum in hypochondriaco adfectu, & hepatis accusat calorem, qui cum materia quadam, quæ non in inflammatio-
nem

nem tumentem & renitentem adſurgit, ſed fervorem quendam habet præter naturam, cujus eſt ut plurimum in meſenterio hærere; ventriculum ex accidenti laborare & frigidum eſſe. Fernelius, Meſenterium, pancreas, & Lienem primarium locum affectum facit. Lienem ſemper Idiopathicè, ac protopathicè laborare; ventriculum ſympathicè & deuteropathicè. Brunnerus Lieni caliditatem accidentalem ab obſtruente materia adſcribit, Conſ. 5. In ſexto morbum in via dicit. Differentias hic autor enarrat hujus adfectus duas, Unam ex qualitate innominatæ luis; Alteram ex atonia Lienis, quæ contagione ſerpit, & ſcelotyrbica mala generat. Conſ. 7. Septentrionales Æſculapij omnibus quaſi morbis hoc genus accommodare videntur.

Dividit idem autor in citato Conſilio, Hypochondriacum adfectum in nothum & perfectum. Hunc fieri, dum in ſiniſtro hypochondrio venę fœculenta quadam cruditate turgent; illum ſi minera venas hepatis, & meſenterij dextræ partis occupat. Riolanus, Lienis incendium ſeu phlogoſin vult, inter-

interdum meſenterij vaſa, & pilorum, accendi, ſtomachum è contra refrigerari. Felix Platerus, ventriculum per conſenſum, ut & inteſtina laborare, cum vaſa infarcta varia ex ſe recrementa in ea deponant: Ramos portæ præcipuè illos, qui verſus Lienem vergunt, & à ventriculo in ſiniſtra parte tendunt, has fœculentias continere: Nonnunquam tamen & in dextro & dorſo, ubi aſtruſa latent, viſcera eſſe. In his æſtuationem ſentiri, Aciditatem ructus nòn frigiditati, ſed Idioſyncraſiæ vētriculi adſcribit. Tract. 1. cap. 3. Tract. 2. p. 544. Marcellus Donatus etiam primariam cauſam obſtructionem venarum meſenterij vult. Videatur ejus Opinio lib. 4. hiſt. Med. cap. 8. Matthæus Martini, collectionem fœculenti humoris, aduſti, crudi, ac viſcidi in meſenterij, Lienis ac partium vicinarum venis, confertim factam ſcribit, libro proprio de Morbis Meſenterij. Ex quibus patet hos autores variare in adſignatione loci adfecti, & protopathiam non omnes Lieni adſcribere. Ego dum juvantia ac nocentia in hoc adfectu penitiùs inſpicio, à Chylificationis organis coquentibus, & di-

ſtri-

ſtribuentibus primordia eum ſumere deprehendo. Felix Platerus ſcribit, eò uſque hanc durare adfectionem, donec rurſus flatus diſcuſſi ſunt, undè æger levamen ſentit, tàm diu donec novi exſurgunt. Hoc fieri quando flatus ructu aut crepitu excluduntur; aut craſſam materiam vomitus, aut deceſſus expellit. Ardores mitigari ex cibo moderatè frigido ſunto. Quare curam vult perfici, vomitorio, clyſmatibus, diureticis humectantibus. Hæc juvantia, quia chylificationis & diſtributionis organis proſunt, hæc pro loco adfecto; & adfectum ſiccitatem pronunciant.

Montanus ſummus ille Galeniſta ſic inſtituit hypochondriaci mali curam, ut alvus ſemper ſit lubrica; ſæpè enim eam exonerare ſalubre eſt, ideóque laudat caſſiam, Conſ. 230. Quod ſi altiùs malum inſederit, Sennam, epithymum & helleborum addit, Conſ. 231. Reijcit tamen omnia ſelectiva purgantia, & quę è longinquo trahunt, Conſ. 233. utpote calida Conſ. 234. Aloën tamen admittit, cum ſit medicamentum, quod detergit pituitam ex vijs primis, & confortat ſtomachum, ibid. Jubet repetere ſæpiùs

lenientia, propter multiplicationem humorum, ibid. cum ea quæ per contactum agunt, plùs agant, & etiam copiosè data satis purgent, videantur Conf. citata maximè 232. Postea alterantia laudat, humectantia. Præcipuum enim est in omnibus patiẽtibus adfectus melancholicos humectare corpus, Conf. 231. Unde jubet concoquentia esse omnia humectantia, & modicè calefacientia, Conf. 235. Quæ vult esse jus pulli, cujus & multum usum laudat, quia humectat & corroborat stomachum, Conf. 231. 233. Quod aliquando alterat, cum radicibus polypodij, quia sunt dulces, & non multum calefaciunt, & sunt gratæ gustui, & non fortiter evacuant; duas radices liquiritiæ, tres borraginis vel buglossæ, quam decoctionem loco syruporum exhibet; quos etiam præscribit Consil. 233. Syrupum de cichoreo cum Rhabarbaro, & sine illo, de Absinthio: De pomis dulcibus, de borragine, de Capillis veneris. Quod si victus rationem, quam præscribit, benè consideramus, etiam humectantia & modicè calefacienria in numero juvantium esse: ut sunt caro pullorum, hœdorum,

rum, vitulorum, lactentium, ova sorbilia observabimus. Jubet etiam uti ante prandium, & cœnam frequentissimè Saccharo rosato ad quantitatem unciæ, Cons. 229. Jura pulli sæpius propinat 231. Vinum tenue, album, humectans, qualia sunt vina paucifera, dulcia, limpida, tenuia, 230. benè maturum, non aquosum; Cons.232. quæ facilè distribuuntur per venas, 235. Juvantia igitur ex Montani consilijs in hoc malo videmus illa quæ primas detergunt vias; quęque humectant, & modicè refrigerant: ut Cõserva rosarum; quæ discrasiam siccam, & quodammodo calidam in ventriculo esse docent. Subscribit adpetitus frigidorum in potu & cibo. Unde Platerus ex Rhasi, Aquam genuinum antidotum hujus mali pronunciat. Adstipulatur R. Solenander, Sect. 2. cap. 7. Qui utile esse quandoque à vino abstinere,

Conserva rosarũ etiamsi videatur habere aliqd adstringẽtis & resiccãtis facultatis, humidum tamẽ rosæ etiã rubẽti aliquod pmixtum est, maximè virentibus.

At albis & pallidis ea siccitas non est, sed humiditas talis quæ alvum laxat maximè in pallidis, ventriculum laxat; & humidum relinquit debilem. R. Dodonæus Lib. 1. pemptade 2. c.28. consuli potest. Ego intelligo autorem loquentem de conserva nova, nõ veteri, quæ humectat.

nere, & pro eo aqua puriſſima uti, ſcribit. At frigida aqua frigidis alterata, ut ſunt Ceraſa ſiccata, grana ribes, ſuccus granatorum, ut citato loco R. Solenander ſuadet, frigido ut conveniet ventriculo. Ne igitur frigiditatem ventriculo adfricate. Vina aquoſa prohibet Montanus 232. fortè quia facilè aceſcunt, nec diuretica ſunt, quæ laudantur adprimè Montanus 235. & Crato lib. 2. conſ. 19. Hinc fortè Mindererus noſter felicis memoriæ, prohibuit necarinum vinum, quibus aceſcebat facilè in ventriculo, & juſſit bibere aquam. Infert autem Baccho noſtro Thetys, vitium in ipſo foro vinario, conſpicientibus plurimis. Sic nobis vendunt miſeris aquata vina, ne & aqua gratis bibatur. Aceſcit autem facilè vinum illis, qui hypochondriaco laborant malo, quod Auguſtanis frequens. Reficiebat ventriculi calorem cyatho uno vini malvatici. Vocabat hũc morbum autor, aciditationem vini, die Weinſäuren. Juvantia itaque humectantia, & quodammodò refrigerantia, primò chylificationis, ſecundariò ſeu ſucceſſivè ſanguificationis organis vidimus dedicata. Noçentia è contra omnia

calida,

calida, si immoderatus eorum usus & frigida acida, Crato lib. 2. Cons. 19. Selectivè purgantia, quia calore obsunt, Mõtanus Consil. 233. & 234. reijcit: & Crato loco citato paucissimum eorum usum praecipit: quod à suo mutuavit Mõtano, qui Consil. 230. ita scribit: Consulo ut Medicos fugiat, & Medicinas: Facilè enim erunt causa sui excidij. Addit rationem; Quia communis consuetudo aliquorum medicorum est exhibere CALIDA, &, ut ipsi inquiunt, carminativa ventositatum. Dum autem illi symptomati attendunt, non advertunt quòd aegro noceant & interitum accelerent, augendo causam atque originem ipsius aegritudinis. Idem vina potentia infesta dicit Cons. 229. & 233. Prohibet & Felix Platerus vinum generosum: cibus calidior, copiosior, corruptus, pravi succi, siccus, dulcis, pinguis, acris inter nocumenta à Platero ponitur; res frixas in sartagine, & aromata nocere ait Montanus Cons. 229. quare diatrion pipereon sine saccharo rosato non admittit Cons. 232. Sic copiam carminativorum, & Montanus & Platerus ob calorem nocere putant; sic & excretiones impeditę,

Quæ nocentia, primò chylificationis organis nocent, eis diſcraſiam inducunt ſiccam, opusq́; eorum deſtruunt. Poſtea membris ſanguificationis, quibus chylus corruptus communicatur, à quo diuturnitate temporis, eandem labem contrahunt, & ex craſſo vaporoſo chylo, craſſum ſpumoſum ſanguinem generant, cui opus eſt vehiculo multo, ſero ſcilicet, de cujus abundantia ſuperiùs dictum, & in ſequenti plura. Concludo itaque hypochondriacum malum à ventriculo primordia ſumere, qui labē
„ accepit, aut ab errore externo, aut à mor-
„ bo, quæ ei diſcraſiam ſiccam, & aliquo
„ modo calidam introduxere, ita ut ejus
„ ingenitus humor acris fermentādo chy-
„ lum corrumpat; calor ſiccus ventriculi
„ viſcidum & tenacem eum reddat; Et
„ hanc diſcraſiam communicari vaſis pro-
„ ximis, inprimis Epiploicis & gaſtricis,
quibus etiam fervor communicatur, unde illa exugunt continuò, quaſi tenue & limpidum ex ventriculo, hinc in hoc malo adpetitus major, & uſus frequentior liquidorum, ſitis ac ariditas gulæ, & alvi pigrities ac ſiccitas. Deſcendit igitur craſſus & viſcoſus ac flatulentus chy-

lus,

lus, pylo ſoluto in inteſtina, hunc exugunt venæ meſaraicæ, & vaſa arterioſa: quid igitur ſanguinis expectandus? Craſſus, fibroſus ac tardi motus, qui in arterijs etiam ſpumoſus eſt. Et talis humor tardè perrepit vaſa, in viſceribus, quibus plexus ſunt vaſorum ſubtiles, hærebitur, obſtructiones cauſabit, & aliquo modo incendetur, quamvis non putredine illa quæ febrem dat, ſed quæ calorem præter naturalem in organis nutritionis cauſat. In arterijs quidem fervor ille temperabitur à copia ſeri, quod arteriæ gaſtricæ hauriunt, at quia craſſus eſt ſanguis, ſerum dyaſtole frequenti propelletur, & ad emulgentes vergetur. Intemperies itaque corporis ventriculi calida & ſicca, & ejus ingeniti humoris ac ſpiritus, primum malum eſt, quod corrumpitur chylum. Eadem diſcraſia vaſorum Epiploicorum ac gaſtricorum, raptum cauſat tenuis chyli, qui ex potu. Craſſities chyli, obſtructiones, viſcoſitas & flatulentia ſunt ineptitudo ad gignendum bonum ſanguinem: hæmatoſeos organa ob plexus illos tenues vaſorum apta ſunt ad obſtruendum, & ab obſtructione inepta fiunt ad benè elaborandum

 ſangui-

ſanguinem; vitium acquirunt & labem patiuntur. Organa vitæ etiam ob ſanguinem arterioſum, craſſum, ſpumoſum conſentiunt. Quæ ita fusè de hoc malo dixi, ut etſi mihi ipſi in mea opinione minus placeam, doctiores & ſagaciores me habeant anſam inquirendi in hunc abſtruſum morbum, & me amicè corrigendi. Durum enim de hoc morbo pronunciavit Montanus edictum, contra Medicos, qui in morbo hoc eos fugere, & Medicinas jubet. Opprobrium itaque eſt Medicorum, utpote qui præpoſterè curant, & ægro exitio ſunt. Me-
" dicus verò id unum demum rectè agit,
" quod verè rectèq; cognoſcit, & ij morbi
" qui in difficili cognitione verſantur,
" plerique difficulter curantur. Crato
" Conſ. 2. 16.

Oleum denique commune cur profuerit adfatim hauſtum, ea cauſa mihi videtur, quia in copia adſumptum fuit, qua, pondere quaſi inteſtina perrupit, ſimulq; materiam eduxit; quia etiã humectauit multũ, flatus obruit, nervosũ genus demulſit, unde in hoſtem adſurgere non habuit opus. At hæc cura planè fuit palliativa, quia malum recurrit.

CASVS



CASVS II.

CONTRACTIVA QVÆDAM Gulæ adfectio, cum variis symptomatibus hypochondriacis.

ANno Christi M.DC.XXII. in æstate petitum fuit consilium à me in adfectione mira & varia, cujus historiam, quæ vulgari idiomate mihi data fuit, latinè subijciam.

Vir annorum quinquaginta octo, subruffis in barba & capite pilis, canitie quadam variegatis, cui officij causa peroratio frequens, longa sæpè & cum Zelo, ad sudorem usque. Ex qua sentire se in collo per biennium quasi tumorem quendam boli instar mobilem, indolentem, nonnunquam loquelam impedientem, & primæ deglutitionis remoram quandam, qui visum subterfugit, licet fauces, palatum & guttur penitus inspiciantur, opinatur. Negligeret hoc malum, at gravius quoddam in ipsum sæviens, opem undique petere cogit, quod jam per annum duravit. Periodica *Historia.*

enim palpitatio cordis, certis eum temporibus exagitat, & tertia aut ſeptimana, aut quovis decimoquarto accedit die. Quin nec hos obſervat terminos, ſed nonnunquam ſeptimo, ſexto, quinto & tertio exacerbatur. Autumno quidem præterito latuit quinquaginta dies, rediijt tamen rurſum, & noctu maximè fatigat, medium ejus obſervans, undecimam, aut ſecundam utplurimum horam, nec brevis eſt exacerbatio ejus. Symptomata quæ hunc palmum cordis comitantur, ſunt Dyſuria quędam præcedens, vel urina ſolito parca: at prætérlapſo quadrante horæ paroxyſmi, diverſis vicibus mingitur largiſſimè, ita ut urina duas menſuras ſuperet; retenta urina non obeſt, nec emiſſâ juvat aut nocet. Sabuli exiguum inditium. Emiſsâ ita copiosè urinâ, cor magis palpitat, ad lipothymiam levem uſque. Malum hoc vires videtur adſumere nunc, quum & in ventriculi fundo tremor quidam ſentiatur, qui ægrum per intervalla adgreditur, fatigat ac debilitat; adpetitus proſternitur. Ceſſantibus his ſymptomatibus, non ſiniſtrè habet. Febrem æmulatur acceſſionibus (quia periodum palpita-

pitatio cordis,& tremor circa ventriculi os obſervant.)

Quęritur ergô,qualis hic ſit adfectus? an ſimilis auditus?an curari poſſit? Medici quidem diverſi ſupra hoc malum auditi, at primordia morbi cognoſcere hactenus vix potuêre. Dominus patiens & quidam Medicorum,reſtagnantem urinam cauſam hujus palmi opinantur.

Propoſitionem hanc Germanicè mihi oblatam, quam ſtylus negat eſſe myſtæ cujuſdam ex Apollinis fano, latio ſic donavi,ad quam ſic reſpondere placuit.

Caſum ſeu adfectum propoſitum examinans; quatuor reperio ſymptomata, cum quibus æger hic conflictatur. *Conſilium ſeu Reſponſio.*

Primum, eſt ſenſus materiæ globoſæ, ſeu boli in faucibus, mobilis, indolentis,loquelam leviter prępedientis,& deglutitionem inchoandam aliquo modo remorantis. *Symptomatū catalogus.*

Secundum,eſtPalpitatio cordis paroxyſmos certos obſervans, ideoque periodica, noctu à primo ſomno moleſta & acerbata.

Tertium, eſt urinæ difficultas ſeu Iſchuria, quæ palpitationem præcedit

quidem, at lapſo horæ quadrante mutatur in diabetem quandam, in qua larga & copioſa urina mingitur, nulla cum alleviatione paroxyſmi pulſantis.

Quartum ſymptoma, eſt tremor ad ventriculi fundum, qui adpetitum labefactat.

Temperamentum ægri, pilorum colore depingere conantur, qui eſt ſubrufſus, canitie variegatus. Ætate etiam, quæ eſt annorum quinquaginta. Officio, concinator eſt, ſtudijs invigilans. Animi adfectu, Zelo quodam munus ſuum perficit. Ut in cognitionem hujus adfectus aptam incidamus, ſymptomatum ſyndrome conſideretur, quę deducet nos in loci adfecti, ipſiusque morbi notitiam. Enarrata hęc ſymptomata morbum complicatum pronunciant, & ratione ſitus & læſæ operationis; diverſos etiam locos adfectos pronunciant. PRIMUS eſt in collo, ſeu faucibus, ubi tumor mobilis, indolens, leviter præpediens loquelam, & retardans incipientem deglutitionem. Erit itaque malum hoc in fine fauciũ, ubi muſculi ſunt deglutitionis miniſtri. Motus impeditur in faucibus, licet diminutè,

Loci adfecti diverſi. 1.

atta-

attamen ni pars quæ ſervit motui lęſionem habeat, impeditio motus erit nullus, Deglutitio quidem fit animali partim virtute, quæ officium perficit muſculorum faucium paribus illis duobus, quod tertium & quartum Bauhino dicuntur; partim naturalis, quæ utitur miniſterio fibrarum œſophagi, quas conſtringit. At in noſtro ægro non fibræ œſophagi, quæ infra fauces deglutitionem perficiunt, ſed muſculi faucium laborabunt, quia etiã vox aliquid patitur. Et ſanè tumorem, indolentem, mobilem, qui diu jam perſiſtit, non crudum pronuncio tuberculum, quod ſine calore & dolore eſſe ſolet, cùm augmentum capiat nullum, & ſubterfugiat viſum, nec modulamen vocis, & tranſitum cibi fortiùs impedit. Sed ſpaſmodicum quendam adfectum muſculorum tertij paris faucium pronuncio, qui non à craſſa pituita fit, ſed à ſpumoſo, vel flatuoſo humido. Cum æger noſter Zelo quodam, & vehementi animi commotione ad ſudorem uſque peroret: Ea actione faucium muſculi attrahunt quandam humiditatem ſalivalem mixtam aëre attracto, à qua intumeſcunt.

Qualis adfectus.

Notum, homini ſtudijs dedito, caput humidum multum ſalivæ palato communicare, quę humiditas ex horum muſculorum motu, & calore à perorando attenuatur, & in flatus abit, à quibus diſtenſio muſculorum; ſextæ conjugationis & ſeptimæ nervi, plectra vocis, & deglutionis miniſtri ſimul quid patiuntur, quia vicini. Muſculi itaque hi dum in oratione longiori contrahuntur, ab aëre recepto inflantur, quæ inflatio à ſalivali humiditate aëre mixto fovetur, unde depravatur actio in loquendo & deglutiendo; quum verò tenues, & parvi ſint bolum ſeu globum contracti æmulantur. Deglutit autem tenuia difficiliùs ut offam, quia ij muſculi à Fallopio dicuntur deſtinati à Natura ad hoc officium. Quare calor juſculi eos calefacit, & humidum eorum delinit, ita ut flatus diſſipentur & contractio mitigetur. Manifeſtum hoc in illis eſt, qui bolum in faucibus hærentem juſculo deprimere ſolent, nec incaſſum. Exiccantur in febribus hi muſculi, maximè in cauſode, unde de bolo in faucibus lamentum magnum. Bolus itaque in faucibus, qui actiones nec aufert, nec diminuit,

minuit, cum remittat, & intendatur, redeatque sæpiùs, depravare videtur nervorum, & musculorum faucium tertij & quarti paris Bauhini actiones, in perorando & deglutiendo, motis & diductis spasmodicè à salivali humiditate musculis, quibus aër externus spumosam flatulentiam addet. Causa externa est ipsa elocutio fortior inter concionandum, qua contrahuntur naturaliter musculi, ut formare vocem adjuvent. Quæ de primo loco adfecto, & ipsa adfectione.

Secundum symptoma est PALPITATIO CORDIS; notat hoc nomen & locum adfectum, & adfectum ipsum.

II. Symptomatis locus adfectus & causa.

Palpitatio cordis, est arteriæ magnæ circa ventriculi sinistri cordis motus depravatus. Morbus hujus symptomatis genitor indagandus. Latent & antecedentes & procatharcticæ causæ: habitus corporis non exprimitur, divinandum igitur erit. Urinæ difficultas ante paroxysmum, eiusque larga profusio in principio paroxysmi, non juvans, sed debilitans, nonnihil significat: nempe hunc palmum Cordis à repletione esse, & dilatatione ejus arteriæ, quæ ad cordis

ventri-

ventriculum tendit ſiniſtrū, Diaſtolen nominant. Repletionem illam à ferventiori fieri ſanguine ſigna hæc ſunt. Primum Ætas ægri, quod eſt primi ſenij principium, in quo melancholicus ſanguis gignitur, qui craſſus corpore, motu piger eſt, & ob biloſum temperamentum, quod color notavit pilorum, fervidior vehiculoque multo, ſero utpote, opus habens. Quod ſi ratio examinatur vitæ, ſtudia, invigilatio, peroratio frequens, & cum commotione quadam animi, ad ſudorem uſque, meditatio multa, lectio ſedula (ſine his enim vilis, & nuda eſſet oratio) omnia hæc ingenioſum hominem dicunt, cujus ſpiritus non craſſi, non humi ſerpentes, ſed ſubtiles, ac ſublimes ſunt. Juventus videtur calidum & humidum habuiſſe temperamentum, hæc ętas ſicco, non tamen frigido gaudet. Quæ ſingula ad trutinam relata medicam, humoris proventum aliquem melancholici, in corpore hujus ægri eſſe docebunt, ex ſuperaſſatione ſanguinis tenuioris, quem bilem nominant naturalem ſeu alimentalem. Celeres enim ingenio ſanguinem tenuē, & ſpirituoſum habere confeſſum eſt

apud

apud Medicos. Hunc in vita ſeſſionibus frequentibus & lucubrationibus adſiduis dicata ſuperaſſari, notiſſimum, maximè ſi animi commotiones faces ſubminiſtrant. Seri copia, qua ſanguis craſſus, fervidusque gaudet, teſtimonio erit. Hunc in arterijs hoſpitari ipſe palmus docet. Serum hoc ſubminiſtrat Viſcus Lienis, cujus eſt, ad ſe rapere per vaſa ea quæ ad ventriculi ſuperiorem partem feruntur, eamque intrat, omne id quod tenue in chylo eſt, quodque ſupernatat, ut ſuperiùs evincere conati ſumus. Quare hanc cordis palpitationem à ſanguine arterioſo fervido, craſſo, (cui multum ſeri ſubſervit pro vehiculo) & vaporoſo provenire pronuncio. Et talis ſanguis in Melancholia hypochondriaca progignitur, ea maximè, quæ jam primum gradum ſupergreſſa eſt, in qua & viſcera à paſſione haud libera ſunt. Non me movet quod non triſtetur, aut timeat, à Cordato viro ea longiora eſſe debent. Siquidem Doctrina meliores utplurimum facit, nec ſinit eſſe feros, frangitque mores triſtes. Quod ſi ſimul tremori circa fundum ventriculi admoveo oculos, & rumino Dioclis pronunciatum

ciatum de Melãcholia hac;nempe,quod pylorus ventriculi inflammetur. Non ea inflammatione quæ phlegmone dicitur, sed phlogosis & effervescentia seu ardor, aut calida intemperies ab humore tenui suffuso, qui aut biliosus, aut adustus est. Et talis humor in nostro Domino ægro impactus ventriculi fundo erit, qui suam intemperiem proximis vasis communicavit, chylum adussit aut corrupit, à quo etiam sanguis, qui in arterijs latitantibus in profundo corporis tremorem causat: qualis etiam sanguis fervidus sc. in arterijs erit. Symptoma igitur hoc, est Actio depravata cordis ac arteriarum ejus, ob molestantem sanguinem fervidiorem cum seri copia, raptum in arterias superiores, & cordi adpropinquantem. Serum durante palpitatione cordis, quasi per horæ quadrantem à Natura deponitur per emulgentes venas, unde emingitur largè. Qua excretione debilitatur æger, quia eâ spiritus, ut in omni nimia excretione, profunduntur. Spiritum in urina esse, haud negant, qui ejus motum observant & excretionem; quique illo argumento acquiescunt, quo evinci somniant, spiritus

in cor-

in corpore esse, Riolanus physiolog. S. 3. cap. 1. Calor itaque fervidus sanguinis, ob aqueum humidum mictione deperditum augetur, & cor magis fatigat ac debilitat. Sanguis autem hic fervidus, & copia & qualitate calida, crassa & vaporosa peccat. Calor porrò hic licet fervidus est, non tamen igneus purandus, in crasso hæret corpore, & in arterijs movetur non sine sero multo, cordi bellum facit, ejus tonum adgreditur, illud diastole suæ arteriæ renititur vehementer. Restagnans igitur Urina quæ tertium est symptoma, non palmum producit, cum nec ejus suppressio, nec exclusio exasperent, aut mitigent eum. Seri generatio è liquidioribus esculentis & potulentis (quæ in Suevia copiosa & frequentia sunt, & lacus vester Acronianus vina tenuia & diuretica habet) fit in Lienis corpore calido, quod plexui arterioso, & venoso superstructum est; hoc cum sanguine arterioso, quoad majorem partem in arterijs fluit distributum, donec ad emulgentes deponitur. Arteriæ itaque copiosam eructant urinam ad emulgentes, quæ in principio quidem retinetur, quia motus

III. Symptoma.

mate-

materiæ ad Cor factus est, quod insurgit contra suum hostem, eum depellit, quem arteriæ rapiunt emulgentes, eæ renibus, hi vesicæ offerunt, quæ excludit, quo excluso liberiùs arteriæ & cor pulsant, quia copia seposita eas non opprimit: fortiùs pulsant, quia humido subfrigido remoto fervoris sanguinis major vis, & crassitiei ejus motus tardior; (cum decenti vehiculo privatus crassum corpus, minus fluidum) unde dilatari arteriæ, & sinus sinister cordis magis coguntur, ut promoveant hoc & expellant hoc noxium hærens. Taceo quod fervidus sanguis non sine evaporatione est. De causa Symptomatis ultimi jam dictum est, Nimirum in adfectione hypochondriaca siccam & calidam quandam in pyloro ventriculi esse discrasiam, quam inflammatoriam dixit Diocles, negavit Montanus phlegmonosam, sed phlogosin seu fervorem voluit. Quæ intemperies ob diuturnitatem mali Arterijs substratis, & proximis ventriculo communicata est, tum ob vicinitatem, tum ob raptum vitiosi chyli, qui ob crassitiem ibi sedem potiùs quàm motum sibi parat; quem

IV. Symptoma.

fortè

forte calidiora medicamenta accenderunt potiùs, quàm absumserunt, cum huic morbo calida Carminativa copiosa ineptè sæpiùs opponantur. Vasa igitur sub fundo ventriculi tremunt. Nisi hunc tremorem quis ventriculi debilè complectentis velit esse motum : At descriptio morbi, tremorem hunc palpitationi adsimilat. Ex quibus omnibus Melancholiam hypochondriacam jam aliquo modo inveteratam, & supra secundum gradum, ut superiùs annotavi, his symptomatibus originem dare mihi planè persuadeo. Assistentes Medici non me à scopo multum aberrasse ex his dictis cognoscent.

Qualis adfectus.

Pertinax & periculosus est Adfectus, cum in arterijs consistat, & magnis & in abdomine latitantibus, ad quas vix medicamento datur locus : & quia vix in ulla curatione tàm facilè ac in hac erratur, cum flatibus, & vaporibus discutientia opponantur calida, omissa alteratione Intemperiei calidæ ventriculi fundi & arteriarum, ac in ijs retenti sanguinis, difficilis curata est, ni cognito morbo dentur decentia. Diuturnus igitur morbus, quia ejus focus profundè in obscu-

Prognosis.

ro latet, quia Chylificatio patitur vitium facilè. Periculosus quia continuus arteriarum motus spiritus vitales exagitat, dissipat, ac cordi robur demit.

Cura.

Cura ejus optimè instituetur, si humoris fervidi minuitur copia, temperatur discrasia, ventriculi & vasorum intemperies emendatur, & Cor ac vitalis facultatis instrumenta roborantur.

De purgatione,

In purgando negligantur omnia fortiora purgantia: cùm ventriculi & intestinorum humidum absumant, humores in vasis suo accendant calore, & vi qua attrahere creduntur fortiùs exagitent ac confundant: qualia dicuntur Coloquinthis, Scammonea &c. sed quę primas detergunt vias & cloacam corporis eluunt. Succus crassus ventriculo, & intestinis adhærens parietes eorum quasi incrustat (liceat uti hac metaphora) unde alvus pigrior, detersorio opus habet, quod simul leniendo saburram excludit, quale est ALOES insuccata, quam vel maris Adriatici Angelus, vel Emporij clarissimi Mœni Bayrus dat: Dabit fortè Lacus vester Acronius similē, cum flores persicorum, & succus pomorum redolentium in copia ibi hospitentur.

Pla-

Placet ſubjungere aliquam delineationem. ℞ ALOEN ſuccoteram ſubtiliſſimè pulveriſatam, unciam unam vel quantum vis, pone in vas vitreatum, & lavaricibus tribus, vino albo tenui, ita ut ſingulis vicibus vinum abſumatur, idq; fiat in loco calido aut ſole, moveatur ſępiùs in die, donec exiccata ad duritiem fuerit, ut in pulverem redigi poſſit. Poſt tertiam exiccationem rurſus pulveriſetur, ſed immergatur & nutriatur ſuccis ſequentibus.

℞ Succi florum perſicorum, ſucci pomorum redolentium, ſucci borraginis ana q. s. Singuli ſeparatim adfundantur, & aloës ijs nutriatur, ita ut à ſingulis ſeparatim humectatis aloës inebrietur & in ſole, vel calido loco ſiccetur, ita ut pulveriſari poſſit. Pulveriſata & novo ſucco perfuſa ſemper benè agitetur, donec æquabiliter in maſſam vertitur. Si itaq; Aloës his ſuccis quantitatem auxit, & jã maſſa una eſt; ℞ Rhabarbari electi & pulveriſati ʒj. infunde in vino albo, & aqua florum perſicorũ ana q. s. ad madefactionem dicti pulveris, exprimatur hæc infuſio poſt 24. horas fortiter, qua expreſſione Aloë ma-

defiat, imbuaturque ac quasi inebrietur, nutriaturvè; agitetur tota massa sæpiùs, & in sole siccetur aliquo modo, addantur deinde Myrrhæ electæ ℈ß. Nucis myristicæ ʒs. Fiat massa, de qua sumatur ℈j. pro alvi detersione, seu purgatione, mensibus singulis bis tervè, prout alvus respondet. Vera purgatio proxima septimana ab omni solstitio, & æquinoctio institui potest: ex selectivè purgantibus, at moderatis, à quibus omnis violentia exulet. Quæ ex syrupis, ex floribus persicorum, Rosato solutivo simplici, de Rhabarbaro solutivo, Diasereos & Pomorum redolentium composito fieri potest; dissolutis cum aqua Melyssæ, florum Borraginis, &c. Non dubito quin & vinum possit prodesse purgans semel in anno: vasa cum penitiora intret, perreptet, sanguinemque depuret. Confici autem vel ex his aut similibus id potest. ℞ Florum herbæ tunicæ, borraginis, buglossæ, Nympheæ, violarum ana Pj. Herbarum melissophylli hortensis, citrariæ, Capillorum veneris, Ceterach, fumariæ, thymi, Epithymi, Acetosæ, Tamaricis ana pj. Rad. Cichorij, acetosæ, buglossæ, Tara-

xaci

xaci ana ℥iij. Rhabarbari electi ℥iij. Myriobalanorum citrinorum ℥s. Corticis Tamaricis, Citri ana ℥s. Corticis radicis hellebori nigri ʒjs. (in hoc haud nocebit quanto.) Foliorum ſenæ mundatorum ℥js. Calami aromatici ʒij. albi ℈j. ſquinanthi ℈s. Summitatum Abſinthij Ms. Inciſa miſce ad ſacculum; cui ſuperfunde vini albi boni libras quatuor ponderis medicinalis per noctem, & diem; poſtea bibat de eo pro vice una ℥vi. hora una ante prandium. Poſſent plura ſimilia dari, ſed præſens Medicus pro ſuo ingenio moderabitur omnia. Prodeſſent & clyſteres, quia alvum humectarent, & meſenterij vaſa evacuarent, eorumque temperarent calorem.

Sanguinis detractio, Galeno teſte, neceſſaria erit: quæ tamen non niſi ſecundariò & indicatur & juvat, quum materia hæreat peccans in arterijs, quarum ſectio rariſſimè aut per errorem fit. At vena tuſa magna, qualis eſt baſilica ſiniſtri brachij, juvat ſecundariò, quia venæ vacuæ ab arterijs humorem arterioſum hauriunt, unde calor vaſorum & viſcerum ventilatur, chyli & ſeroſi humoris plùs exugitur ſubſtantiæ, & obſtructio- *Phlebotomia.*

ni præpeditur locus. Sed in tali ætate, septenario primo aut secundo ab æquinoctio veris, seu autumni hanc operationẽ adgrederer. Prodest etiam hæmorrhoidum promotio, quum à fomite proximè abducant. Quæ cum ad sanguinis fervidi temperationem faciant, attamẽ in ijs haud duco acquiescendum, cum quantum saltim emendent, quale verò vix corrigant. Ideoque alterantia medicamenta etiam exhibenda sunt, ut, syrupus de pomis odoriferis, Florum borraginis ex foliolis, florum tunicæ, qui cordialis; Nympheæ simplex; è succo Limonum, & Melissæ, datis æqualibus portionibus. Quorum vices supplere vinum aliquod temperatum posset, quod cor roboraret, sanguinem crassum attenuaret, & ejus copiam per urinas deponeret. ℞ Radicis Nympheæ Citrinæ, Angelicæ, Diptamini albi ana ℥ß. Enulæ albi, Doronici, Zedoariæ ana ʒij Ligni santalini citrini, rubei ana ʒiij. Fol. Melissæ hortensis, Acetosæ, Ceterach ana Mj. Citrariæ Ms. Corticum citri siccorum ℥js. Florum Borraginis Buglossę Nympheæ, violarum Rosarum, Tunica ana pj. Florum Anthos ps. Seminis ocy

Medicamenta alterantia.

mi, ci-

mi, citri ana ʒj. Absinthij si placet, Mj. Incisa misce, & superadfunde Mensuras sex aut septem vini albi odoriferi & boni, servetur in doliolo munito per octiduum, bibatur de eo manè in jentaculo & prandio à sumta offa.

Cordi palpitanti subvenit, & vasa reserat obstructa. Si magis mixtura seu Cõserva magna arrideret, talis cõponi posset. ℞ Conservæ florum Nympheæ albæ, Violarum martiarum, Rosarum ana ℥j. florum tunicæ, Borraginis ana ℥vj. Acetosellæ ℥j. Corticis, & Carnis citri conditarum ana ℥s. Radicis Scorzoneræ hispanicæ conditæ ʒvj. Zedoariæ cõditæ ℥s. Pineorum & phisticorum decorticatorum ana ℥s. spec. diamargaritarum frigidarum ʒj.s. Aromatici rosati ℈ij. Ambræ gr. IV. Moschi gr. ij. Foliorum Auri N. j. cum Syrupo de pomis redolentibus fiat Mixtura. Conserva hæc magna, reficit cor, sanguinis arteriosi fervorem temperat, & palmum cordis corrigit. Et hæc ex pharmacopolio peti variariq; possunt, quum chronicus morbus.

Præ cæteris tamen medicinis refrigerantibus in hoc adfectu ACIDULARUM *Acidulas prodesse.*

ego ſuaderem uſum, ſeu proximarum Fiderenſium, ſeu Ebenhuſanorum aut Göppingenſium. Illas vicinitas commendaret, ni furens Mars præteriti anni eis quid damnum dederit: has tenues & ſubtiles ſpiritus vitrioli commendãt, ob quos etiam vaſa perreptant interiora, obſtructiones latentes intrinſecus reſerant, detergunt & per urinas purgant, quam expurgationem Naturá videtur expetere. Acidulæ igitur, quia ferventi ſanguini frigidam ſuffundunt, quia craſſum humorem attenuant ac incidunt, quia obſtructa reſerant, quia ſpiritus figunt, & frenant, quia cum urinis terreſtre oppilans educunt, multis dotibus præcedent omnia alia medicamenta. Violenta earum non eſt actio: mitè hic tractari cupit morbus; temperãt ſuccos ſuperaſſatos, bilioſos, atque evacuant; vaſa in hypochondrijs obſtructa reſerant, craſſa incidunt, viſceribus naturalibus robur addunt. Uſus earum ſit in æſtate ſub cane; repeti toties, id eſt, tot annis poſſunt, donec totius mali radices evulſæ ſunt. Longus eſt Morbus, eradicatu difficilis, qui frequentem Medicinarum requirit repetitionem, quæ ob

ſapo-

ſaporem nauſeoſum facilè faſtidiuntur, ſi ex pharmacopolio petas, at ex hoc fonte gratiores erunt.

Cordis robur augebitur ijs quæ Cor proprietate quadam roborant, aut ſpiritus vitales reſtaurant. Ex medicamentorum claſſe ſunt, Confectio Alkermes Meſuæ, magnitudine piſi, aut conſerva magna, ſuprà deſcripta, quantitate juglandis. Species de hyacintho, Cordiales temperatæ, de gemmis frigidis, in pulvere aut tabulis. Eſſentiæ croci guttæ ij. Lapidis bezoartici orientalis grana novem. Ad Theriacam & Mithridatium ob calorem non accederem. Vix enim vaſa arterioſa flatus & vapores ingrediuntur, inteſtina craſſa eorum ſunt habitacula, arteriæ ob ſerum & anguſtiam loci non niſi pauciſſimos capiunt. Ex claſſe alimentorum cardiaca ſunt, Vinum tenue, non aquoſum, citratum, meliſſatum, Borraginatum, reſtaurat hoc ſpiritus, & robur citò addit: Brodium carnis ſeu pulli, capi, gallinæ, tardioris ſunt operationis. Fugiatur vinum fortius, accendens ſpiritus, & fumoſum; aromata item, ne ſanguinis ſuperaſſatio augeatur. Externa ſeu topica, *Cor roborantia.*

 erunt

Topica. erunt ſacculi cordiales, aut ſimilia Unguenta. Hujus exemplum unum do, ℞ Succi cardiacæ, meliſſæ, olei nardini, Roſarum, ana ℥ß. coque parum, adde olei cariophyllorum ℈s. Caphuræ gr. viij. Croci ℈s. ceræ albæ q.s. fiat Linimentũ, addi poteſt parum ſi placet Moſchi. Illius verò ſale; ℞. foliorum meliſſæ hortenſis, cardiacę, flor. roſarum, violarum, nympheæ, buglosſæ, Borraginis, florum herbæ tunicæ, ã ʒj. Corticis citri ſicci ʒij. Xyloaloës ℈s. Santalorum omnium ã ℈j. cariophyllorum ℈j. Macis ℈s. Nucis myriſticæ ℥s. ſem. Ocymi, citri ana ʒj. Troch. de caphura ℈j. Fiat pulvis, & cum ſyndone rubro ſacculus interpaſtus cordialis.

Diæta. Victus Ratio inprimis ſit temperata, & potiùs tenuis quàm plenior, humida magis quàm ſicca, eſt magna ſpes in ea ſalutis. Vinum ſit tenue, non fumoſum, caputque feriens, fortéve; Fugiatur omnis cruditas. Animi pathemata, quoad fieri poſſibile, ſint moderata, nec incaleſcat nimium ira, nec frigeat metu aut triſtitia, ſolitudo fugiatur, ut & deſidia; corpus moveatur temperatè, abſit omnis violentia. Reliqua quod concernit

cernit ſymptomata, ut TREMOREM circa ventriculum, urinæ aut ſuppreſſionem in paroxyſmi initio, aut largiorem ejus excretionem ſeu fluxum, cum eandem cum palpitatione cauſam agnoſcāt, illis non debentur manus, ſed cauſæ, qua ablata ceſſat effectus, quaque mitigata, mite etiam erit effectum. Faucium denique muſculorum depravata actio non ita magna eſt, ut non potiùs tardet motus, quàm lædat, nec ejus remotio acriùs efflagitatur, cum cedat juſculis calidis. Guttur tamen ejusque muſculos ita delibutum redderem humectando, ne habitualem quandam intemperiem ſibi ſumat, cujus correctio ſterilis eſſet. Arridet liquiritia, oleum amygdalarum dulcium recens expreſſum. Ab extra muniatur guttur, ne frigora obſint, nec longioribus fatiget cōcionibus muſculos laryngis: ſufficiunt enim pauca, ſi bona ſunt: & auditorum ac Concionatoris palato ſapient. Quæ ad quæſitum reſpōdere debui, plura addidiſſem, ſi circumſtantiæ notiores eſſent, & cauſę & procatarcticæ patêrent.

Deus optimus Maximus ſuam largiatur gratiam, ut his ſaltim è ſpecula quaſi

mon-

monstratis proximi Medici, & quibus æger notus maturiora, prægnantiora & salutifera addant.

SCHOLION.

MOtum cõvulsivum aut exiguum, aut nullum hic casus habet, sequi tamen priorem ob hypochõdriacum malum volui.

Historia. Difficili deglutitione Satrapa quidam aulæ Bavaricæ Generosus octennio vel decennio laboravit; ita ut in fauces sumpto cibo, per œsophagum non aliter ventriculo credidit, ac capo qui turundis farcitur. Consilium, quod Magnus quidam Medicus Augustanus dedit, ad frigidam intemperiem compositam refert, cum viscidis, crassis, pituitosis humoribus, qui impacti essent supra os ventriculi superius in ipso Oesophago, quos à capite partim eò descendisse, partim in ventriculo collectos fuisse putavit. Subscribentibus Appetentia cibi potu majore, & rejectione vomitu pituitosorum ac viscidorum excrementorum. Quin putat in tuberculum crudum jam degenerasse hanc in-

D. Scheirlinus.

tem-

temperiem. Curare adgressus est Decocto Ligni Guajaci & salsæ parilliæ, adjectis corroborantibus & purgantibus. Nostri ęgri globulus nō crudum tuberculum, sed musculorum laryngis, seu faucium spasmodica contractio videtur, ut superiùs docui. Cur hypochondriaco adfectui Acidulas suadeam, in causa, quod in talibus adfectibus, superiori Scholio, ob calorem siccum ventriculi depravatè concoqui chylū dixi. Certè chylificatio bona, à calore in suo humido perficitur. Negat Ferriolus à calore chylificationem fieri, tractatu proprio de debilitate ventriculi. Quia chylificatio non fit calefaciendo, quod opus caloris. Deinde quia in solo ventriculo fit, cum calor per totum corpus dispersus ubique sibi similis sit, & similia agat. Tertiò, quia in ventriculi fundo qui exanguis est, membranosus intestinis frigidis adhærens chylificatio fit. Quartò, quia calor intensior fortior esset, & chylificatio ab eo perfectior: at febris & aromata copiosa contrarium docent. Quintò, quia chyli color albus est: at urinas tinctas videmus à caloris qualitate, vel flavo, vel rubro, vel fusco, vel

Acidulæ an hypochondriacis prosint.

Chylificatio à quo fiat.

vel nigro colore. Sextò, chylus utpote alimentum hominis temperatus est. Septimò, homo minùs frigidis quàm calidis in victu carere potest, utpote potu; at hæc frigida calorem in chylificando impedirent. Octavò, Instrumentum chylificationis ventriculus, frigidus est Naturâ. Nonò, humida & aquea ficcioribus citiùs concoquuutur, at illa ut calori contraria reagent in calorem chylificantem, unde concoctionem retardarent. Decimò, si cancri, & conchylia, quibus natura frigida est, quique homine frigidiora, (idem de avibus, de insectis dici potest) quædam dixerunt quæ etiam à calidissimo animali impossibilia digestu: certè calori concoctio cibi non est adscribenda. Maximè cum testæ leguminum, putamina fructuum, tendines, membranæ, & partes nervosæ animalium, induratum albumen ovi, anguillaque cruda egerantur, quæ Calor concoqueret, si ille autor esset chylificationis. Hæc Ferriolus; cujus pace liceat

Qualis calor chylificet.

dicere, neminem Medicorum ita rudem esse, ut quemlibet calorem autorē chylificationis dicat, sed vivificantem solum, cum omne vivens nutriatur. At

calor

calor vivens in humido reſidet, viget, viret, & in eo operatur. Hunc natura provida ſubſtravit Animę nutrienti, quę ad chyli productionem coutitur, qui ventriculo ingenitus eſt. Hic chylum producit, colore album, quia adſimilat formæ inſtrumenti, ut calor ſanguificationis ſanguini rubrum colorem dat, quia hepar rubrum eſt. Color urinarum non ſemper caloris eſt, ſed utplurimum humoris alieni permiſti, qui cum in corpore fervet, etiam caloris præter naturam ſignum eſt. At talis calor cum igneus, à Medicorum ſchola nõ ad chylificandum admittitur, temperatum illi volunt, eique actionem committunt; cui adjungunt Idioſyncraſiam ventriculi. Potus frigidus qui avidiùs adpetitur, non eſt neceſſarius, ſed à conſuetudine; ſcimus in oriente calidiſſimum ſorberi potum à Turcis. At nos jam qui frigido potui adſueti, appetentiam eo provocamus, calidum cibum temperamus. Ne ſibi Ferriolus trophæa ponat. Non vocatur alius ad opus hoc, quàm calor is, qui eſt animæ viventis, inſtrumentum, & ventriculo ingenitus, ejusq; fundo; at hic non exceſſivus, ſed temperatus, vi-

tus, vivificus, & cum decore humidus. Et licet chylificatio elixationi adſimilefur, claudicare tamen mihi videtur ſimile. Cum chyli perfectio ab externo humido calore non fiat, nec alterando conſumatur craſſum humidum ſeu aquoſum in eo ut in elixatione. Alia enim eſt ventriculi operatio in chylo producendo, quàm artificis in elixando. Siquidem ventriculus non tantum ſuo ingenito calore & ſpiritu, quin & adjacentium partium adminiculo, verùm etiam tacita & recondita proprietate, primum quidem alimenta in unum cogit, & alia cum alijs, arida cum humidis confundit: ſimul verò omnia frāgit, & terendo comminuit, ut jam partes omnes quandam ſubſtātiæ æquabilitatem adeptę videri poſſint. Quæ etſi ita exquiſitè permiſceātur, neceſſariò tamen ex miſtionis lege, tum ex adfectionis natura mitigātur, & depoſita omni qualitatum exuperantia in quendam adducuntur ordinem & recidunt, fitque uniuſmodi ejuſdem naturæ ſubſtantia, ſpeciem quandam cremoris certam, conſecuta. Differt igitur Chylificatio ab elixatione efficiente cauſa; quia non tantum calor

Ventriculi actio in elaborando chylo.

natu-

naturalis viventis animæ, qui calidus & humidus concoquit, sed utitur instrumento adpropriato, & sibi ad hoc opus destinato, ventriculo, cui proprietas quędam innata est, quæ talem cremorem producit, qualis nullibi in corpore gignitur, quo fulgure cadit secundum argumentum Ferrioli. Deinde etiam fine; quia coctione res saltim ad perfectam temperaturam seu qualitatem ducitur; in chylificatione materia concoquenda in ventriculo non tantum in cremorem & humorem, verùm etiam in novam quandam substantiam mutatur, ab ea longè diversam, quæ ab extra pro alimento adsumitur, & cibus est. Novam igitur formam chylo, in ventriculi labore concoquente induci, quotus quisque non videt, quæ chyli forma meritò vocatur? Mea hæc mens est; cibum in ore masticari & minui, à pituita illa tenui, quæ est humor ingenitus ventriculo combinari; in ventriculo corrumpi, cum arida & crassa suam exuant naturam, quam corruptionem sequitur productio illius cremoris, qui dicitur chylus, substantia, qualitate, imò forma externa & interna à cibo adsumto, alie-

nus. Quam productionem lubens generationem dicerem, ni communis Medicorum ſchola à Generatrice, Alteratricem facultatem ſeparaſſent, & hanc nutritionis organis, illam teſtibus adſignaſſent. At chylus alienus eſt humor qualitate, ſubſtantia & forma à cibo adſumto. Generatum igitur novum ſi dixero chylum eſſe corpus, ſanguinem, ſemen & lac, quibus omnibus propria forma: non propterea Alteratricem cum Procreatrice confundo, quia hæc de cõſervanda ſpecie, nempe hominis agit, dum totus homo procreatus in individuo. Illa ſunt talia corpora, quæ Natura produxit, ut aut ſuſtentent corpus vivens, cum vis altrix partibus nutriendis addit & adſimilat; aut ad novum producendum vim & efficaciam cum materia adferant, quale eſt ſemen, aut alienum corpus nutriant, ut lac. At Ferriolus nobis hæc negabit, qui in quarto ſuo oppoſito, Medicos promovere coctionem ventriculi non calidis humidis, ſed ſiccis, ut ſint Diatrion, pipereon, zedoaria, zinziber, &c. quibus incendi ventriculum, ait; unde Medicos incendiarios ſtomachi vocitat. At Galenus noſter

ventriculum in coctione deficere dupliciter ait, vel quando ipsa facultas patitur chylificans, vel, qua illa salva, error alienus seu externus operationem ejus impedit. Facultatis vitium duplex rursus facit, intemperiem calidam, frigidã, siccam, humidam, aut morbum organicum. Hunc officere retentioni, illam coctioni, quum Idiosyncrasiæ, quæ illâ utitur, nonnihil noceat. Errores externos triplices recenset; Cibus aut copia aut qualitate coctioni immoriger: Excrementa in ventriculo aut genita, aut collecta, aut in eum deposita: Denique modus utendi ciborum præposterus. Ex quibus patet, etsi ventriculi ingenitâ vi calor nutriens utitur ad chyli productionem, tamen labefactata temperie eam ineptam esse ad benè agendum; quam corrigere convenienti decet medicamine.

Deinde & errorem externum impedire ventriculum etiam benè dispositum, ne benè operetur. Porrò ventriculi Idiosyncrasiam indigere juvamentis interdum, quæ emendant hæc vitia. Quare calida ijs ventriculis consecrantur, in quibus pituitæ proventus, & a-

Cur aromata stomachica dicantur.

pepsia, cui aromatica vis se opponit, reficiens ventriculum, quum omnia odorata ab eo amentur, & fœtida subvertant eum; C. Peucerus. Vis quidem illa spirituosa aromatum, succurrit idiosyncrasiæ stomachi, caliditas errorem emendat, nimirum excrementum retentum crudum; ex accidenti itaque prosunt, quum pituitosos cibos & humores, quorum natura est diffluere, inspissant, ac in crassam consistentiam mutant, ut ex eis æqualis humor produci possit. Calida igitur aromata errori dicantur, & ventriculi humiditati, quam exugere & absumere debent, docente Fernelio Meth. Med. l. & c. 5. & Heurnio Meth. ad praxin. de ventriculo humido, cap. 9. lib. 2. & lib. proprio de ventriculo c. 4. Audiamus Quercetanum sobriè de Aromatibus loquentem: Laudat ipse Zedôariæ vinum prægnans multis aromatibus ad robur stomachi: & in libro suo Diætetico cap. 8. Piper non caloris ratione, sed ob sal aronicum, propter quod subtile est, incidens, penetrans & dissolvens, prodesse ventriculi coctioni scribit; quum eo tartarea & viscida omnia ex ventriculo alijsque partibus solvantur

ac de-

ac deturbentur. Zingiber ad naturam piperis accedere pronunciat, in crassiori tamen latitare substantia, ob quam etiam minus penetret, tardiusque pipere agat: esse æque particeps salis aronici ac piper, cum pungat ac vellicet linguam", unde obstructiones reserat, & attenuat crassos humores. DE SALE verò ARONIS autor prædicat, quod dissolvat humores tartareos nostri corporis, gũmosos & tenaces, Pharmacopœa Dogm. rest. cap. 25. Ex quibus clarum, nec hoc argumento calorem à chylificatione removeri; nec nos Idiosyncrasiam ventriculi temperie justa ornati à chylificatione removisse. Nil igitur Ferriolus conclusit contra communem Medicorum scholam. De humore illo acido, quem Ferriolus solum chylificationis artificem facit, superiùs evici, non esse illum succum Melancholicum, cum hic acerbus sit, illi grata aciditas, hic adpetitum prosternat, ille eum suscitet; hic ob crassam & siccam qualitatem, quæ in terrestri substantia est, obtusum causet sensum, tardum motum, ac acerbitate hæmodiam dentibus; illum tenuem esse, subtilem, penetrabilem, & ad motum *Acidus humor ventriculo congenit*$^{\alpha}$.

facilem; unde adſcendit in palatum, linguam, dentes, quod terreſtri negatum.

Quid ſit? Humor hic cibi maſticati gluten, ſeu
" fermentum quoddam eſt, quo ejus unio
" & conglutinatio fit; eſt fermẽtum, quod
" acido ſuo ſpiritu ſolvit, minuit, atterit
" etiam arida, craſſa, & dura in ventricu-
" lum inter cibos recepta, ut faciliùs in
" humorem poſſint ſolvi, ut tota maſſa
" pultis formam quandam liquidam reci-
" piat, cui deinde ingenitus ventriculo ca-
" lor fovens, quandamq. novam formam
" inducit, quæ chyli propria dicitur, quam
" acidus hic humor omnibus partibus
" chyli communicat, cum per totum fera-
tur æquabiliter. Docet nos hoc Cerviſiæ perfectio, cui fermentum omnes partes permeat, perreptat, ut eas beet forma Cerviſiæ, cui calor externus adminiculo eſt. Familiaris congener, ingenitusque eſt is ventriculo, quem quotidianus reſarcit cibus, ei gratus, ac acceptus, quo ſtimulatur adpetentia, adpellens cibus comminuitur, atteritur, unitur, chylus totus eo fermentatur, & forma chyli adglutinatur, ut docet Platerus Tract. 1. c. 2. & Quercetanus in Diæteti co cap. 4. ubi ſpiritus vocat famelicos, acidos,

Humor quem vocant die Rennin *in pecoribus, vix alius.*

acidos, vitriolatos, qui diſſolvunt cibos & atterunt. Non caret enim hic humor ſpiritu ſuo, ut omne fermentum. Videatur Quercetani diſcurſus de panis fermento. Miniſter igitur hic humor acidus, tenuis, ſpirituoſus, chylificationis eſt, qui ſuas operationes in ore inchoat manifeſtè, in vētriculi fundo perficit, quem ejus innatus fovet calor, & movet, quo abſumto, aut diminuto potiùs, adpetitus jacet, chylus ſiccior fit: quo acriori reddito, chylus nimium fermentatur, inflatur & ſpumeſcit. Solus tamen & abſente calore ventriculi, ineptus eſt, ut chylificationem perficiat: Aquoſus inutilis, tardus, & cruditatum autor. Quibus omnibus manifeſtum, Calorem humidum benè concoquere, ſiccum malè: tum ratione corporis ventriculi, tum miniſtri humoris ſc. acidi & ſpirituoſi ei ingeniti. Ptyaliſmus & ſalivationes frequentes in hypochondriaca adfectione, non negant calorem ſiccum depravare coctionem, cum hæ ſalivationes & humorem agnoſcunt vētriculi, & glandularum faucium, quæ à cerebro humidum ſuſcipiunt, & in ſalivam convertunt. Eſſe verò hypochon-

driacis caput pituitosum fortè nemo dubitabit; Et humorē acrem ac quasi corrodentem in eorum ventriculis jam diximus: hic movetur imaginatione etiam, maximè si de cibo cogitatur, hic vellicabit paristhmia, ut eliciant humorem è cerebro, hinc illi ptyalismi. Taceo quòd talibus potus adpetentia est avidior, quare chylosi humoris acidi, crebrior restauratio & tenuior substantia, cujus in os etiam motus facilior.

Pisantes sunt hypochondriaci, vulgò Lipſter.

Consistente itaque calore in sicco in hypochondriaco malo, humectantia & temperatè frigida indicari puto. Cum ea & primæ coctionis instrumentorum quibus primariò hoc malum inest, & secundæ dyscrasiam temperent; eorum actiones rectificent, & sic correctæ temperatè agant. Nec sine autoritate id fieri puto. VerèFelix Platerus ex Rhasi prestantissimum, & præsentaneum remedium AQUÆ potum dixit, Tract. I. c. 3. Montanus Consil. 231. humectari præcipit corpus in adfectibus Melancholicis, & hoc precipuum auxilium dicit, jubetque curantes tales, maximè hoc considerare. Tractat verò in hoc consilio de Melancholia hypochondriaca. Et ut

Qualia indicata sint in hypochondriaco malo.

clarum

clarum fiat, illum non loqui de humoribus aduſtis, quibus primariò humectatio debetur, ſed de inſtrumentis primæ coctionis, eodem conſilio jubet, Bibere jura pulli quantum poteſt; cum humectent & corroborent ſtomachum, ut ſentire Galenum rectè dicit Avicenna, qui vidit meliores codices. Et conſilio præcedenti, jubet fugere, in hypochondrij malis, MEDICOS & MEDICINAS, cum facilè ſint cauſa exitij, quia in hoc caſu communis cõſuetudo aliquorum Medicorum eſt exhibere CALIDA, & (ut ipſi inquiunt) carminativa ventoſitatum. Dum autem ipſi Symptomati attendunt, non advertunt quòd ægro noceãt, & interitum accelerent, augendo cauſam, atque originem ipſius ægritudinis. Sanè ſi carminativa quæ calida & ſicca ſunt nocent: modicè frigida, aut potiùs temperata & humida proderunt. Quare idem Montanus ante prandium & cœnam ſaccharum roſaceum ad unciæ quantitatem exhibet, Et ſubjungit: Eſt enim & VENTRICULO, & hepati, & renibus quã maximè utile: Conſ. 229. 232. Ubi interdum jubet corrigere, ſpeciebus aromatici roſati, Diatrion piperçon,

Conſervæ roſarũ recẽs humectat, & ſua frigiditate moderata ca-

pereon, at in modico quanto ne exiccet; aut calefaciat nimium; tutius medicamentum reliquis putat, cum piperis in ventriculum impressio sit exigua.

lorem tẽperat, leviter etiã ventriculũ stringit quod eius, virtus indicat.

Fernelius in Consilijs, consilio 43. Cibis jubet vesci frigidis, humidis & elixis: A vino aliquando abstinere suadet, ac in potu aqua decocta uti, cum nihil magis ad curationem conducat. Et gloriatur hoc uno remedio complures convaluisse. Et hoc est quod nunquam satis Laudatus Mindererus noster voluit. Potu aquæ hos morbos esse curandos, addito in die cyatho uno vini Malvatici. Vocavit à symptomate, Aciditationem vini in stomacho (Weinsäure) de quo superiùs. Fernelius Consil. 44. Victum humectantem laudat, & brodia alterata herbis frigidis, cremorem hordei. Ex quibus manifestum humectantia huic adfectui deberi, & refrigerantia expeti. Ac si hoc malum radices egit, deobstruentia, ac reserantia. Humorem adustum in vasis communis Medicorum Schola indicare hæc clamitat;

Species aromatici rosati indicantur à retentis in ventriculo & eius Idiosyncrasia. Diatrion pipereon indicatur ab errore vẽtriculi, seu retento. Tria enim sunt quæ indicant medicamenta, Morbus similaris, Intemperies, Organicus, seu retentum obstruens: Et error in agendo, seu ipsa actione.

Reine-

Reinerus tamen Solenander negat, semper hunc humorem in vitio esse, sed pituitam aut corruptam, aut miscellam humorum. 2. Cons. 7. At si fontes in scholio præcedenti signorum pensitamus, ventriculum hospitium esse talis indicationis reperiemus. Si enim ille frigidus esset, & humidus, juvarent carminativa, non destruerent ipsum, nec incendium daret piper copiosum, nec saccharo rosato pro correctione opus haberet, cum denegent ei transitum ad hepar. Primarium igitur & primum locum indicantis humectantia, & refrigerantia modicè ventriculum credo, secundum vasa & viscera quæ ob contentum crassum, pigrum, fervidum etiam deobstruentia & reserantia cum humectantibus anhelando petunt. Sic Montanus Cons. 233. Syrupum de pomis dulcibus, cum syrupo, aut Capill. veneris, aut Absinthij exhibet. Idem & Fernelius citatis locis facit. Patet itaque ex hac lõga dissertatione, Indicans Acidulas, humectantia & modicè refrigerantia, non in solis mesenterij vasis consistere, quod est sanguis fervidus aut obstructio, sed etiam in ipso ventriculo, cujus

Quid Acidulas indicet in hoc malo.

Vide 354.

cujus ametria eſt in calore & humiditate. Calidus enim & ſiccus eſt, & humor ei ingenitus acris, in fermentando excedens, aliquo modo quaſi corroſivus & atterens, hinc illi flatus, chyli acredo & cruditas. Exemplo nobis erit Panis nimium fermentatus, qui nimium acidus, puſtuloſus & craſſus eſt. Platerus Germaniæ culmen Aſclepiadeum, Acidarum aquarum uſum laudavit in adfectu hypochondriaco, Lib. 1. obſerv. quia melancholica excrementa congeſta per alvum expurgant, caloremq; præternaturalem viſcerum contemperant. Reinerus Solenander ſect. 3. Conſilio 16. Acidularum uſum ſtomacho gratũ medicamentum pronunciat, quod etiam firmat eum cum omnibus viſceribus; at talia ſtomachus requirit, ut Heurnius vult. Quæ enim ſimul refrigerant & emolliunt, tonum ventriculi, & viſcerum diſſolvunt ac effœminant. Acida igitur aqua vẽtriculum roborat, moderatè refrigerat, humorem ſpirituoſum ingenitum ventriculo temperat, aqueo ſuo corpore & copia humectat, corpus ab aduſtis humoribus plerunque depurgat, craſſa incidit, pigra promovet,

[Margin: ſchärpfſn]

[Margin: R. Solenãder l. c.]

[Margin: Superius 354.]

vet, obstruentia pellit, alvum reserat, renes expurgat, venas & arterias transit, sordes earum detergit, visceribus frigidum & robur addit. Vera igitur Melancholiæ hujus hypchondriacæ cura, usu fontis acidi instituta est; qui ventriculum, quem primò salutat, refrigerat, ob copiam humectat, ob aciditatem adstringit, humoris ingeniti acrem temperat saporem, quo corrosivus fuit. Deinde vasa ingrediens, primum lienis, quæ ex ventriculo hauriunt, mox hepatis quæ ex intestinis, ambobus visceribus hospitem hostem, pigrum, crassum &c. sanguinem incidunt, fervidum temperant, & secum è loco rapiunt, & aut alvo soluta, aut renibus reseratis, evacuant. Arterias etiam ingrediuntur, quod fit in lienis plexu, ubi anastomosi vasa junguntur ambo. Diureticus igitur hic potus, frigidus, adfinis aquæ, eiq; cognatus, ipsa aqua melior est, vinovè diuretico, quæ à Montano suadentur. Subscribunt huic rei chymici nostri, suo qui artificiali vitrioli tantum adscribunt spiritui, quum noster à sagaci natura aquæ ita immixtus & concreditus sit, ut a ea efficacissimus Apolline ridente

sem-

ſemper experiatur. Laudant & illi cremorem tartari, Sal tamaricis, abſinthij, Juniperi, fæculã radicis Aronis, ob vim incidentem, incidit & noſtra aqua acida naturalis. Fido itaque in æſtate ſalitis illis acidæ aquæ ſpiritibus; in hyeme ad artificialesq́ confugio. Qui chalybis uſum præferunt, per me poſſunt, ſcio illinc in detergendo vires, attamen calida is viſcera non temperat, unde ſæpè etiam noxa. Crudæ porrò illæ humiditates, quas ventriculus produxit, & hepar cum ſocijs non emendavit, ſui ablationem indicant, quæ ideò crebrior eſſe debet, quia fiunt multæ ob ventriculi calorem ſiccum & fermẽtum multum acre, quod chylum potiùs inficit quàm perficit, ut dictum; qui inteſtini alluens adglutinatur quaſi, ut incruſtetur eo, venæ ſiquidem craſſa non ad ſe rapiunt. Hæc autem Benedicta eſſe debent, & quaſi lenientia, ut perdoctè doctiſſimus Montanus docet, qui jubet omnia electivè trahentia cavere, & ijs uti, quæ non è longo trahunt, ſed ſolo cõtactu, Conſilio 233 Cum benedictæ medicinæ exhibitæ in majori quantitate plus trahant, quàm electivè educentes

Quid purgantia indicet.

Et qualia.

in pau

in pauca. Consl. 232. Sic & Platerus noster à vehementioribus purgantibus abstinere jubet, quia malum irritant: Lib. Observationum. Idem R. Solenander Consſ. 2. cap. 7. Montanus laudat Cassiam, Rhabarbarum, Syrupum Rosatum solutivum, de Cichorio cum Rhabarbaro, cui multum tribuit, Consil. 232. 233. Ubi & ALOEN laudat, eique solam prærogativam dat, qua stomachum confortet, in quo versatur cardo. Platerus noster ideò præfert, quia reserat hæmorrhoides. At jam audio quosdam adserere Aloën sicco obesse ventriculo? quibus ego siccum dico me statuere, quemadmodum senex frigido, & sicco est téperamento, qui tamen superfluis multis scatet excrementis. Ventriculus, intestina copiam eorum habent, & tamen sicca & subcalida intemperie lædũt chylificationem. Excrementis igitur debetur ALOE, cujus exemplum dedi in hac historia; ut nutritam & imprægnatã bonis succis, quasi adpropriatam redderem, ad humorem peccantem evacuandum. Ad cujus normam plures possunt dari compositiones Aloëticæ. Siquidem Aloë prout succo inebriatur, ita & effi-

efficaciter agit. Sic ego cacochymico podagrico, cui serum abundans, Aloën succi radicis ebuli, & corticum sambuci, ac primulæ veris nutritam, impræcgnatamq; exhibui ad ℈j. cum felici successu. Henrico Magno Galliarum Regi nutrita fuit succo rutæ contra vertiginem & apoplexiam. Sic noster Platerus succo absinthij nutritam ventriculo debili dedicavit, & colo intestino inflato. Talium pilularum usus esse potest septimo aut decimoquarto quoque die, ut fermentatus nimium humor expurgetur. Montanus Aloën in pauca dosi ideò trahere vult, quia potest materiam peccantem contingere, cons. 232. Vini purgantis usum pro purgatione annua præscribere placuit, ex splenicis, diureticis sc. & purgantibus medicamentis, quibus ex mente Plateri in decenti quanto cort. radicis hellebori adjeci; quem nec reprobat Montanus cons. 231. Restitui

Historia. quendam cacochymicum patritiũ Augustanum, Melancholicum, cui color pallidus & subater erat, hypochondria suspensa, abdomen inflatum, cum dyspnea, & uno ac altero paroxysmo Epileptico, vino aperitivo purgante, quod

hele-

helebori ʒij. habebat, Rhabarbari ʒß. Foliorum Senæ ℥ij. adjectis herbis diureticis ſpleneticis, à quo ſaburra deterſa, & ejecta fuit, cui ſubjeci, Pulverem Birkmanni, quem Quercetanus ſub titulo Pulvis ad omnes ventriculi adfectus mirabilis deſcribit.

Alvum reſeratam hoc malum poſtulat; occluſa tùm calore, tum evaporationibus obeſt, ut conſ. 230. Montanus cum experientia docet. Videmus quoſdam Aloën ſine effectu adſumere, & latitare inertes pilulas in multis corporibus, quare interdum de alio cogitandũ: Nobili ego cuidam fœminæ Electuarium præſcripſi, cujus laudes in hoc malo decantat magnas. Ego, ut bonum ſanitati hominis dicatum, publici juris faciam.

℞ Foliorum Senæ Alexandrinæ mũdatorum ℥ij. foliorum Ceterach, Corticum tamaricis ana ʒij. infunde in vini Reinfalici, ſeu Puccini, Menſura una, id eſt, libris duabus ponderis civilis per horas viginti quatuor, deinde bulliant levi ebullitione, in hac colatura fortiter expreſſa, rurſus infunde per horas octo paſſularum corinthiacarum ℥iij. Pru- *Electuarium purgans delicatum.*

norum parvorum exoſſatorum paria quinque, pulpæ tamar Indorum ℥js. Bulliant iterum ad tertias, piſtetur & mittatur per ſetaceum addendo Mannę Calabrinæ ℥ij. Tabularum de oleo Aniſi ℥j. Miſce, fiat Electuarium ſecundum artem. Utitur cochleari uno aut altero, prout alvus reſpondet. Clyſterijs agendum cum Platero & huic & alijs ſuaſi, quia inteſtina penitiùs ſubeunt, & à venis meſaraicis illuviei partem evacuant.

Phlebotomia. De Sanguinis emiſſione diverſimodè autores ſentiunt; Noſtrates conſuetudine ſiniſtri brachij baſilicam ſecant, aut ſalvatellam manus, venam quam vocant milzi; ac præſentiſſimum judicant remedium. Sic in quartana, cum coctionis ſignis in urina, ſalvatellam ambarum manuum tundunt, Varignana lib. 1. de Feb. c. 4. Plurimi ſiniſtræ, moti illius Aretæi, quo dicit ſalvatellam ſiniſtram ad lienem tranſire, in quo Arabes conſentiunt, ejusque apertionem in melancholicis adfectibus laudant, in lienis obſtructionibus & in quartana. Andrea Laurentio teſte, Anatomiæ 5. c. 2. Bauh. in Theat. Anat. 4. cap. 13. Galenus de Anatomica adminiſtratione lib. 3. c. 5. de Salva-

Salvatella hæc ponit: Quædam pars venæ ad minimum digitum vergit, quam venam nonnulli in ſiniſtra manu ſecantes, ſinentesque ſanguinem ex ea fluere, quouſq; ultrò ſiſtatur, lienem ex tali evacuatione juvari adſerunt. Idem de ratione curandi per ſanguinis miſſionem, cap. 14. Et ſanè abundante humore craſſo, ſanguineo aduſto in venis, præſens eſt remedium, quum ventilet fervorem ejus, & per ſucceſſionem arteriarum ſanguinem depleat & refrigeret, ut in conſilio dictum. E magna verò vena craſſus ſanguis meliùs fluit, cum tali ſanguini copioſum ſit ſerum. Ex ſalvatella plus ſeri quàm ſanguinis exudat. Sunt tamen qui ſibi & alijs perſuadent, ab alto trahi ſanguinem, quem eructando ſalvatella deponit, corpus, & præcordia, neſcio quomodo inde melius habere. Ego tamen non ſine ſuperſtitione illam obſervari venam puto, quum ramum ſibi imaginentur ibi perrepere ex vena cordis, quare auro muniunt digitos illos poſtremos, ut cordi virtutem communicet. Hæmorrhoidum apertio etiam utiliſſima, cum ex portæ venis educat humorem crudum craſſum.

Et hæc ſunt meæ de hypochondriaca melancholia opiniones. Quæ per ſe mirabilis ac lamentabilis, errores tamen in ejus cura innumeri fiunt, ut Montanus & experientia adteſtantur. Collimare ſi non licuit, à ſcopo tamen me nõ abijſſe longiùs mihi libentiſſimè perſuaderem. Quibus hęc cruda ſunt, doctiores concocta & matura dent; adſcribant mea huic morbo, qui cruditates alit, & phantaſiam ſæpè corrumpit.



CASVS III.

HYPOCHONDRIACA FLAtuoſa, cum macie corporis.

VIRGO Illuſtris annorum viginti ſex, temperamenti à natura ſanguinei, cum pituitę ſubdominio, ab ineunte ætate inculpatæ ferè fuit valetudinis: niſi quòd interdum, ſed rarò, aliquot poſt paſtum horis, cibum non concoctum evomuerit; idque uti putabatur ob errorem externum.

Mala namque & noxia conſuetudine, cibum

cibum non masticatum, neque dentibus satis confectum voracitate quadam deglutire solebat: nec ab ijs quæ ventriculo gravia sunt, & copia aut qualitate noxia & cruditatum feracia, abstinebat. Alvum habuit, & adhuc habet segnem, restagnantem, atque obstructam, non tàm natura quàm consuetudine, fæcibus ex negligentia retentis, nec tempore debito excretis. Hinc clysteribus frequentioribus alvus officij sui immemor sæpiùs sollicitanda. Decimoquarto ætatis anno per muliebria evacuari, & sanguinem κατὰ μήνια utero fundere atq; excernere cœpit. Non longè post, cum ob colorem faciei sub pallidum Icterica esse putaretur, acidulis usa est cum detrimento, & viscerum nutritioni dicatorum intempestiva, ac nimia perfrigeratione, quam subsecuta est mensium imminutio, & ante eorum periodicam exclusionem πάθη quid hysterica.

Progressu temporis, ob frequentiores in victu errores, ventriculus magis debilitatus, sæpiùs quàm antea, cibum cum copiosa pituita, non tamen illicò à pastu, sed aliquot dum pòst horis, præ-

cedentibus ſemper, & concomitantibus contumacibus alvi obſtructionibus.

Ante quinquennium Balneis Cellenſibus cum fructu uſa eſt: hyſtericæ namque adfectiones ijs ſublatę, & viſceribus naturalibus notabile robur adflatum eſt. Verùm hæc ſanitas non firma fuit, nec díu duravit. Exceperunt namque balneum mœrores aſſidui, alijq́ue animi adfectus, ex gravi cauſa, diuturni. A quibus graviùs adfligi cœpit, quàm unquam anteà, non modò ventriculi cruditatibus & vomitionibus; ſed alijs etiã morbis, quos ex cruditatibus concepere reliquæ publicis functionibus dicatæ partes. Vomitum præcedere nunc ſolent tormina, & dolores infra ventriculum à flatibus procul dubio, qui ſe ipſos oberratione & eruptione produnt exorti, qui cum per alvum obice quaſi objecto, & ſquibalis præpediti, elidi nequeant, ventriculum petunt, ac cibum fluctuare faciunt, ejusq́ue nondum concocti, & multæ pituitæ juncti rejectionem promovent. Clyſteres alvo auxiliares porrigentes manus, plurima eaq; interdum magna educunt ſquibala, pituita permiſta vitrea, cum alleviatione inſigni.

Reſi-

Residuum pituitæ cum chylo utili attrahitur à visceribus, alimento ob penuriam inhiantibus, & eorundem vasa obstruit. Splen intumescit, & detumescit vicissim per intervalla, non sine dolore ac palpitatione & aneurismatis metum. Circa lumbos & renum regionem non semper immunis est, aut expers dolorum. Urinæ utplurimum crudæ sunt, pallidæ & aquosæ, cum sedimento pituitoso, post motum corporis sunt etiam crassæ. Sabulum aut arenulas rarissimè continent, easque instar farinæ minutissimas, utplurimum albas, interdum etiam citrinas.

Hysterici interdum quidpiam sentit. Menses nunc periodum debitam observant; ante hac parci: nuper in funere demortuæ matris copiosi. Fluor albus ante & post menstruorum fluxum adest copiosissimus. Hyeme quàm æstate deteriùs habet. Ab omnibus actu & potestate calefacientibus, intus sumptis aut ab extra admotis, levamen percipit. Præterito vere ex præscripto exquisitam victus rationem aliquandiu observavit. Hiera Galeni per intervalla purgata, & nonnullis remedijs, quæ foris & intus

calefaciunt, ac ventriculi robur tuentur. Theriaca etiam cum extracto Calami aromatici, & oleo Angelicæ, elixire item vitæ Matthioli, usa est. Hinc benè habuit toto ferè eo tempore, nec vomitum, nec dolorem perpessa. Verùm ob diuturnum eumque lethalem matris morbum, mœrorem hinc ortum assiduum, labores matri ægrotanti debitos, & curas domesticas alias, intermissis remedijs, recidivam nunc graviorem patitur, & cum ob vomitum frequentem, ventriculi genium defraudantem, non reficiantur ea, quæ à naturali calore, & adsiduis animi adfectibus exhauriuntur, inque auras evanescunt, sentit id universum corpus, quod indies marcescit, consumitur & contabescit. Hac macie corporis perterrita & deteriora metuens, aliorum etiam Medicorum judicia, & consilia super adversa hac corporis sui valetudine audire desiderat.

Perscriptum 2. Julij Anno redemptionis M. DC. XXV.

David Verbezius M.D.

Ad

AD quæ ſic eum reſponſum à me fuit. Illuſtris virginis macies, ac totius corporis conſumtio, Atrophia quædam eſt, quæ ex Dyſcraſia viſcerum nutritionis ſeu facultatis naturalis prodit; primariò ventriculi; cujus radices jam ſunt majores, utpote plurium annorum. Ventriculum autem primariò, & per ſe adfectum eſſe, demonſtrant; vomitus nonnunquam ciborum, ſæpiùs phlegmatis craſſi, tenacis, viſcoſi, cujus aliquot à cibo horis utplurimum rejectio eſt ſincera. Flatus, circa ventriculum lancinantes, murmurantes in inteſtinis, cum humido fluctuantes, ſæpiùs eructatione prodeuntes. Hæc ventriculi depravatam notant coctionem, qua Chylus viſcoſus, craſſus ac tenax gignitur, ſimilis phlegmati ſeu pituitæ. Hujus pars melior à venis ſtomachum circumſtantibus ad ſanguificationis rapitur officinam, in qua non laudabilis, & inculpatus elaboratur ſanguis. Cum coctio ſecunda, errata primæ non emendet. Quare ex tali chylo reſurgit craſſus, fibroſus, nec valdè rubicundus ſanguis, ad motum maximè ſegnis. Pallor & albedo totius corporis Virginis Reſponſio.

testantur hoc. Pravus hic humor soboles procreat plures; Defectum Mēstruorum, obstructiones vasorum, & Atrophiam. Deficiunt Menses, quia crassus ac crudus sanguis in motu segnis est, & non nisi abundanti vehiculo, sero nempè, promovetur; quod vina generosa, quibus parcè Illustris virgo utitur, ut quæ siti caret & parum bibit, non generabunt: Nec cibi, qui crassum gignunt succum, & quibus inest parum humidi, ut panis passulis & vino incoctus, & in butyro frixus, vulgò Weinbeer geschmaltzen Brot/oder rester; & placentæ illæ crustosæ & farinaceæ, cum vitello ovi incorporatæ, & in butyro frixæ, Ayr haber/nobis, serum procreabunt. Crassus ex his cibis resurgit chylus, ex quo similis prodit sanguis, qui in venis tardè progreditur, ac sæpiùs ob tenacitatem quiescens infarctionem & obstructionem causat, nec copiosus ad uterum descendet, ut qui ob vehiculi absentiam non sit fluxilis, & ob crassitiem ineptus ad motum. Denique quia natura solùm talem ad uterum deponit sanguinem, qui alimonia fœtus esse potest, qualis est optimus, ut Felix Platerus ratiocinatur.

At-

At cum matris funere copiosiores menses fluxerint, hæc ratio forsitan paucioribus placebit? Verùm victus ratio exquisita diu præcedens laudabilem aliquo modo sanguinem dedit; hunc ad uterum promoverunt Animi commotio, & labores frequentes. Muliercularum hæc est opinio, ut putent, si menstruata cadaver attigerit, aut cæmenterio propius accesserit, in immoderatū, & incurabilem incidere eam mensium fluorem, at hæc philosophia est Damistica. Nec albus fluor, quem pituitam adfirmant, quo Illustris virgo vexatur, crassitiem sanguinis negabit esse remoram menstruorum: quia ejus alia est ratio. Non dico cum Pisone album illum fluorem esse semen mulierum excretum. Unde enim mulieribus hujus tanta copia erit, ut se toties polluant. Novi uterum, non tantum libidinis causa mulieribus datum, sed ut esset locus, in quo Individua humanæ speciei resurgerent, quem agrum optimo Natura sanguine humectat, ne fœtui desit, quo alatur, sed etiam quasi stercorat multis sordibus: ita ut ad limites agri hujus deponantur plurima inquinamenta, quæ ibi ex corpore

pore reijciuntur. Noverat Natura quæ in hoc loco contritiones, & in plantando & excludendo fœtu fiunt, quare eos glutinosa munivit humiditate, quam ex tertię coctionis recremento huc cum sero direxit; quod in masculis ad renes devehitur, in fæmellis ad uterum & ejus collem. Crassum hoc est, ut quod à talibus secedit humoribus, quos artifices gluten, & cambium nominavêre. Eructatur itaque ex venis tale quid, quod glutini æmulum est; albumini ovi conquassati haud dissimile.

Copiosius in Illustri virgine fluit, quia cambij pars minima, utpote atrophia laboranti, corpori adglutinatur, gluten igitur copiosè deponitur. Leges verò ideò non observat, quum eas Natura suis operibus præscripserit, non erroribus. Eructatur denique haud adfatim, sed repetitis vicibus, & habet cæcas interdum vias.

Infarctio seu Obstructio, quæ altera hujus pravi humoris soboles est, à lento & viscido humore in omnibus quasi vasis hærens, maximè ubi plexus eorum sunt, ut in hepate, liene, circa renes & testes, item ubi venæ tenuiores, causata.

Segnia

Segnis igitur ac piger humor circa uterum herens, à calore circumſtantium aſſatur, qui ex eo vaporoſas evocat exhalationes, quæ cerebro adfectus hyſtericos comatoſos inducunt, & ad ventriculum maximè lypopſichias cauſant, à cibo, ut videre licuit.

Tertia ſoboles eſt ATROPHIA; ob quam membrorum debilitas, & laſſitudo totius. A ſanguine quidem craſſo pauciores generabuntur ſpiritus ſubtiles & boni, ſed tales, à quibus corpori ſalus nulla aut virtus accedit, quę actionibus vim & vigorem dare poſſent, ut in vitæ & naturæ functionibus ritè procedant, hinc nec corpus erigere, nec libero ſpiritu incedere, & deambulare valet. Facies quieſcentis libera eſt, & lingua prompta. Quæ vitia dat chyli pars melior: An igitur à deteriori ejus parte aliquid ſperandum? Recrementa illę ſunt, phlegma ſcilicet viſcoſum ac craſſum; à quo elicitus flatus, ventriculum diſtendit, & cauſat dolorem; in hypochondrijs murmura, rugitus, fluctuationes, maximè copulatus humido, nec ex inteſtinis ſi deſcendit elabi conatur. Quod ſi ventriculus eum ſurſum pellit, ructus

fiunt;

Splenem non intumeſcere & detumeſcere.

fiunt: ſi tanquam per cuniculos ex ventriculo, & inteſtinis ad muſculos ſiniſtri hypochondrij repit, eos ſpaſmodicè contrahit, ac attollit in tumorem. Quem demulcent carminativa olea illita. Docet hoc dolor, qui non eſt gravativus, qualis eſt viſcerum, ſed diſtendens. Splenem enim detumeſcere & intumeſcere per intervalla, & ad tactum & ſenſum viſus, non credo. Nobile eſt viſcus, dotatum plurimis arterijs, & vaſis fibras æmulantibus, quæ plexu quodam invicem ſe excipiunt; hæc ob anguſtiam inflari ſenſibiliter nequeunt; nec ejus parenchyma humidum imbibet, multò minùs ob levem ad extra illinitionem illud deponet. Membrana denique arctè cohærens, non ſine maximo dolore lancinante à flatu ſepararetur, at quomodo pervenire eò poſſint, ipſe Fernelius nondum intellexit. Palpitatio concludit nil, cadit ea etiam in partes muſculoſas. Aneuriſma vix agnoſcet lienis plexus, novi & vidi partes externas eo fatigatas. Non dubito arterias palpitare in hypochondrijs, eſt illis arterioſus craſſus & flatulentus ſanguis, qui excitatus à motu externo in cachecti-

checticis sentitur omni in parte. Phlegma porrò retentum in ventriculo, gravat eum quasi pondere, & spiritus esuritivos ac famelicos figit, & quasi immobiles reddit, unde illi haud chylum penetrant, ac ut solent attenuant, sed prostratus jacet adpetitus, & coctio depravatur. Quod si hoc vomitus excludit crassum, ventriculi excrementum se esse probat.

Alterum recrementum, quod crassum, terrestre, ac limosum in intestina descendit, exhalationes si vaporosas de se mittit, Flatus fiunt; quod crassum relinquitur, in squibala abit, unde segnior alvus ac pigra, fæmellis Augustanis ob vitam sedentariam, pauciorem potum, consuetudinem aut rusticum pudorem maximè familiaris.

Urinæ crudæ & pallidæ negari bilem sero dicunt, & sanguinem minus esse rubicundum. At urinæ quæ mihi 13. Julij ostensæ fuerunt, confusæ, crassæ, rubræ cum heterogeneo innatante pituitoso, (non audeo hypostasin dicere) erant. Ajebat tùm Illustris virgo se deteriùs habere, urinas quando clariores mingat, quàm cum cõfusas & pituitosas.

Pathe-

Pathemata Animi non ſymptomata, ſed cum Medico adſtante inter procatharcticas refero cauſas. Ex quibus fontibus, utpote ex actione læſa, excretis & proprijs accidentibus Locum Adfectum cognoſcimus ventriculum cum inteſtinis junctis, & venis ex ijs ſugentibus. Hiſce conſentiunt viſcera, vaſa, & uterus, quibus ex diuturno morbo quædam diſcraſia eſt adfricata, quum vitioſa contenta habeant.

Iidem fontes Adfectum ipſum edocent, nimirum, Morbum eſſe, hypochōdriacum, flatuoſum, ſic ex mente Diocli eum vocitat Galenus. Matthæus Martini in Morbis Meſenterij differentias hujus morbi octo ponit, in quarum numerum ſi collocatur, ſtomachica dicetur; videri ibi poſſunt ſigna diagnoſtica, conveniant ne ea cum Illuſtris noſtræ ægræ ſymptomatibus. Nec obſtat quod pituitæ dominium non melancholiæ ſit, docet id Solenander, qui in morbis hypochondriacis negat, ſemper peccare humorem melancholicum, ſed pituitam, aut ex putridis, aut corruptis humoribus quandam miſcellam in venis hærere meſenterij. Sect, 2. Conſil. 7.

Quam

Quam miſcellam ſupra ex Platero ſanguinem crudum ex chylo ſimili dixi.

Porrò in hoc ſtomachico flatuoſo morbo Galenus ex Diocle, ventriculo calidam & ſiccam diſcraſiã ineſſe vult; non quidem exceſſivam, quam negat generare flatus, ſed diminutam caliditatem, & præternaturalem. Ut enim calor humidus vitæ autor, ſic idem in nutriendo eſt præſtantiſſimus opifex. Degeneraſſe verò hunc omnes operationes docẽt, chylificatio læſa, qua craſſus chylus, ob evocatos vaporoſos flatus, producitur. Non in frigiditatem, ſed in calorem minutum. Huic opinioni ſubſcribũt. Febris lenta hunc morbum prægreſſa, cujus eſt exiccare ac calefacere organa motus; animi pathemata, indignatio & mœror quæ ſpiritus & ventriculum exiccant. His accedit, quod in talibus ventriculis ingenitus humor, refertus famelicis ſpiritibus, à ſuo tenore degeneravit, & ſiccam quandam, minusque mobilem naturam acquiſivit, ob quam cibum non æqualiter permeat, incidit, atterit, & in æquabilem cremorem cooperante ſimul calore coquente, & ſicco vertit, & craſſum ac tenacem relin-

 quit.

quit. Eo modo quo fermentum fatuum & pigrum, ut pistores & zythepsæ vocant, non totam transit substantiam farinæ, aut cremorem malzi, nec ritè mutat, aut æqualem reddit: Unde panis fit viscosus ac tenax, & cervisia mala. Scio pauciores Doctores hujus humoris mẽtionem facere, famelici tamen eum accusant, & ipse in ore ejus acorem sensi, Platerus & Quercetanus testantur de eo. Novi etiam hanc à me calidam secundum quid vocatam discrasiam ventriculi, frigidam ab alijs dici cum calida, ut Theriaca, cum extracto Calami aromatici, & oleo seminis angelicæ: item, Elixir vitæ Matthioli, juvent. At hæc vi potiùs penetrante, & incidente juvisse puto, cum non pugnârint cum discrasia ventriculi, verùm cum errore ejus, nimirum cum contentis in ventriculo, phlegmate, scilicet, & flatibus. Si enim Discrasiam ventriculi emendassent, jam Illustris virgo sana esset; at quia cum erroribus pugnarunt, inducias dederũt. In ventriculo fieri errores apud Illustrem ægram, docet varietas ciborum, diuturnior ad mensam accubatio, ciborum refrigeratio, & rursum calefactio

Müde Häffen. Dedes Haubt. Dälgig Brot.

in i-

in ipſa tabula, vita ſedentaria, & alvus adſtricta, ex qua vapores inquinantes, & replentes ventriculum elevantur: & ut arguo ex ſubdominio pituitæ, quæ in ventriculum à capite deſcendit. Quæ quidem fuſiùs de hac adfectione.

Diuturnus & chronicus morbus; quare curatu difficilis: Indicat verò ſui ablationem; primò emendando ventriculi diſcraſiam, dein corrigendo contentorum in cavitatibus craſſitiem, poſt auferendo impedimenta cōcoctionum primi & ſecundi organi coctionis. Quaſi dicerem, Chylificatio eſt reformanda, & ſanguis confectus emendandus. Impedimenta primò tollimus, lenientibus alvum, & abſtergentibus humores tenaces, qualia fuerunt, Hiera picra Galeni, eſſeque poſſunt, Aloës inſuccata ſucco abſynthij, ad mentem Plateri. Validis purgantibus fortè uſa non eſt, & relegat illa Solenander 2. Conſil. 7. Montanus, ſelectivè purgantia reijcit omnia Conſil. 223. Crato 2. Conſil. 19. Clyſmatum uſum cum Felice Platero ſuadeo, & frequentiorem laudo.

Ventriculum detergerem cremore tartari fæniculato, aut cum fæculæ aro-

nis portione: cum Aloë absynthite bis in mense evacuarem.

Pro Materia ex qua bonus chylus formandus, eligatur cibus Enchymus; ut sunt carnium brodia, quæ moderatè, & parcè sumpta prosunt; laudat jus pulli Montanus: ego caponis, Gallinæ, quod interdum aceto alterari potest, pro mutatione jusculi. Cremorem hordei, ut pote flatulentum, avara manu darem. Capus, pulli gallinacei, pipiones, perdix, alauda, aves montanæ, optimi sunt nutrimenti: vitellus recentis ovi tremulus. Salita ac durata fumo forsitan non in usu sunt, modò ne vocentur.

Pisces saxatiles, truttæ juvenes, & lacij parvi, gobiones fluviatiles, funduli, alburni &c.

Pulmentum ex amygdalis: panis passulis minoribus vino & saccharo humectatus leviterque in butyro frixus, &c. Frixa nimia absint. Ex herbis seu oleribus, excepta spinachia, pauca prosunt. Endivia & lactuca in acetarijs sumantur parcè. Ex fructibus, Pruna Damascena, cerea Gallica, cerasa acida torrida, passulæ corynthiacæ; cappares conditę, Poma Borstorfiana, aut acidodulcia nostra, tàm

ām cibi, quàm medicamenti loco ſint. Rapas laudat Crato, ſed emendatas ſemine carvi: panis ſit primarius. Bellaria, ructus horarij procul ſint; vices ſuppleat Tragema hoc. ℞ Seminis coriandri ſæpius in aceto macerati ac exiccati; niſi, feniculi, carnium cotoneorum exccatorum in umbra, ana ʒij. Corticum itri ſiccatorum ʒjs. Galangæ, Cariohyllorum, macis ana ℈j. Panis ſacchaati ʒiij. corollorum rubeorum, reſolurum, Margaritarum orientalium reſoutarum ana ℈j. Cornu cervi uſti præpaati ʒj. Omnia in tenuem pollinem reacta, cum ſacchari roſati tabulati ℥v. niſceantur pro Tragemate. Hoc enim atus diſcutit, nimiam ventriculi huniditatem exiccat, cohibet vomitum, & iquo modo nutrit, vires reſtaurat, hunidis ventriculis, & vomitum ſæpiùs atientibus adprimè utilis.

In potu ſit vinum meracum, hornū, iccante, ſeu gratæ adſtrictionis, quale ecarinum eſt. Vinum boraginatum udant autores.

Somnus nocturnus diurno præferaur; vigilia vitetur longior: moveatur orpus ſi poſſibile decenter.

Balnea maciei corporis ex aqua dulci prodessent, inprimis Therme Cellenses, quibus Illustris virgo aliàs cum fructu usa est: hæ enim emendant humiditatem ascititiam in ventriculo, eluunt infarctus hypochondrij, & visceribus addunt quoddam robur. Quorum usum cum etiam Medicus adstans probarit, meum non erit disuadere. Discrasiam ventriculi an acidulæ emendent, dubito, si copiosiori sumuntur potu, si pauciori firmabunt ventriculum, & cum Thermis Cellensibus multum operis facient: existimo tamen proximas hi thermis minus prodesse: si ex acidulis Petrinis, vel Griesbacensibus haber possent, plus emolumenti darent Medicamenta quæ ventriculo prodess possunt, erunt etiam hic syrupus. ℞ Syrupi de pomis odoriferis ℥ij. de cinnamomo, ℥j. spir. vitrioli guttas iij. Misce de quo cochleare unum hora una ant cibum. Si placeret vinum alteratum herbis, tale vel simile posset præscribi ℞ Radicis Cariophyllatæ ʒvj. Radici doronici, Enulæ campanæ, Zedoariæ a na ʒij. Ligni santalini citrini, & rubei a na ʒiij. Corticis Citri ℥s. Florum Bu glossæ

glossæ, Borraginis ana Pij. florum Tunicæ, violarum, Nympheæ ana pj. herbarum melissæ hortẽsis, acetosæ, ceterach ana pjs. foliorum absynthij Mj. sem. ocymi, citri ana ʒj. Incisa misce ad sacculum, pro mensuris duabus vini, de quo cyathus primus in mensa. Vel Conserva magna. ℞ Conservæ fl. Borraginis ℥js. violarum Tunicæ ã ℥j. Acetosellæ ℥js. Radicis scorzoneræ Hispanicæ conditæ ℥j. Radicis Zedoariæ in India conditæ ℥s. Nucis myristicæ Lusitanicæ conditæ ℥s. Pineorum decorticatorum, Phisticorum decorticatorum ã ʒiij. specierum diamargariton frigidi ʒjs. Aromatici Rosati incompleti ʒj. Tabularum de oleo cinnamomi ℥s. cum syrupo de pomis odoriferis q.s. F. Mixtura, de qua capiat in die semel, maximè mane, ab. ℥s. ad ʒvj. Confectionis Alkermes usus ad reficiendos spiritus optimus esset, ni moschus & Ambra prohiberentur ab utero. Quæ de Medicamentis parcè admodum cum omnem spem in Thermas acidulis junctas ponam. His saltim Illustri virgini, & Domino collegæ honorando gratificari volui.

SCHOLION.

Historia hæc non insolentis morbi faciem, exponit, sed comitatur priores, ob æmulam ipsis naturam. Licet enim Illustris nostræ ægræ corpus magis pituitosum fuerit, quàm priorũ, tamen & Symptomatum syndromes ac concursus Melancholię hypochondriacæ præstigia esse clarè edocent. In his enim morbis non semper verus humor melancholicus peccat, sed pituita, aut ex putridis, aut corruptis succis humorum quædam miscella, in venis mesaraicis sedem figit, Reinero Solenandro docente, sect. 2. Cons. 7. Ægræ nostræ Illustris, corpus à sanguineo habitu planè declinavit in pituitosum, & ejus ventriculus multo phlegmate à Cerebro sæpius repletus fuit, quare calor ejus, licèt ad siccum aliquo modo declinarit, non tamen eam siccitatem acquirere potuit, quæ ingenitum humorem ventriculi, quem famelicum Quercetanus vocitat, in acrem & qualitate causticum mutare potuisset. Quare chylus crassus, tenax, viscosus ac flatulẽtus in ventriculo hoc generatus, in hepate, in sanguinem minus e-

nus elaboratum, fibroſum, crudum, & à colore rubro in pallidum vergentem mutatus eſt. Undè etiam calida, utpote cum errore pugnantia minus obfuêre. Ventriculum porrò primariò hoc pati malum, eumq́ue morbo primò adfligi, non ſaltim Galeni autoritas, ſed etiam rationes ſuperioribus ſcholijs enarratæ me certum reddunt: quin certiſſimum hiſtoria ſequens diſſecti cujuſdam nobiliſſimi & ſtrenui viri cadaveris, quem ego, & excellẽtiſſimi alij Medici Auguſtani pro Melancholico hypochondriaco per menſes plurimos curavimus: cujus Excellentiſſimus Doctor Joachimus Faber Medicus Palatinus anatomiam ſic deſcripſit.

Diſſecto ſtrenui & nobiliſſimi octaviani à Taxis, cadavere diligenterque omnibus partibus perſpectis, nullum in ulla alia parte notabilem adfectum obſervavimus, quàm in ſolo ventriculo ejusq́ue inferiori orificio, & meſenterio: ille namq́ue à flatibus admodum diſtentus, valdeq́ue extenuatus exiſtebat, in cujus fundo atramento ſimilis copioſa, & maximè corrupta (ſicut fœtor denotabat) continebatur materia. Orificium

Hiſtoria.

De ſcirrhoſo pyloro vide Benivenium c. 36.

Anno 1616. in

Nosocomio Gallico Illustriss. Fuggerorũ, ex cuiusdã servi qui secabat lignorũ asseres, stomacho aliquot mẽsuras atri caustici humoris effusũ fuit post sectũ cadaver; hic ex philtro sũpto, post plurimos cruciatus mortuus est.

cium verò seu pilorus scirrhosus arctissimè constrictus, ut vix penna transire posset, una cum mesenterio toto scirrhoso & lapidoso quasi, in cujus venulis sanguis ater serosus videbatur: Hepar, lien, renes, intestina, vesica, pulmones, omni parte integri erant, præter quàm quod cor multa pinguedine obsitum fuit. Quæ Clarissimus & Excellentissimus Medicus autoptes annotavit. Strenuus & nobilis hic vir in Germania ex Italis parentibus natus, annos supra ætatem consistentem habuit plures, excidit numerus; raræ texturæ, picrocholus, crinib. subflavis; euchymis cibis usus, & facilis digestionis, maximè eis diebus quibus carnis esus concessus, reliquis ex farinaceis cibis comedit, cum piscibus commodè uti non posset; unde se Hispanorum more jejunium instituere jocatus sæpius: vinum bibit, bonum, vetus ac clarum; ingurgitationibus non favebat: avidè tamen comedebat, ac celeriter; more Italorum. Nec hoc ab ipsius ingenio erat alienum, quum celeres haberet animi motus, quibus & acta mentis, & cordis πάθη agitabat. Corpore agilis, unde etiam motus facilis, celer; inquie-

quietus. Non tamen ullam in exercendo corpori violentiam faciebat; quiescere tamen more gentis diu nequivit. Errata in victu fecit exigua, quantum mihi constat, & à nobilissimo ac strenuo relatum fuit, nisi quod conquestus de potu vappæ aut musti incertus, fuit, & suæ adflictionis causam pronunciavit. Hausit in convivio invitus, quod emptionis aut venditionis causa instituitur; siquidem firmari omnis contractus fama est compotatione. Ab illo tempore pondus in stomachi sensit fundo, ructus habuit fœtidos, flatus vagos, murmurantes in abdomine, dejectiones cineritias fœtidas, & sæpiùs diarrheas æmulantes, maximè primo anno; æstus quosdam sensit, sed eos non magnos in hypochondrijs. Appetentia non planè primo concedit; cibis vescebatur optimis & facilis digestionis, ferre nullum potuit in bibendo erratum. Distensiones hypochondrij sensit, & tristitiæ ac metus dedit signum; Periculum ex hoc malo certo sibi prædicens. Augustani Medici, ex quorum numero ego fui; item Clarissimus & Excellentissimus Dominus D. David Verbezius, & visitator no-

tor nostrarum Officinarum Medicamētorum, cl. & excell. Dominus D. Brendelius, quorum opera diversis temporibus usus, & quos variare pro suo, & morbi hujus ingenio, solitus fuit, pronunciarunt flatulentam hypochondriacam, & ei morbo auxiliares manus votis potius quàm persolatione adhibuêre. Negavi ego, morbum durius tractandum esse, ventriculo succurrendum, abstergentibus, eluentibus & evacuantibus fermentum hoc in vētriculo relictum, factum hoc pilulis aloëticis, syrupo rosato laxativo, quum facilis solutionis esset, idque diversis & vicibus & temporibus. Pilulas aloëticas menstruum volui esse auxilium. Alij & sua symbola contribuere, nullus ne nil ageret purgatione fatigavit ventriculum. Quod præmium utplurimum mutationē Medici qui juxta aphorismum agit, omnia
2.l.52.
secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est ad aliud transeūdum, dum manet quod à principio visum est; sequitur. Morbus longus est, & de quo oraculum Montani verissimum; Medicos nimirum, & Medicinas esse fugiendas, quæ incendium

dium ventriculo adferunt, ut loquitur Ferriolus; carminativis enim & calidissimis aromatibus exitio esse ægro, ut superioribus scholijs abundè dictum. Miserè siquidem cum eo agitur ægro, cujus ventriculus à medicamentis exiccatur, ne flatuum fiat hospitium; quod extenuatus nostri ægri ventriculus probè docuit. Deterrimè quoque, quum medicamenta fortia evacuantia ad saburram eluendam sæpiùs propinantur. Labor Augustanorum Medicorum erat, ut obstructiones mesenterij reserarent, ventriculi saburram levi medicamento abstergerent, & cruditatibus omnem viam intercluderent. Unde quidam vinum chalybeatum, quidam mecum alterata herbis brodia, cum pilulis interpositis, aut hieræ picræ, aut aloës rosatæ, exhibuit, adjunctis carminativis hepaticis. Interim cum mali hujus medela esset nulla perfecta, Brusellis consilium petijt, ex quo tabulas chalybeatas, & nescio quæ alia recepit; ex Mediolano & habuit remedia, Neoburgici enim defuêre suo officio, & nos dedimus. Impatiens æger hujus mali moræ diuturnioris, ab omnibus consilium petebat,

obtem-

obtemperabat omnibus, ſed ita ut miſceret omnium auxiliorum materias. Acidulis meo ſuaſu ante biennium uſus, haud deterius habuit, quamvis nec hujus levaminis perſeverantia; nec uſus ritus fuit. Inveterato malo, acceſſit taciturna melancholia, præter hominis ingenium, lancinationes, ſubverſiones, deliquia; cacotrophia, œdematoſi pedes, difficilis inceſſus, & appetitus caſus; ſumma omnium functionum imbecilitas, defluxio ad aurem dextram, brachium & femur; convulſiones ventriculi aliquales, tandem coma vigilans luctuoſam præcedebant multis horis mortem, ut ſcripſit Medicus ipſi morienti, tùm Neoburgi ad Danubium adſtans.

Hiſtoriam hanc adjeci ſcholij loco prioribus, ut expoliret ea quæ rudiora alioquin viſa fuiſſent, ventriculi enim & Meſenterij vitium & labem innoxio hepate & liene monſtrat. Scirrhum ex præpoſtera cura, & à calidioribus medicamentis fieri phlegmonem pauci dubitabunt. Id & in hypochondriaco malo fieri, ex quo & cacochymiæ proventus inſurgit, plurimi mecum fatebuntur.

buntur. Animus non eſt recoquere priora, æſtate ventres minus calidi ſunt, vereor ne & meus deſtituatur calore coquente. Tumor porrò lienis, de quo fallax vulgi opinio, nil aliud mihi quàm inteſtini coli à flatibus diſtentio in latere ſiniſtro videtur; quum calidis diſcutiatur. Attolluntur & muſculi hypochondrij ſpaſmodicè, quin & turgent à flatibus cum doloribus lancinantibus, quos ſplenis dolores vocant punctorios, inunctiones utplurimum calidæ diſcutiebant, & carminativa, ut Emplaſtrum de baccis lauri, & ſimilia. Lienem verò ita intumeſcere, & ob hęc medicamenta detumeſcere vix mihi perſuaderi patior. Non poteſt tangi lien niſi in extenuatis. Sed longior fui in his quàm volui; abrumpo.

CASUS IV.

SPASMUS ET MORS OB *Digitorum pedis gangrænam ex refrigeratione.*

IN nosocomium Augustanum, quod pijs publicis eleemosynis sustentatur, puer quidam annorum decem portatus fuit; qui in ferijs Natalitijs Servatoris stipem colligens, in manus lictoris infaustè incidit, quæ ipsum in carcerem rapuit, in quo iners lictor per noctem reliquit. Cum verò carcer solum à misero exitum arceret, & frigus per cancellos ferreos admitteret, digiti pedum ejus stupefacti gangrænam passi sunt, qua neglecta supervenit sphacel°. Chyrurgus itaque eos proximo die dum abscindere cogitat, spasmo tetano ea nocte superveniente impeditur: quo post aliquot horas jugulatur. Abscissionem fie digitorum, non mortem effugiens. Mortuus est 11. Januarij Anno M. DC. XXII. qui dies fuit decimus-quartus à refrigeratione.



CASVS V.

TETANVS PLVRIVM SE-ptimanarum sine noxa.

PUELLA septendecim annorum inter sordes & squalores educata, in ipsa paupertate nata, quotidianis laboribus fatigata, cui lacerna vestis, & servitus apud tenuioris fortunæ homũculos, ubi frigere & esurire licuit plus quàm satis; venit in Februario anni M. DC. XXV. (qui squalidior Januario erat, cum ventis borealibus multis) in nosocomium; huic totum corpus æqualiter tensum erat, rigebat spina, pedes extendebantur rigidi, difficilis brachiorum motus erat, quasi tota immobilis jacebat, cum dolore (qui in capite præcessit) membrorum, os nequivit diducere, musculi maxillæ retrò tendebantur, risus Sardonius, deglutitio difficilis, facies rubra, corpus non madidum; mens & loquela integra Tetanum indicavi. Hæc in nosocomium portata lectum non durum habuit, sed pro sua

conditione mollem, domicilium seu hypocaustum igne calefactum; Cibus erat liquidus, succus carnis elixatione elicitus, qui facilis deglutiendo est, & ad vires instaurandas valentissimus. Nucham, spinam dorsi, & coxas oleis inunximus liliorum alborum, lumbricorũ & de piperibus mistis: ut Aretæi præceptis insisterem, vitare conans omne fœtidum. Lib. 5. c. 6. Potionem calefacientem, distentiones nervorum laxantem ex decocto ligni Guajaci exhibui hoc modo; ℞ Ligni Guajaci tornati ℔j. Corticis ejusdem ℥ij. visci querni ʒvj. Aquæ fontanæ mensuras quatuor Augustanas, seu libras octo, coque ad casum medietatis. Colatura detur. Sumsit manè ℥vi sudavit optimè; eodem decocto in potu ordinario usa est, quotidie, ad mensem. Aretæus quidẽ prohibet sudorem ab æstu domicilij conciliatum, cum morbus hic ad syncopen declinet, & facilè fiat resolutio. At ex constipatione pororum cutis, qua excrementa plurima in cacochymico corpore retenta fuerunt, cum hoc malum originem sumpserit, reseratio pororum, & discussio humorum erat necessaria. Maximè cum talis

potio

otio] calefaciat, & corporis partes e-
olliat, quæ ex sudore madidæ, omnem
oxam evitarunt. Accessi ad hoc ma-
num medicamen non cunctanter, cum
vum mollem fecissem monitore Are-
eo cap. 6. lib. 5. Elegi decoctum ut ca-
facerem, & ut evacuarem: cum longè
ccellens frigus hujus vitij causa fuerit,
hyems qui ferax horum vitiorum est,
usam dederit, lib. 1. cap. 2. Nescit ferê
ostra ætas lachrymam laserpitij Cyre-
aici, quam Aretæus offert, quæ calidis-
ma est, tenuium partium ac proinde
uam maximè discutit, quare communi
ecocto discutiente uti volui, quo cum
tiam corpus calefeci. Prospicere tamen
lacuit, & Cerebro arci sensuum, & ner-
orum patrono, his aquis. ℞ Aquę stil.
quammariæ, Peoniæ, Tiliæ, Liliorum
onvallium ana ℥j. Epilepticæ Langij
js, Hirundinum, Picarum ana ℥j. The-
acæ Andromachi veteris ʒjs. Tab. Ma-
us Christi perlatæ ʒvi. Misce, sumpsit
anc aquam, à qua ob Theriacam ma-
or. Cum jam deglutiret aliquo modo
eliùs, sic eam purgavi: ℞ Brodij laxati-
i çybebarum ℥js. Extracti Cnicophar-
naci ℈iiij. Aquæ Cardui benedicti q.s.

fiat potio. Sudore per octiduum promoto, artus & membra flexibilio-ra facta sunt; post mensem omnia con-sueta opera faciebat. Caput roboratum erat Tabulis. ℞ specierum Diambræ ʒ. Pulv. Marchionis ʒij. facch. albi dissoluti cum aqua stillatitia Cerasorum nigrorum q. s. Fiant Rotulæ. Sana facta valedixit nobis. Hocque est illud quod Divinus Senex habet; quicunque tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt; sin hos effugerint, sani fiunt. 5. Aph. 6. Aretæus 1. c. 6. Mulieres magis quàm viros nervorum distentione tentari, verùm ipsas frequentiùs liberari, quia sunt humidæ.

Historia alia. Fuit præteritis annis coqua in Nosocomio, quæ sana noctu lectum ingressa manè surrexit occluso ore à spasmo; adeò enim maxillæ superiori annexa inferior fuit, ut nec à specillo chirurgi deduci potuerit. Trismus dicitur, huic vena in pede secta fuit, suadet id Aretæus, & antihysterica infusa, convaluit tertio.

SCH

SCHOLION.

TRes convulſionis ſpecies numerat *Specierum convulſionum numerus.*
Medica Schola: Corpus enim con-
hitur, aut antrorſum in Emproſtho-
no; aut retrorſum in opiſthotono, aut
qualiter in tetano. His duobus ægris
anus moleſtus,& primo infeſtus erat.
aſmus ab attrahendo nomen mutua *Quid?*
Galeno teſte;cum muſculorum con-
ctio fiat in omni ſpaſmo , verſus ſua
ncipia, at præter voluntatem cap 8. de
emore & palpit. &c. & 3. locorum
ff. cap. 6. Unde 2. de cauſis ſymptom.
opus morbi vocatur. Trahuntur au-
n muſculi verſus ſua principia, vel o-
nes ſimul cum intellectus, & ſenſus
olitione, in Epilepſia; vel illi qui infra
put ſunt, aut ſaltim unius membri, aut
tius corporis, ſalvâ mente; & fiunt
es illæ ſpecies modò enarratæ. Cum
que convulſio omnis vitium ſit in de-
avato motu, organon illud, quod mo-
i deſtinatum eſt, patietur adfectum.
ilepſia tùm eſt, cum ea pars adficitur,
æ omnium nervorum quaſi caudex,
u principium & origo eſt, qualis Me-
lla ſpinalis in cranio habetur; Hæc

primariò lacessitur, adficitur; & patitu noxum, organa cętera motus sympathi quadam concurrunt & adficiuntur. Si in alijs convulsionibus, in quibus men haud læsa, illud nervorum principiur vim patitur, quod menti non subservit à quo tamen quasi omnes alij motor nervi dependent, quod est spinalis me dulla extra calvariam, ut doctè disputa Galenus 3. locorum Adfect. 6. Arguti sima hæc Galeni placita, multis dedêr ansam subtiliùs de hoc adfectu disputa di. Maximè animati Adverrhois sen tentia, qui Medicorum prolata de con vulsione fabulis cantantium, aut verb musicorum proxima pronunciavit. D loco adfecto magna adhuc est disputa tio. Galenus 3. locorum Adfect. 6. pa ralysin & spasmum pertinere ad id ner vorum genus, quod voluntatis imperi obedit, evicit. In libro de Tremore ca 8. ansam eis dedit qui musculos pro pro topathiæ subjecto ponunt. Musculu enim in sanis æquè ac in convulsis trahi tur versus suum principium, at in his in vitè, & præter naturam, in illis cum vo luntate, proæresi & secundum naturam Constat musculus partibus diversis, ut po

Subiectũ convulsionis quale.

Partes musculũ constituentes.

pote Organon magni effectus; carne, tendine, membrana, fibris, venis, arterijs, nervis. Ex quibus aliqua erit pars similaris, quæ primarium dici instrumentum motus merebitur. Venæ & Arterię vasa facultatis naturalis, & vitalis sunt dispensatricia, quare partibus communia omnibus, quibus hæ facultates sunt necessariæ: 1. Locorum Adf. 7. Nervi videntur propria magis motus instrumēta, cum absque his motus fiat nullus, & nervo abscisso, musculo in quem inseritur negatur motus: at cū multi sint nervi, qui ingrediuntur partes, quibus motus non est, nec nervus erit pars illa similaris, cui uni & soli motus possit adscribi. Delatoris facultatis animalis obit ille munus, & via ejus est. Ut Galenus in 2. libro de Placitis Hippoc. & Platonis fusiùs edocet. Membranam quis involucrum vel viscerum, vel carnis, aut aliarum partium esse nescit? Ligamenta ossibus sunt, & eis quibus motus nullus. Sequitur ergo ut caro musculosa, qualis in partibus alijs observatur nulla, primarium sit organon motus voluntarij. Et sic putant illos pro Galeno stetisse; & musculi carnem primarium motus vo-

luntarij instrumentum esse, demonstrasse; in hanc convulsionem cadere;
„ cum dicat idem; Si passio aliqua suboritur,
„ tur, quæ in tensionem musculos adducit,
„ cit, hunc sequitur motus quidem similis
„ naturali, involuntarius tamen, quæ passio dicitur convulsio. Quæ opinio non sine difficultatibus censetur. Musculus quidem ratione suæ carnis motus instrumentum est, sed non movet, at movetur. Cum verò convulsio musculorum omnium in Epilepsia fiat, certè aliquid erit aliud pro primario subjecto quærendum, cujus gratia musculi attrahuntur versus sua principia; quale est, genus nervosum, quum ad unum connexum nervi omnes tendant. Sano quin musculo accidit convulsio, id est, nec phlegmonem, nec ulcus, nec vulnus, aut aliud noxium in se habens. Nervus è contra si læditur punctim, convulsio oritur. Convulsio porrò paralysi superveniens eam solvit, at hæc adfectio nervorum est. Quare Nervi non musculi patiuntur hunc morbum. Et hujus opinionis fautores Galenum pro se stare credunt, animati illa pronunciatione, qua Nervosi generis adfectum dicit 3. loc. adf. 6.

Mea

Mea quidem ea mens est, omnes actiones fieri communibus viribus totius organi, quod in istis actionibus clarissimum, quæ ad unum opus pluribus utuntur partibus, seu instrumentis. Respiratio nobis erit exemplo; hæc non à solo pulmone, nec à solo diaphragmate, aut musculis intercostalibus, nec à corde pulsitante, nec à sola liberè descendente facultate animali per nervos fit; sed necessariò hæc omnia simul ad opus concurrunt. Sic motum animalem non solus perficit musculus, nec ejus tendo attractus, nisi simul virtus ab animali in cerebro habitante facultate per nervos descendat, & agat liberè. Ut enim nervus absq; musculo non movet, nec sine membrana sentit, ita nec musculus sine nervo movebitur. Amborum itaque Actio est, cum ambo sejuncta agant nihil, conjuncta multa. In symmetria igitur horum corporum Actio decens, recta, naturalis; in ametria, indecens, mala & præter naturam. Musculi itaque gaudentes nervis sani, & in statu bono moventur secundum naturam, & cum proæresi; in vitioso & morbido statu, involuntariè, & præter natu-

ram. Vitiosus talis status Seni nostro Divino 6. Aphoris. 39. Repletio, vel inanitio dicitur: quasi diceret, Noxium aliquod est, quod nervoso generi infestum, quod aut corpore aut qualitate maligna eò fertur, & vim ei facit. Verba sequentia de singultu docent id. Singultus siquidem fit, cum ventriculi orificium lacessitur à quadam noxa, unde expultrix ejus excitatur, ut insurgat ad excutiendum quod nocet; illud aut suo corpore ventriculo adhæret, aut in ejus capacitate natat; hoc ablegata quadam inimica seu funesta qualitate, aut aura orificium ventriculi lacessit; illud acrimonia rodit & vellicat. Eodem modo in spasmo expultrix nervosi generis à noxio lacessita insurgit ut expellat, aut corporeum, & potest dici repletio, aut qualitatem malignam, & inanitio vocari. Si enim actio expultricis ad singultum faciendum requiritur, ea ab inani excitabitur nunquam, quum natura non tentet expellere absens, sed præsens, & quod lædit & stimulat, ac est, non quod non est, nec molestum est. Locum igitur Inanitioni vix dare possum in singultu & spasmo. Ut enim con-

Causa cõvulsionis.

Singultus ut fiat.

convulſio Univerſalis agnoſcit irritationem illam præter naturam qua principij nervorum intra cranium expultrix excitatur, ut inſurgat ad eijciendum quod eſt noxium; etiam reliquę convulſiones, quæ infra caput fiunt, & in quibus ſenſus ſunt integri, ſive ſint unius partis ſeu plurium, fient ob irritatum illud principium nervorum contra naturam, quod eſt infra caput, & in ſpina dorſi de ſe propagines nervorum mittit, ob quam irritationem morboſam, ejus inſurgit expultrix, ut excutiat noxium. Sic Galenus lib. 3. l. Adfectorum cap. 7. Cerebro ſimilem aliquem motum evenire in convulſione, qualis ſtomacho interdum à re quapiam moleſtato accidere ſolet, quippe qui cum à ciborum mole gravatur, aut ubi à corruptis cibis mordicus infeſtatur, tùm ſingultu adfici conſpicitur: atque acrem quoque humorem non ſingultum modò, verùm etiam convulſionem, per univerſum corpus ſæpenumerò efficere conſideramus: deinde vomitu ejecto eo, quod mordicabat, ilico quieſcere. Quo minus mirandum eſt, SI NERVORUM PRINCIPIUM HUIUSCEMODI MOTU CON-

„ tu Concutitur, Ut a Se Expellat,
„ Quicquid Fuerit Id Quod a Parte
„ Prima ad Ipsum Effertur. His sic pronunciatis, non contentus hæc de Symptomatica convulsione efferre, reliquas sequentibus verbis omnes sub hoc prolato conclusit, dum scribit; Ad Hunc Modum Reliqua Quoque Accidentia Omnia Quibus Nervosum Genus Concutitur fieri putaverim. Si itaque musculi contrahuntur vitiosè & morbosè, concutitur id principium nervorum, quod istis contractis musculis nervos subministrat, ut capite 6. lib. 3. loc.adf. argutissimus Pergamenus docet: ut si universum corpus convellatur: communem originem omnium infra faciem nervorum, quæ arboris caudici proportione respondet adfectum esse putemus; quæ sunt primæ spinalis medullæ partes, & dorsi medulla vocatur. Hoc principium si læditur, aut ei læsio communicatur, insurgit ut excutiat noxium, vi expultrice, quæ stimulum sensit præter naturalem. In qua expulsione non contrahitur nervus; nam contractio nervi non est Convulsio, quę motus p.n. ejus partis dicitur, quæ in-

volun-

voluntario motu ſecundum naturam contrahitur, teſte Galeno 3. loc. adf. 6. & 8. de Tremore. Nervi prætereà corpus contrahi non eſt aptum, ob exilem tenuitatem, qua corpora craſſa ſecum non raperet, & attraheret, & ſenſum eximium ex quo dolor magnus etiam in ſanis fieret. Quid porrò expultrix per nervos in muſculos eijciat, quod eos cõtrahat, fortè quæres? Non noxiam qualitatem, à me audies, non nervi phlegmonem, aut ejus materiã corruptam, non puncturam; ſed ſpiritus animales protrudi ab origine qua nervi oriuntur, qui contractis muſculis inſerti ſunt. Hi autem ſpiritus non progreſſi quadam, aut voluntatis imperio in muſculos deſcendunt, ſed violenter & præter naturam. Cum enim Naturalis facultas expellens principij nervorum, conatur expellere noxium, etiam anima ſenſibilis facultatis, in ſubſidium vocatur, quæ hoſtem ſentiens, ſuum exercitum, ſpiritus animales, obviam mittit, quorum per canales proprios, nervos ſcilicet, deſcenſus in muſculos eſt, qui naturaliter eo devenientes ritè movent, & decenter agunt; tumultuoſos verò & per-

turba-

turbatos motus si præter naturam violenter veniunt; ut fusiùs superiori decade probabiliter satis disserui. At audio jam alias mihi difficultates moveri. Si expultrix principij facultas eorum nervorum, quorum musculi convelluntur, est causa spasmi, cur non ut Epilepticorum motus citò & desinunt & fiunt? His respondeo duo hîc esse perpendenda. Primum, Motum Cerebri, quo medulla dorsi caret: Cerebrum enim contrahit & dilatat se, & hoc modo ablegat, & revocat spiritus animales, ut cor. Deinde spasmum semper fieri, si nervoso generi aut morbus aut noxium adhęret, undè malum illius propaginis nervosæ principio, quæ læsa est, continuè communicatur, quòd in Epilepsia non fit. Exemplum erit febris; cujus materia seu focus si in venis magnis cavæ, & arterijs magnis hæret, continuè adfligitur cor, & fit continua; si verò in mesaraicis, intermissiones habet, & fit intermittens. Sic Epilepsiam illam diuturniorem observamus, cujus causa cerebro proxima est; aut incipit à corporis nervosi cerebro viciniori noxa. Humor porrò lædens nervum propriè illum non replet, & hu-

& humectat, ut inhabilem reddat, ut in paralysi; sed extra ejus corpus hæret, ejus sensibilitatem stimulat ac involucrum lacessat. Non igitur meretur obstructio dici, sed molestia solvens quodammodo ejus continuum, qua solutione percepta ab expultrice naturali, sensitiva anima, quæ etiam lacessitur, suos subministrat spiritus, qui ab expultrice naturali confusè in musculos pelluntur, in quibus ipsi cum aliud opus edocti non sint quàm movere, movent perperam, & præter naturam. Fit igitur & hic motus à Morbo, nec mixtus est facultatis & morbi, quum actio hæc involuntariè fiat, sine proæresi. Errore Animæ sensitivæ fit motus, ob depravatam actionem lacessitæ expultricis. Regimen siquidem deposuit anima, quod illi est supra spiritus, & naturalis expellens opus alienum aggreditur, idq; depravatè. Per Inanitionem quid intelligam superiùs puto explicasse me. Dubito an vera inanitio habeat locũ hîc.

Inanitio vera cur locum vix reperiat?

Primò, quia teste Galeno, 3. loc. Adf. 7. nec cerebrum nec tenuior ipsius mẽbrana ad tantam ariditatem pervenire potest, ut videatur pati simile aliquid corio,

corio, nisi multo id fiat tempore. Sic nec nervi tàm citò exarescent, qui sunt pars cerebri, spinalis medullæ, & earum membranarum. Deinde, vita nostra in calido & humido posita est, quæ ariditatem instar Corij aut chordarum excludit. Sic nec hecticorum musculos, nec senum videmus convelli. Nam quod respõdent has siccitates fieri paulatim, & in senibus naturalem esse ætati; Sciant illi, simile illud de chordis & ligulis claudicare, cum illæ & subitò & paulatim exiccatæ cõtrahantur. Præterea ob siccitatem nervorum musculos contrahi, & ita convulsionem fieri, videtur à mente Galeni alienum, qui ait musculos versus sua trahi principia 3. Loc. Adf. 6. & 8. de Trem. non nervos. Cum similis motus sit sanorum & convulsorum, solumque in hoc differat, quòd hic vi morbi fiat, ille proæresi. At in sanis musculi non attrahuntur à nervis contractis, vel quia nervus versus suum principium trahitur, sed quia nervus, ut canalis per quem fertur spiritus animalis, liber ab omni malo inseritur musculo, & per eum vis movendi ab anima communicatur. Certè hæc mihi

ideò obſcuriora cenſentur, quia nos latet, quomodo vis animæ ſenſitivæ, & motivæ ad muſculos deſcendat, ut videmus moveri in arterijs ſanguinem arteriosum à corde.

Noxij idea, qua infeſtatur nervoſum genus, puto eſſe aliquid quod inimicitias juravit proprietate quadam nervoſo generi, eorumque principio, ac quicquid nervis cognatum ſeu propinquum videtur. Hoc noxium per nervos non ulterius communicatur, niſi proximæ inſertioni medullæ ſpinalis, per continuitatem ſcilicet, ita ut ſuperiora vel parum vel nihil perficiant, inferiora depravatè ad opus agendum inſurgant. *Idea noxij.*

Si cauſa magna eſt, etiam cerebrum conſentit; ſi parva, ſolus nervus laceſſitur, & pars, in quam inſeritur, convellitur. Hæret hoc aut in humore ſeroſo, bilioſo, pituitoſo, atrabilario, corrupto, putrido, degenerante ad qualitatem inimicam generi nervoſo. Unde febribus longis ſupervenit, phrenitidi, cauſo, tranſmutato humore de loco ſeu foco morbi ad nervorum exortus, ubi lancinat & convulſiones concitat: aut in qualitate aliqua, cujus corpus inviſibile

vel tenuissimum erit, lacessente ortum propaginum nervorum. Dolor verò ideò in convulsione est, quia cerebrum integras habet actiones, & materia infestans ad membranas nervorum hæret, lancinando ac infestando eas.

Doloris causa.

Magno nostro Stupano, me à Galeno in repletionis mentione non discessisse persuadere vellem; in inanitione ab ipso mihi satis non fieri, cum contractus tendo aut musculus, ab exiccatione non convulsus sit, quum non respondeat motui secundum naturam, sed sit immobilitas quædam partis, ab intemperie ejus, ob quam inhabile est ad extendendum; atrophia enim laborat musculus, & tendo ejus, at de inanitione nervorum vocula loquitur, non de atrophia musculi. Spiritus deniq; nego moveri ordine quodam ab anima, sed profundi & confundi. Nec opus esse ut semper à principio defluant, cum spiritus nervosis corporibus semper insit, si Platero credimus. Sed nolo superius dicta recoquere. Si quæ de Convulsione à me tumultuosius dicta sunt, adscribatis id ipsi morbo, qui confundit, perturbat, ac profundit spiritus, unde ra-

tioni

tioni ea vis non eſt quæ eſſe debuiſſet.

Amborum ægrorum vitium cum Aretæo ſi dixero frigus excellens fuiſſe cauſam, quum ambobus hyems dederit; tamen puellæ frigus recrementa multa retinuit conſtipatione in corpore, quæ nervis ex frigore debilitatis injuriam fecêre, qui à ſuo principio auxilium poſtularunt, & errore convulſionem cauſarunt. At in puero in propedij nervoſis corporibus ſphacelus latitabat, à quo malignitas per continuatas partes nervoſas principio nervorum fuit communicata, quæ continuè laceſſendo, nervoſa, & maligna ſua vi diſſipando ſpiritus animales mortem cauſavit; Malignitatem autem in ſphaceloſa parte eſſe ipſum virus quod exudat, quod vim vitali robori infert, demonſtrat.

In puella apparatus pravorũ humorum convulſionis primaria cauſa, frigus ſine qua non. Et cerebro cõmunicata, cũ & faciei muſculi convulſio videbatur, quod certũ ſignum 3. loc. adf. c.6. Gal. ponit.



CASVS VI.

SPASMVS ET MORS EX *Fracta tibia ex ictu Sclopeti.*

IN Nosocomium AUGUSTANUM, quod publicis pijs Eleemosynis sustentatur, undecimo Februarij Anni M. DC. XVII, quidam ex rure homo, ad quotidianas viles servitutes natus, venit cum vulnere tibiæ, ex contusione, quam madefactæ & conquassatæ petiæ panni, inglobumque formatæ ex sedo peto projectæ dederunt. Spectatorem enim egit militum personatorum, qui in eo vico hebræos bibali munere, in festo quod solemne, veteri errore, Baccho faciunt, solent emungere; ibi petulans quidam malitiosè ad ejus collimavit pedem, ictuque non aberravit.

Os itaque majus tibiæ, & fibula una cum tendinibus vasisque eo ictu contusa fuerunt. Cutis, pedis quæ ad latera integra, retinebat, ne omnia deciderent. Misero huic ex rure in Nosocomium Augustanum tempore portato gelido super-

ſupervenit ſpaſmus ſeptima, ille qui opiſtotonos dictus, octava cum totus æqualiter rigeret in tetanum mutatus eſt mente integra, nona expiravit.

SCHOLION.

HOC illud eſt, quod Divinus noſter ſenex 5. aph. 2. pronunciat; Convulſio in vulnere ſuperveniens lethalis. Cui ſubſcribit Avicenna, dum omnem ſpaſmum vulnus ſequacem lethalem pronunciat, teſte Mariano in Quidditativo. Galenus in commento ad Aphoriſmum hunc, non neceſſariò hoc fieri, & mortem crebrò, non ſemper adferre.

Et ſanè Anno M.DC.XXIV. quidam ex famulitio murario, jam ſenex, de ſcala decidit, ex contignatione prima, ſupra brachium, quod ita contudit, ut vulnus maximum ad articulum cubiti contuſum & dilaceratum conſpiceretur, ex quo viroſus ichor prodijt, ſerum articulorum vocant, huic Triſmos ſupervenit, quum ejus mandibula aperiri, niſi cum maximo dolore, & quidem non patulè, quiverit, ita ut ſolis humidis juſculis fuerit refectus. Huic chirurgi vulnus *Historia.* *Glidwaſſer.*

dilatarunt, ſiccantibus, & fomentis calidis tractarunt. Nuchæ ego proſpexi oleo, & Cerebro cephalicis. Curatus fuit. Sed hic Triſmos duravit duas ſeptimanas circiter. Et hoc eſt illud, quod idem D. Senex ſcribit 5. Aph. 6. Si quis quartum effugerit diem in tetano, ſanus fiet. Vulneri porrò cur ſuperveniat ſpaſmus, Fiſcherus & Valeſius in 2. aph. lib. 5. explicatione cauſas ponunt duas. Prima, eſt pars adfecta ſeu vulnerata, ut ſunt caput muſculi, aut ejus finis qui tendo dicitur, quales ſunt inſignes circa juncturas; Nervi item. Altera eſt ipſe adfectus, qui conſideratur ratione formę, vel accidentis. Forma eſt, punctura, contuſio, uſtio. Accidens eſt, quod vulneri accidit, dum aut recipit quod recipere non deberet, vel retinet quod expurgandum eſſet. Quod fit quando vel anguſtius eſt foramen, ut ichor ex eo effluere nequeat, aut ſanies retineatur, vel in qualitatem aliquam acrem noxiámve, quam venenatam Tagaultius vocat, degenerat. Et hoc in ſene convulſo factum. Illud rurſus duplici modo accidit: Primò ſi vulnus per ſe aliquid recipit, aut ab extra ut pharmacum acre, aut acutum inſtru-

men-

mentum pungens, quod propter ſenſus excellentiam, & quia principi parti cohærent nervi, convulſiones cauſat, Galenus de Arte Medicinali cap. 92. vel frigidum Aërem 5. aph. 17. aut internè, ut humor adfluens cauſans inflammationem, Galenus in Comment. ad 2. aph. lib. 5. Phlegmone autem incidens in nervos calore, & acrimonia convulſiones cauſat. Secundò, quando vulnus quidem recipit aliquid noxij, quod tamen non retinet, ſed id communicat, nervis nervoſiſque partibus, aut in ſubſtantia, ut in metatheſi humorum, quæ poſtea id ad ſuum ablegant principium, ut patet ex 65. aph. lib. 5. Aut vapore ſeu qualitate maligna, quam nervi læſi ſuo communicant principio, quod excutit noxium.

Sic enim Galenus hunc aphoriſmum interpretatur, quod vel inflammatio magna, vel malignitas à parte ulcerata ad principalem ſe conferat, ac has convulſiones cauſet. Melius enim eſt in vulneribus magnis, in quibus dolor eſt, humores adparêre, quàm deliteſcere 66. aph. 5. Non itaq; Aphoriſmum hunc 2. lib. 5. de vacuatione, quæ ex hæmor-

rhagia provenit, intelligo, ut & Fische-
rus & Valesius doctissimè monent; quã-
vis illam non negligendam putem, quũ
ea nimia fuget spiritus vitales, quos re-
sarcire animalis vis suis conatur, quos si
perdit nimium profundendo; convul-
siones fiunt, teste Hipp. lib. 1. prædict.
aph. 121. Nostri ægri vulnus ingens
fuit, cum contusione ossium, dilacera-
tione nervosarum partium, sine tumo-
re, non tamen dolore, in corpore caco-
chymico. At sclopetorum vulnera eò
periculosiora habentur, quæ in corpore
cacochymico & pravorum succorum
repleto fiunt, teste Francisco Peccetio
lib. 2. cap. 81. Mortuus verò tertia est
die à convulsionis principio, quia qui-
cunque tetano corripiuntur, in quatuor
diebus pereunt, 5. Aph. 6. & 2. lib. prœno-
tionum: Coacarum 355. Ex vulnere con-
vulsio lethalis. Cum itaq; pravis succis
æger hic abundarit, & ex rure, frigido
aëre, tempestate hyemis, in urbem por-
tatus sit, haud mirum si maligna mate-
ria generata sit, & in pede coërcita, quæ
vim similem, ut noxam inferat, ad prin-
cipium nervorum pedis ablegavit. In
vulnere quidem tumor nullibi conspi-
cuus

cuus erat. Chirurgus dabat de potu traumatico, & clàm ei datum fuit vinum, ideoque ego suspicabar, nectar hoc fuisse ei toxicum. Spectaculum erat miserabile, dentes hærebant sibi invicem fixi, nec vi, nec instrumento os potuit reserari, collum erat æqualiter tensum, & caput nonnihil vergebat ad posteriora, tandem corpus totum æqualiter rigebat. Introitus negabatur liquidis, quamvis ille cibum potumque avidè exoptabat. Nucham, spinam dorsi inungebant oleis lenientibus, nervinis & leviter discutientibus, at incassum.



CASUS VII.

SPHACELUS ET MORS A *pedis fractura imprudenter arctiùs ligata.*

IUVENIS quidam Annorum viginti, zythepsæ ab operibus artis, equum in præterfluente hospitis dum abluere vult, nescio quo fato sinistro cum equo eques cadit, & crus supra talum frangit. Chirurgi dum ossa collisa adaptāt, stringunt & colligant arctiùs fortiùs, imò

imperitiùs. Gangræna itaque (quia deligare recuſarunt, antè ſibi imaginatum terminum) totum pedem occupavit. Senioribus chirurgis, quos juratos dicunt, dum horum error monſtratur, illi crudelius parant remedium, nimirum mortuæ partis à viva ſeparationem. Noctu vocatus pulſum debiliſſimũ, & quaſi vermiculantem, ſudorem frigidum & ſyncopaticum ſpiritum ſublimem, fœtorem tibiæ ſummum reperi; itaque partem læſam inſpicere volui, quam emortuam, fœtore putidam, nigram & ſphacelatam inveni: itaque mortem adſtantibus prædixi, ac diſſuaſi ex his indicijs ſectionem, cum in deſperatis Inſtrumentorum medicorum crudelior operatio diffamanda non ſit. Mortuus eſt hora undecima ab illa qua hæc prædixi, cum multa & magna ſyncope: quinto die à caſu, & funeſta inchoata cura. Factum 4. Maij 1621.

SCHO-

SCHOLION.

Vita nostra, quæ in humido & calido consistit, concideret facilè in partibus corporis, ni ab arce vitę, quædam vis vigorque perpetuò appelleret. Pars quæ hac influente virtute privatur, destituitur calore naturalis, orbatur sensu, pdit motum, fit nigra, amittit vitam, putrescit, ac tetrum de se fœtorem emittit, effluitque quoddam virus, quo cutis caroque imbuta, mollior redditur, fitque frigidissima ac tota cadaverosa. Et hæc est Gangræna perfectissima, quæ sphacelus dicitur. Gangræna enim incipiens indolens non est, siquidem dolor, æstus vehemens inflammatio partis, sine fœtore, cum cutis rubore primordium est Gangrænæ. Vitalis vis, quæ in conservatione caloris nativi, & radicalis humidi consistit, aut vitiatur, vel ab alieno calore violento, & vehementi manifestè agente, qui eum dissipat & consumit; vel à frigore tali, quod eum suffocat, & à naturali temperamento abducit; vel ab humido copioso, in quo quasi calor interit nativus; vel à qualitate quadam occulta, quæ inimicitias quasdam struit parti,

Gangrænæ pictura.

Causa.

parti, ita ut calor in ea aut pereat, aut dissipetur, aut consumatur, prout illa Qualitas venefica operatur: aut impeditur ne cum suo spiritu, & alimonia ad partem fluat, calorem ejus reficiat, & excitet, quod vel interna obstruens vasa deferentia parturit, vel externa, qualis esse potest vel ligatio vel adstrictio nimia, incongrua & violenta. Posterior hæc causa misero nostro ægro, & sphacelum & necem dedit. Fractus pes fuit paululum supra articulum inferiorem tibiæ, latitudine palmæ unius à talo; Pes monstratus ater fuit, & supra genu, fœtebat maximè, erat initium diei quinti. Vitium præposteræ & arctioris ligaturæ dixi, qua facultate vitali, & spiritu pes privatus fuit. Arctiora enim vincula duplici de causa nocere possunt. Primò, quia eis majori, quàm par, copia, sanguis reliquiq; humores ad locum adfectum attrahuntur; Secundò, quia vasa constricta denegant parti influens nectar. Vinculum siquidem instrumentum est, & attrahens & impediens, Moderatum, auxilium; immoderatum, nex. Sic defensiva intempestiviùs, ineptiùs, arctiùs adposita offensiva fiunt. Sanè in cura fracto-

Ligationis arctioris noxa.

Vinculum quale instrumentum.

fractorum, non sufficit ossa fracta apicibus jungere, sive trahendo, sive trudendo id fiat; sed etiam membrum in decenti figura conservare, quod involutione apta per fascias fit. Firmare igitur fasciæ membrum debent, non vehementer comprimere, nec dolorem causare; cum omnis dolor perseverans causet inflammationes, teste Peccetio: nec adstrictione partem alienare, unde gangræna oritur, Celso monitore 8. lib. 10. cap. Ægro nostro, qui in manus imperitorum ac crudelium barbitonsorum incidit, adstrictio arctior, abalienavit pedis intemperiem, & gangrænam, tandemque sphacelum causavit; arctiori illi imperiti, & sibi invicem ob artem invidi, pedem equuleo quasi distractũ, vinculo compresserunt, nec de dolore conquerenti ægro aures præbuêre, recusavêreque religare fascias; ignari illius decreti primis diebus magis esse de arcendis inflammationibus cogitandum, quàm de fracto stabiliendo. At Germania nostra, proh dolor, alit solos Empiricos, qui negligunt symptomata, & cum rustico Hildani tardam solutionem urgent fracti membri. At quę symptoma-

promata talem sequantur adstrictio-
nem, describit idem 2. lib. Obs. 91. Ar-
ctissima hæc ligatura, emplastro attra-
hente calido adjuta, intra paucos dies
fœdissimum sphacelum causavit, &
quinto necem. Deplorandum sanè est
miserum hunc in tales harpyias, & lar-
vas chirurgorum incidisse. Nuper in
fractura digiti manus sinistræ medij, ar-
ctiùs stringendo vinculum alia chirurgi
larva, inflammationem causavit, quam
gangræna excepit inchoans ab articulo;
quæ à chirurgo Nosocomij nostri sopi-
ta, & gangræna profligata fuit, non ta-
men sine tendinum abscessu, quia putre-
do jam in articulo fuit: Negavit prior o-
pem, suam fassus inscitiam. Digni chi-
rurgi, qui ad pediculos abigendos saltim
conducantur. Negavi denique ideò ab-
scissionem pedis, cum sphacelus jam
medium femoris occuparet, & ad talum
usque totus pes emortuus esset. Constat
verò femur humidis & carnosis parti-
bus, unde serpenti sphacelo in eo am-
plus campus, quem abscissione non oc-
cludemus. Deinde, sudor frigidus to-
tius corporis, debilitatis caloris nativi
infallibile signum erat. Tertiò, Pulsus
debi-

Historia. 1623.

debilis, obſcurus, vermiculans, lipothomiæ multæ & ſyncopæ fortiores, imminentis mortis preſagia, prohibuerunt abſciſſionem partis emortuæ. Piè igitur ac verè medicè hanc crudelem adminiſtrationem denegavi, & de hora potiùs mortis placida monui eſſe Deum interpellandum. Malignitatis hujus accretio celer, vitã ſubitò decreſcere fecit.

Fregit eo tempore alius plethoricus, cui vinum ſanguinem æſtuare fecit, brachium, paucis interijt is diebus à continua febre. Temperare mihi vix poſſum, quin vinculum arctius anſam dediſſe pronunciem febri. Quam cum continuam Medicus videret ſudoriferis accenſum & inflammatum ſanguinem exagitavit, cum plethorico corpori debuiſſet demere. Quare Epileptici inſultus eum ſuſtulerunt. Sacra ô ſuperſtitio, quæ negat cõtinuis febribus phlebotomiam, alexipharmacis calidis eam exagitat, & ſudore corpora madere vult. Sufficiant hęc malignæ, non omnis cauſos maligna eſt, q̄vis his temporibus utplurimũ fuerit. Hiſtoriâ quartâ à frigore, ut gãgræna proceſſerit dedi, hac ut ab impedimẽto, ſequentibus hiſtorijs alias cauſas recenſebo.

Hiſtoria.

Vagabantur tum continuæ malignæ.

CA-



CASUS VIII.

GANGRÆNÆ HISTORIÆ aliquot.

AULICUS Sereniſſimi Archiducis Maximiliani Auſtriaci, texturæ raræ, frequentioribus deſtillationibus obnoxius, ſæpiùs pleuritidem paſſus, à qua ſemel mea vindicatus opera, conjugem habuit admodum juvenculam, unde illi opera incumbebat nocturna ſedula, incidit in morbum poſt annuam venæ ſectionem; Tuſſis multa, humida, vomitus cibi crudi, ſtomachi inflatio, atrophia corporis, ad hecticam. Morbus erat complicatus, ob atoniam viſcerum naturalium & pulmonis, ac longus, variavit itaque Medicos non ſtatim juvantes; at ſuo detrimento. Fortis enim purgatio, & largior ſanguinis ex vena ſecta fluxus, totam œconomiam naturalem peſſumdedit. Pedes tumidi, & inflati, maximè ſiniſter; expuitio purulenta, thorax & brachia conſumpta; abdomen tamen naturale manſit. Cum jam mors eum quaſi præ foribus præſtola-

ſtolaretur, rurſus vocatus, luridis, ſubatris maculis corpus hinc inde conſperſum latioribus vidi, quæ tandem nigræ factæ. Fontanella in brachio nigra, ſicca, & quaſi emortua. Necroſin ego has maculas in extremis partibus pronunciavi, quum alimoniam & ſpiritum vitæ non ſubminiſtrarent congruè viciata viſcera, & œconomia naturalis labefactata. Signum ego mortis dixi, nec diſplicuit hoc Collegæ.

Altera Hiſtoria.

Sic nobilis quædam fœmina ſexagenaria conſobrina mihi, dolores ingentiſſimos ſenſit in abdomine, in loco rupturæ, quæ fuit circa umbilicum, triplices æmulans monticellos; huic fomentationes, clyſmata, balnea adplicata fruſtra fuêre; nec miniſtra chirurgi manus quicquam profuit: inteſtina protuſa dolebant ſemper, vomitus multus, poſt ſecundum diem mors. Herniofus hic tumor tres æmulans monticellos totus ater factus, gangræna occupante ſic partem dolentem.

Tertia hiſtoria.

Mercator quidã Ictericus & hydropicus, totus niger poſt mortem conſpiciebatur; Puſtulæ nigrę dies aliquot pręceſſêre mortem. An verò vetula illa quæ

mortua inventa fuit, cujus cutis livida, a-
tra, cum nonnullo fœtore, ac profundo
in brachio dilacerato vulnere, an ulcere
dicam, non habeo, gangrænosa fuerit:
aut naturali morte perierit non judico.
Rumor erat magistrum ejus dœmonem
eam sic commaculasse. At cum non vi-
derim, relinquo judicium creatori, cui
stetit & occidit.

SCHOLION.

Effœtus calor naturalis in nobili illo
luridas maculas causavit, quæ atra
factæ, testata sunt illius partis necrosin.
Rore enim vitali pars privata in mori-
turis colorem mutat, & nigredinem
contrahit: maximè si humores pravi in
corpore cumulantur, ut in Mercatore
factum, cujus extrema tubercula habuê-
re rubra, & tandem nigra. In nobili ma-
trona intestina corrupta ex adfluente
pessimo humore putavi, à quo dolor &
inflammatio, quamvis calorem nullum
sensi, nec illa de aliquo conquesta est.
Fontanella verò cur exiccata fuerit, ca-
lori naturali jam effœto adscripsi, qui
defecit in expurgando. Quod enim fon-
tanel-

nella non eructat humores, id fit vel ratione partis seu loci, cui subest aliqua insignis intemperies, vel ratione excrementi, quod aut per alia loca vergit, aut absumptum est insigni aliqua evacuatione: vel ratione facultatis, quæ aut alibi agit, aut aliter quàm debet, aut otiosa est aut sopita, aut planè deficit, ut in morituris. Omnes hi recensiti fœtorem dabant mortui.



CASUS IX.

GANGRÆNA TOTIVS PECTORIS A CLAVICVLIS AD *Cartilaginem Xiphoidem usque, ex febre maligna, non lethalis.*

IUvenem quindecim annorum, indolis bonæ, prehendit calor levis, prægresso horrore, cum capitis dolore gravativo, odontalgia, virium prostratione, inflatione faciei, & tumoribus pluribus circa collum. Tertiâ Medicus domesticus accedens febrem deprehendit, ex summo virium casu, malignam. Noverat quadam contagione in eadem

classe febrem talem sævijsse in consodales & præceptorem. Opposuit igitur febri alterantia, & malignitati alexicaca, tumori sub maxilla cataplasma, & hoc demum quinto die: septima abscessus factus adperitur, loco puris cocti, sanies ichorosa, fœtida, putrida, corrupta effluxit: At jam per cuniculos reliqua colluvies sibi viam ad thoracem fecerat, & spatium ejus quod inter cutim & musculos est, occupavit, struendo insidias calori naturali cutis & membranarum, quem & pessumdedit; unde gangræna anteriorem thoracis partem, quam sternum dicunt, invasit, ac cutim à jugulo ad claviculas & axillas, sternum totum ad xiphoidem cartilaginem usque corrupit, ejus calorem extinxit, livido colore maculavit, & ingenti fœtore infecit. Vocantur in consilium Medici collegæ plures, qui Gangrænam in thoracis anteriore parte tota conspicientes, fœtorem exeuntis ab abscessu naribus haurientes, actum de ægri vita pronunciant, maximè cum æger tremeret labijs, dum chirurgus opus suũ perageret. Credebant enim saniosum, & malignum ichorem cuniculos in thoracis

...cis fecisse cavum, & visceribus vitium ...tulisse. Nolui ego eis adsentire, quum ...iritum facilem non sublimem obser...arem, & pulsum non admodum inæ...ualem deprehenderem, qualis in cala...itoso esse deberet statu; lipothomiam ...dstantes negarunt adfuisse unquam, so...mnum non laborem dare, sed reficere; ...bum refocillare dixêre.

Cuti itaque & membranis gangręno...um vitium illatum esse adfirmavi, in ...rofundo sana latitare reliqua, cum æ...er pressa cute duriùs perciperet aliquẽ ...nsum. Prohibui itaque ne manum ...uræ subtraherent, sed animo forti me...icamentis obviàm malo irent, cætera ...eo committerent. His auditis, pater ...r clarissimus, doctissimus & consul...issimus domestico medico me adjun...t, cum quo cataplasma ordinavi tale.

℞ Rad. liliorum alborum Altheæ ā ℥ß. ...eucedani ʒvj. herbarum malvæ, ver...enę ā Mj. Scordij, Carduibenedicti, sca...iosæ ā Mß. S. Feniçuli, fœnugræci ā ℥s. ...cisa & contusa coque in s.q. aquæ fon...næ, ad mollitiem; contusis & per seta...um cribratis, adde farinæ hordei, fa...arum ā Ps. Succi tabaci q. s. Fiat cata-

plaſma; quod toti pectori ſuperimpoſi-
tum fuit. Abſceſſit poſtera die cutis
mortuæ pars plurima, licuit igitur vide-
re juxta coſtas vivæ carnis particulas,
maximo animi cum gaudio. Repetitis
interim cordialibus, & reiteratis potiũ-
culis refectorijs, viſcera vis ac vigor non
dereliquit; malignitasq́ue ceſſit antido-
tis. Livida totius pectoris cutis ſeceſſit
triduo, & jam caro viva oculis ſe ſubje-
cit noſtris, ut diſtinctiones muſculorum
numerare licuerit. Supernatabat ijs fœ-
tidus ichor, & ſanies corrupta, cujus co-
pia in diverſis ſinubus exhaurienda (Sa-
tis enim magnus ſinus ad xiphoidem
cartilaginem) erat, à quo ſub cute cuni-
culus quidam ad abdomen: Hærebant
ad ambas axillas juxta claviculam duo
alij non profundi, & ad margines, & ora
ulceris ſanies locata putrida, totum con-
clave fœtore ſummo inquinabat. Peni-
lineæ hanc ſaniem ſorbebant, unguen-
tumq́ue Ægyptiacum diſſolutum, aqu-
ſolatri & plantaginis detergendo purga-
bat cavitates ſanie fœda turgidas. Siccan-
te unguento ex lapide, calaminari & ca-
phura butyro mixtis illinivit, chirur-
gus carnoſas muſculorum diſtinctio-
nes, &

nes, & superposuit sparadrapum ex sævo cervino, cera & oleo rosato cum cadmiæ, & caphuræ paucis partibus. Sic mundatæ saniosæ cavitates, fundentes ichorem fœtidum, putidum & nigrum, aliquid de sua virulentia remiserunt. Ut autem omne abscederet virus, & humiditas tota exhauriretur, Unguenta de succis Arantij & Diapompholygos mixta, superimposuimus. Exiccarunt illa longum latumque hoc ulcus optimè, ejus intemperiem emendarunt, malignitatem abegerunt, saniem abstersetunt, totumque ulcus mundificarunt. Quotidie enim peccata ulceris correcta cernebamus detracto unguento, & jam spes adfulgebat consolidationis brevi tempore. Lætus hoc omine chirurgus, inspersit pulverem incarnativuum, quo caro musculorum refecta, succrevit. Corpore à febre immuni, detraximus aquas & Julepos, & vinum Cotoneorũ, quò adprimè delectabatur, & suum refectorium unicum putabat. Ex uvis vinum, quod revera vinum est, in potu esse jussimus. Licet enim sinus, seu cavitates in angulis supra axillas, & juxta cartilaginem xiphoidem nondum abjurassent

ſent ſaniem, & fœtidas exhalationes, attamen manus dedêre Unguento Ægyptiaco in aquis diſſolutis ſupra dictis, ſępius inſtillato. Corpus igitur vino, & optimo ac alibili cibo refectum, augebatur, & caro deperdita ſuccreſcendo luxuriare cœpit, & conſolidationem negare. Chirurgus itaque petijs abſumentibus compeſcuit laſcivientem carnem. Quintâ ſeptimanâ lectum reliquit, & in ædibus obambulavit. Duodecima laribus relictis, Deo in templo pro miſericordia inenarrabili, gratias egit. Obducta maxima pars thoracis cute, in centro ſc. ſupra ſternum coaleſcere illa noluit. Quam tandem Unguento è ſuccis Arantij cum colchotare vitrioli promovi. Dens corroſus, (hujus tragediæ aliqualis occaſio) decimaquinta ſeptimana evulſus, & locus qui primus tumuit & abſceſſit, viruſque fudit tetrum, oleo arſenici tactus & exiccatus, tandem admiſit conſolidationem. Rediјt igitur & corpori ac thoraci ſuus vigor, virtus, ſanitas ac integritas: Satis cōmodè nunc habet, & inter Benedictinos vivit. Acta ſunt hæc à 7. Maij ad Septembris medium anno 1623.

SCHOLION.

MAgnam esse febris malignæ vim, vel hac historia patet, rara est, similem tamen Divinus noster senex annotavit 3. Epidemiorum 3. sect. 4. parte. " Abscessus, plurimis qui Causo " laborarunt, accidebant in suppuratio" nes, carnium, nervorum & ossium ela" psus magni. Erat autem hæc fluxio col" lecta nõ puri similis, sed putredo quędã " alia, & fluxio multa & varia. Erat autem " hæc horrenda magis, quàm mala. Qui" bus enim ad suppurationem horum " maturatio pervenit, plurimi servaban" tur &c. Ex quo loco manifestum, Erisypelata illa phlegmonosa, quæ non delituerunt, aut intrò recedebant suppurata fuisse, & in abscessum abijsse, cujus exiens non puri simile fuit, sed putrescentiæ cuidã. Fuderunt enim saniem & ichorem putridum, fœtidum, & malè olentem, quia bilis & partes computrescentes eam fuderunt: qui copiosiùs fluxit, quia ichorosa substantia acquisivit virus, & loco puris secessit. Cum verò Erysipelas ad extra versum fuit, plurimi servati fuerunt. Horrenda itaq; magis

adſpectu, quàm effectu fuêre, quum internæ partes à noxio liberæ vitam conſervarent. Noſtro ægro horrendum ſymptoma, adſpectu terruit adſtantes, ſed vim non fecit vitæ arci, licet ad aggeres jam caſtramentatum eſſet. Adgreſſus eſt collum, occupavit jugulum, à quo perreptavit pectus omne, cutem ejus denigravit, necavit, fœtore inquinavit, & mephitica exeuntia ichoroſa profudit. Prohibuit Creator clementiſſimus, ei ferociam, & in cutem ſaltim deſævire juſſit; ne necis eſſet autor. Remota igitur jam emortua cute ulcus lōgum & latum, id eſt, totius pectoris, & cacoëthe adparuit, poſtulans manum chirurgi doctam & expertam; quę mundificativum fortius, quale noſtrum fuit, ex Unguento Ægyptiaco; & exiccans, quod fuerunt Unguenta de ſuccis Arantij & Diapompholygos mixta, de quibus nos clariſſimus & exercitatiſſimus Dominus Doctor Cneulinus collega honorandus fortuitò adventās, monuit.

Reficiebatur varijs æger, cibo, vino cotoneorum, & medicamentis Alexicacis. Medicus domeſticus pulveres cordiales dedit, ut bezoarticum de bolo, qui

eſt in

est in Dispensatorio Augustano primus: spodium fossile, & sal scordij & angelicæ, opponeret ut semper aliquid putredini; additis caphuræ granis aliquot, & syrupo de Scordio composito. Crato quidem minus æquus est Caphuræ, & ablegat in maligna febre eam, ob dolores capitis, lib. 2. Cons. 28. & lib. 4. Cons. 23. Et fortissimo vix tria grana camphuræ exhiberet, nos tantundem huic adolescentulo, dedimus. Prædecessores nostri, Collegij Medici Augustani mēbra doctissima, eruditissima, experientissima, ante quadraginta plures annos majori dosi prescripsêre, ut sequens formula ostendit. ℞ Camphuræ pulverisatæ gr. viij. Specierum de Gemmis frigidis ʒj. Syrupi acetositatis citri ℥s. Aquę sempervivi comp. ℥ij. olei calchanti gut. VI. Misce, fiat Potio. Aliud Encomium Camphuræ apud Mindererum legitur, nec Crato ab ea planè abhorruit; docent hoc ejus compositiones: & in curatione ait 4. Cons. 23. plurimum posse camphuram cum pauca Theriaca: Non me movet, quod Camphuram dicunt nocturno Cupidini inimicitias struere; tali enim tempore quo Pestis aut Febris

Caphuræ usus.

Vide cistæ Med. Epist. 139.

In febre Causo anni 1592.

Lib. de pestilentia.

Febris maligna viget, his sacris nō invigilandum.

Spodium fossile. Spodium fossile hic non est metallicum, sed ossis cujusdam portio diu siccitate terræ exiccati. Sive jam sit dens Elephanti, seu alterius animalis os, seu Cornu. Fabulantur de maxima hujus spodij energia, ac si cordis spiritus purificaret, cor roboraret, animi deliquio prodesset, malignitati resisteret, & planè eas obtineret vires, quas attribuunt cornu monocerotis. De quibus quid sentiam nolo dicere, ne excitem fautores. Vidi duo elegantissima in prædiviti Venetorum thesauro; legi etiam veterum descriptionem animalis illius, cujus hoc cornu; at non memini ullum se adfirmare vidisse, præter Ludovicum de Barthemia civem Romanum, qui Mechæ duo se conspexisse ait. De cujus tamen fide titubat Gartia ab Horto lib. 1. c. 5. Quam tamen sartam tectam in scholijs reddere conatur Clusius. Non memini Hispanos, Lusitanos, Belgas qui Indicas terras navigationibus perlustrarunt de tali animali quicquā verè scripsisse. Unde & Gartias c. 14. incerta omnia de monocerote adferri ab auctoribus scribit, ut ma-

ut manifestum sit vix ullum vidisse illud.

Servatur in nostra familia Cornu cujusdam species, quam Unicornu dicunt, prædicavit ejus laudes Petrus Paulus Hechstetterus Medicus Pforzhaimensis p.m. in dysenteria pestilentiali, & ad expulsionem variolarum sudore. Ego in malignis febribus, variolis, in dysenteria, in nimia hæmorrhagia non sine fructu usus, quamvis dubius cujus animalis cornu. Mei superstitiosè admodum utuntur, & nescio quas horas, quęvè tempora observent. Ante viginti annos Dominus Sighartus Pharmacopœus ingenuus unà cum quibusdam ex collegio medico, in quorum numero & ego, subjecit experientiæ Cornu quoddam, quod Unicornu vocabant. Et oblatis duobus canibus æqualis staturæ, utrique nucis vomicę in lacte, drachmam unam, uni ex eis verò cornu rasuræ paulò post ad gr. xij. in eodem succo; ambo convulsi, miras sensêre contorsiones, à quibus alter cui & cornu exhibitum, vomuit, & convulsiones leviores sensit, qui vivus & alacer tertio dimissus die, perijt alter agitatus multis convulsioni-

bus,

bus, qui solam nucem sumsit, spatio mediæ horæ. Postera die ejusdem cornu vires experti sumus in alio cane, cujus convulsio multa, at non lethalis, & hic sine vomitu convaluit. Hoc cornu cum apud Principem Imperij eandem experientiam faceret, justo pretio redemptum fuit. Ab illo tempore innumera quasi cornua pro vero monocerotis vendita probæ subjeci, sed frustraneo effectu. Illustris Stephanus Schmid, Imperij Romani Quæstor, mihi de suo adfirmavit cornu, illud ex Croatiæ fluvio Culpæ erutum fuisse. An igitur Spodium fossile, Unicornu sit, quod terræ absconditum fuerit non adfirmo, ne fabulam de unicornu confirmem, cujus ossa & cornua abscondita terræ in diluvio esse satis aniliter dicunt. An verò ebur terræ mandetur, ut exiccatum magis siccet, aut pro Unicornu hominibus imponat? non habeo adfirmare. Negat Garzias dentes Elephanti esse deciduos & renasci, quare in Oriente non inveniri Ebur fossile. At Clusius se vidisse memorat, & in Italia erui, quod non natura facit, sed mercatorum aut diligentia aut astus, & contra virulentorum animalium

lium morſum uſurpari. Cap. 14. Ego hæc ſpodia, oſſa ac cornua, ditioribus, & fictis gaudentibus libenter relinquo, fidant ijs quantum & quamdiu libet. Mihi cum Cratone Cornu Cervi placet; de quo ſic ſapienter 4. Epiſt. 28. Credas mihi primas iſtas cuſpides in cornubus cervinis contra venena plus prodeſſe, quàm vulgare unicornu, quod nihil aliud eſt quàm dens Elephanti ſeu Ebur. Et tale unicornu oppignoratum Auguſtæ vidi, quod nihil aliud quàm dens Elephanti erat. Spodium igitur mihi ex Cornu Cervi placet, hujus virtutes novi, & ſubulonis de cornu raſura in Epilepſia puerorum cum aquis convenientibus, non ſine magno fructu uſus ſum; Idque collegarum meorum autoritate, qui in Pulvere Marchionis ſeu Epileptico, loco Unicornu, Apices Cornu Cervi ſubſtituunt: ut & in ſecundo Pulvere rubro Pannonico. Novi exhibitam raſuram Cornu, quod monocerotis volunt, ad ℈s. hæmorrhagiam nimiam à partu in honeſta matrona ſuppreſſiſſe, quare à mulierculis ejus uſus magnus. At raſura dentis hippopothami ad ℈j. idem feciſſe memini. De ſpodio igitur hoc

tur hoc

tur hoc fossili, quod eo pretio venit, cũ-
jus virtutes ita extolluntur, hoc habeo
dicere; Communi vitio nos proxima ne-
gligere, remotiora suspicere, ignota ad-
orare, notis abuti: prædicare inexperta,
comperta pro nihili habere. Nescio sa-
nè quo fuco externa se adornant, & ple-
runque notis patriæ beatiora videntur.
Putarem sanè hoc esse in senio mundi
desipere, si avi fortè non ijsdem deliras-
sent nostri. At novi quosdam favere
quorundam Trogistarum nugis, qui sua
nænia uni si persuadent medico, sciunt
venalia esse. Non suffecisset carnem
siccatam barbarorum hominibus ad
comedendum obtrudere, ut sanies sa-
niẽ pellat? ad quid, ex qua lue latet mor-
tuarum, bestiarum cadaverum ossa adi-
gere ægros, ut abligurĩãt, prodest, ut pe-
stem, febres malignas & virus effugiant?
Abijciunt ossa anthropophagi, nec be-
stiæ comminuunt. Qualis igitur impu-
dentia nos cogit, ut in catarrhis, in poda-
gra, in dysenteria, aut omni dolorifico
fluxu alvi, humana ossa combusta exhi-
beamus. Aliud refectorium quod ma-
Vinum Cotoneorũ. gis placet huic ægro datum fuit, nempè
Cotoneorum, quod copiosè bibit cum

virium reſtauratione. Quia retinuit copioſum alvi fluxum. Ita enim ejus vires, ut credibile, labefactatæ fuêre, ut nec Brodij laxat: cybeborum ℥j. ferre potuerit. Mihi ejus interdictus uſus in Cauſo de maculata, & maligna me ut de eo pauca ſubijciam provocat. Eſt autem noſtrum vinum Cotoneorum ſuccus, qui ex carne mali cydonij raſa ad radiculam ſeu tyrocneſtem, aut in fundo depoſitus aut expreſſus eſt, & colando depuratus. Hunc pharmacopœi ebullire permittunt, & ad ℔j. ſucci unciam ſacchari ſumunt, ut diutius ſervari poſſit. At muliercalæ depuratum ſuccum ſine ebullitione ſervant, qui tamen vix durat annum, auſteriorque eſt. Servatur is in vitris orificij anguſti, & ſuperinfunditur aliquid olei amygdalarum dulcium, aut olivarum, ac munitur vas veſica & charta. Hunc ſuccum vinum Cotoneorum vocamus, ſcio Gratarolum lib. de vini natura, cap. 26. alia deſcribere vina cotoneata, quorum uſus apud nos nullus. Ditioribus gratum medicamentum, quo utuntur ad ventriculi robur, ad diarrhœas compeſcendas, in dyſenteria, ad bilis fervorem temperandum, in febre Quid?

acuta, maligna, & ipſa peſte, & ad vires restaurandas, mulierculę parturientibus & puerperis exhibentur. Odor gratus & reficiens Cotoneorum teſtatur de eorum viribus, & reficere corpus adſeritur; quare Goclenius ex Athenæa cotoneis deleteriorum vires obtundere adfirmat. Frigidum & humidum eſt, cum levi quadam adſtrictione, fibras qua firmat ventriculi & inteſtinorum; retentrici itaque eorum opitulatur, quamvis expultricem nonnunquam adjuvet in illis, in quibus natura hoſtem copioſum protrudere vult. Bilioſis naturis citiùs vomitum, & diarrhæam cauſat quàm temperatur, maximè ob dulcedinem quam habet. Nimius uſus vini talis crudi, nec non defœcati honeſtæ matronæ tormina cauſavit, ob frigiditatem & fœces, ac articulorum contractiones, nec mirum tendinibus & nervis inimicus eorum nimius uſus, teſtibus Caſtore Durante & Hubnero. Parturientibus & puerperis an proſit, hęreo. Simeon Sethi crebriorem eſum Cotoneorum gravidis ſuadet, quia parituræ ſint infantem, tum ingenioſum tum induſtrium. Ob hoc encomium vix audeo diſſuadere. Puerperis tamen

Fortè etiã propter adparatũ uberiorem mali humoris.

amen parcum uſum admitterem. Hæc ſt prima Panacæa muliercularum noſtrarum, quæ rob inſpiſſatum tamen præferunt, ad vomitum & ſudores cienos, unde cum aqua dilutum illis exhibent, quibus ventriculus dolet, ut evoant, quod in bilioſis facilè; Item illis uibus horribilatio cum calore febrili ſt ab ephemera, ut ſudent. Quod ſi huis actio eſt ſterilis, ad aliam confugiunt anacæam, & ſudorem movent pulvee rubro Pannonico, quo utuntur ſcratæ noſtræ anus in puerorum maximè norbis. Salutaris & tutus ejus uſus, cuiis ætati ac ſexui accommodatus, ut haet Diſpenſatorium noſtrum: cordialius enim prægnans, & ijs quæ venenis eſiſtunt; exhibetur cum ſyrupo citri, ut aqua Cardui benedicti, aut Ceraſoum. At ſalutare hoc medicamen à Medicaſtris in noxam vertitur, cum innocenti ætati in quavis ſuſpicione caloris extranei obtrudant. Eſt autem innocens hæc ætas multis alterationibus ſubjecta, aut ob lactis in ventriculo vitium, aut dentitionis dolores, quibus utplurimum catarrhus adeſt; ſi igitur catarrhus craſſus eſt, aut lac in ventriculo

Pulvis ruber Pãnonicus.

coagulatum : pulvis hic nocet potius
quàm juvat,ob vim exiccatem & ſiſten-
tem quas habet,quare mirum non eſt,
audimus infantulos ſumpto hoc pulve-
re ſuffocatos perijſſe. Non rejicio eju
uſum in febribus malignis,& peſte; Re-
gium enim eſt medicamentum. Huju
Terra ſigillata. ſociam panacæam Terram ſigillatam
volunt, de qua audies ab his infantium
maſtygibus mira. Venit ex lemno qua
ſi ſingulis annis diſſimilis. Modò alba
interdum pallida & rubra, ſæpè cineri-
tia conſpicitur ; diverſis literis & cara-
cteribus, rem eandem ſignificantibus,
In ultima viſitatione pharmacopœarum margam vidi,non ſignatam, glutinoſã inſtar ſavi ſaporum formã referentem. Bellonio credendum. Deſcribit ibi plu-
res hujus margæ ſpecies. Nos Germa-
nica utplurimum utimur , quamvis &
Florentinam & Bohemicam rubram
& albam viderim. Exiccant hæ terræ
& leviter adſtringunt : Contra morſu
viperæ & deleteria eſſe creduntur. Qua-
re ob hanc vim alexicaca dicitur, & pe-
ſti & febri malignæ opponitur, quę cum
ſudore utplurimum oppugnantur & ex-
truduntur, ideò tanquam ſudoriferum
in omni horribilatione febrili datur.
Inijcitur etiam Terra Sileſiaca aquę fon-
tanæ,ut inſerviat pro potu, in febribus

mali-

lignis & dysenteria. Ex hoc potio-
genere fortè aliud repullulavit; quod
Aqua fontana, in qua lateres cocti
nondum aqua perfusi, nec aërem ex-
rti calidi, vel calefacti seu igniti inij-
ntur; ejus energiam prædicant insi-
em contra ignem cum malignitate,
britie linguæ diarrhæa: Secretum e-
magnæ alicujus olim familiæ, at ejus
nulantes ex eo jam quæstum faciunt.
it hæc aqua terrestreitatem quandã,
siccabit & constringet, itaque pu-
dini resistet. Nobis Augustanis Me-
is hæc aqua non est in usu, nisi apud
perrimos, quum cum Cratone de-
tum cornu cervi nos propinemus;
am vis varia genera potuum sint; qui-
n aquam crudam eligunt, aut ex fon-
liente per canales deductam, aut ex
eo: quidam præferunt coctam, aut
xtis alteratam. Differentias aqua-
n nostræ urbis superius enarravi. Jou-
tus negat omnem aquam cocturam
e; quum coctione incrassescat, &
cem saporem perdat, de quo & ægri
queruntur. Nec cocturâ omne vi-
m aquarum emendari vult, siquidem
e à mineralibus fluunt subterraneis,

Ziegel-wasser.

In nosocomio est in usu pestilentiali.

Genera potuum in febre Causode.

Aqua potus.

& quibus limus, mucus, muſcuſvè immixtus eſt, difficulter coctura corrigi.

Urbis noſtræ æquæ cocturam in his febribus volunt. Nam quæ ex puteis in decliviori urbis parte hauriuntur, heterogenea limoſa & muſcoſa habent, quorum ſapor & odor coctura emendatur, ſiquidem eâ homogenea junguntur, heterogenea ſeparatur, quæ in fundo deponuntur, ac inclinatione quadam meliùs ſegregantur. Coquere enim aquas propter heterogeneorum ſeparationē, & deinde nō ſeparatis cum aqua frui, irritus mihi & dignus riſu videtur labor. Quæ verò aquæ altioribus in locis ex puteo hauriuntur, cum claræ ſint, duræ & algidæ, gravabunt ventriculum, ideoque levi ebullitione emendandæ ſunt. Fontana ex ſaliente, ſi limpida, ſplendens eſt, coctura haud habet opus, quia jā agitatione & motu rarior facta; quod ſi heterogeneis, ut ſæpè fit, commixta planè reijciatur. Simplicem igitur aquam non niſi confractam, & à gelida vi, & duritie abductam damus, memores, homines non debere conditionis eſſe deterioris jumentis, quibus equiſones perfractas, & percuſſas aquas dant.

Porro

Porrò aqua non ſimpliciter cocta exhibetur omnibus, ſed quibuſdam hordeum incoquitur, Arabum autoritate, Refrigerat illa, humectat, ſedat ſitim, provocat ſomnum, febrem humiditate oppugnat, ſed inflat ventriculum, lentos & craſſos humores reddit, ac jecur nonnihil debilitat: Et licet hæc vitia, cinnamomo, ſem. feniculi, aniſi, paſſulis, ſaccharóve emendetur, tamen illius corruptio facilis eſt, unde Augenius in minori coqui juſſit doſi; & in febre maligna magis exiccantia putredinem, quã humectantia proſunt, cum ea quæ hypochondria inflant obſint omnia; nec in catarrho, qui huic febri quaſi ſemper junctus, ejus uſus tutus ob cinnamomũ, præterea hordeum incraſſat humores. Ideoque noſtratibus decoquimus Cervorum Cornua, vel eorum raſuram, luminasvè, vel cum aquis cordialibus præparata raſura uſta, levigataque ſupra lapidem. Nonnullis diſplicent hæ coctæ aquæ, & malunt alteratas, vel pane ſecalino toſto, aut fervefacto; vel ſimila calida; quæ tamen ſunt magis reficientes & nutrientes. Quæritur, an aqua poſſit alterari pane calido? Algidas nobis a-

Aqua hordei.

Cardanus c. 8. lib. 2. de ſanitate tuenda.

Lib. 1. Epiſt. 1.

Aqua cornu Cervi.

Aqua pane alterata.

quas, duras, non vitiosas esse novi, maximè quæ ex puteo: salientes ex Syphone fractæ sunt, & redditæ subtiliores, agitatæ motu: Quare panis fermentatus calidus, aquæ flatulentias suos recondet in poros; crassitiem verò vix emendabit, aut heterogenea separabit. Calida simila, diutiùs in aqua relicta, calore aquam temperat, crassa attenuat, & ad fundum reprimit, flatulenta consumit; longiori mora suam vim nutrientem aquæ imprimit, & lentam efficit, ob quam ab ægris sæpè repudiatur. Panis biscoctus ijs aquis imponitur, quæ propinantur diarrhæam patientibus. Et saccharatus aquam dulcem facit, quæ febricitantibus obest. Unde nos saccharatas aquas non propinamus nostris ægris in malo hoc, relinquentes dulces potiones Anglis, nisi aceti aliqua immisceatur eis portio. Delicatioribus Aquæ alterantur sectili lamina pomi limonum, cui additur sacchari dulcedo placida ægris, ut potus sit acidodulcis & cardiacus. Spiritus vitrioli acor, & mercurialis subtilitas aquæ permiscetur, cujus crassa corpora & turbidos vapores coagulat in fundo, frigiditatem acuit, & suavi pe-

Aqua pomo limonum alterata.

netra-

netrativa ad interiora ſecum rapit, acore & adſtrictione beat. Ægris itaque in hac febre maligna conveniet. Spiritus hujus laudes exactè decãtavit, nunquam ſatis laudatus Mindererus noſter, calculum ſuum doctiſſimum Geſneri addens, qui eos titulo Medici indignos dixit, qui ſpiritus vitrioli uſum ignorant, aut negligunt. Cratonis placet mens, quę cum frigidis frigidum cum calefacientibus calidum facit, ut Camphoram.

Quercetani item oraculum, qui coagulandi vim ei tribuit, quia evaporationes malignas ex putredine virulenta reprimit, & refrigerandi virtutem, qua fervorem bilis temperat, & ardorem febris extinguit. Vidi olim à Medicis ſenioribus Memmingæ acidulas propinari in Epidemica cõtinua cũ Cęphalalgia. *Tetrad. c.30.*

Cum ſtudiorum cauſa Patavij viverem, Dominus Doctor Reutzius, cujus honorificam mentionem facit in reſpõſione ad Anonymum Quercetanus c.1. mecum quendam viſitavit Marchicum, qui febre continua, ſeu cauſo decumbebat, cui in Aquam pulverem de lapide concreto ſalſo copioſum injecit raſum, ac transvaſavit, aut de vaſe in vas *Aqua nitroſa.*

 trans-

transfudit ſæpiùs. Bibit æger hauſtum ſatis juſtum, & ardor febris, ſiccitasque linguæ mitiora facta. Mirabamur nos ſtudioſi effectum, & ſalſa ſitim extinguere poſſe vix credebamus. Jam volitarant argumenta plauſibilia: quæ effectus hujus potus omnia in nihilum redegit. Ego veterem amicum, (erat enim mihi in noſtro Auguſtano gymnaſio amiciſſimus, ut & Baſileæ) interpellavi de hoc medicamine, negavit ille mihi licitum eſſe ad lares paternos ferre chymica, permiſit tamen ſaporem cognoſcere, & à Quercetano Anodynum minerale, ſeu ſal prunellæ vocari, dixit. Dedi igitur hunc pulverem pluribus in potu, adſuefacti non reſpuunt, & adfatim hauriunt, quidam, delicati maximè, rariùs admittunt: urinas movet copioſè, ſudore & madore totum corpus diffluere facit, imò ſæpius fluores cauſat alvi: removeo ejus uſum ſecedente ariditate linguæ & ardore febris.

Aqua Julebis alterata. Alteratio ab aromatibus aquæ facta, hîc non habet locum; at quæ cum ſyrupis acidis, ut de ſucco limonum, acetoſitatis citri, ex ſucco ribium fit, admittitur. Solent noſtrates uti Vino Ribium,

Gra-

Granatorum, cum ſyrupis cordialibus in potu cum aqua mixtis, ut videre eſt Decade 1. Scholio 6. Vindictam ſiquidem potus huic morbo dare debet, itaque non ſaltim creber & copioſus ſit, ſed& frigidus, ut monet Divinus Senex in lib. de Adfectionibus. Nos quidem actu frigidiſſimum vix exhibemus potum, nec etiam tepidum, aut calidum. Cum hic ſitim non extinguat, alter vomitum cauſet, & tertius tonſillarum tumores det. Potentia igitur frigida ſint, ut ardorem cauſi pellant, & ſubfrigida. Noſtratium quidam hæc aquis permiſcuerunt. ℞ Vini granatorum acidorum ℥vi. Vini ribium ℥iij. ſyrupi granatorum acidodulcium, de ſucco limonum ā ℥ij. Miſce: Alius ℞ ſyrupi de Limonibus ℥ij, de Rubo Idæo, de Agreſta, de ſucco violarum. ā ℥j. Florum tunicæ, Rob berberorum ā ʒvj. Olei vitrioli gut. vi. Miſce. Tertius ſic præſcripſit. ℞ Syrupi de ſucco Limonum, acetoſitatis citri ana ʒvj. Acetoſæ ℥j. Oxyſacch. s. ℥js. Aquæ acetoſæ, fragorum, Endiviæ ā ℥js. Scordij ℥iij. Olei vitrioli ℈s. Miſce. Quidam ſimpliciter Julebo Roſato, aut ſyrupo violato cum vino,

aut

aut rob ribium permisto, aut acidis factis spiritu vitrioli utuntur.

Hydromel Sunt alia genera potus cocta, veluti hydromel, & Cervisia. Illo in pestis & nostro utimur nosocomis, sed in pauca dosi, refectionis potius ergò; item in morbillis, variolis & pleuritide. Verùm cum dulcia facilimè in bilem mutentur, in acuta febre vix laudare possum, nisi alvus aut sputum eo promovendum: In morbillis & variolis, quia guttur lenit & tergit, proderit.

Cervisia. Cervisia tenuioris fortunæ hominibus acceptissimus potus, quamvis & his temporibus calamitosis, alijs etiam veniat in delitias; quibusdam ægrotis, maximè qui adsuefacti, propinatur, inprimis alba, utpote substantiæ tenuioris, & minus amari saporis. Ex tribus substantijs resurgit Cervisia; aqua, quæ natura frigida & humida est, coctura tamen attenuata & levior: Maltum hordeaceum seu pollen, frigidum fortè ob hordeum, sed cum jam tumefactum germinare cœperit, minùs erit frigidum. Germinatio enim etiam levis sine calore, & humiditate non fit, vivificans siquidem spiritus eam regit; hunc cohiberi puto agitatio-

ne il-

ne illa, qua impeditur ne in herbam abeat, & tostione, qua figitur spiritus aëreus in granis, autor vitæ & incrementi. Calorem itaque aliquem deponit hordeaceum multum in aquam, non igneũ, sed vivificantem & nutrientem, qui gaudet humiditate. Hoc maceratio granorum quæ fit aqua, germinatio ipsa inchoata leviter edocent, testantur siquidem de humiditate calida hæc. Subscribit viscididitas cervisiæ; nõ audiatur quod de torrefactione levi murmurant. Tertia substantia est Lupulus, seu ejus flores, qui calidi quidem sunt, & sicci ordine secundo, aperiunt, detergunt, movent urinas, feriunt caput. At horum exigua copia ad cervisiæ cocturam venit, quare aquæ & hordei virtus major erit. His omnibus coctis aquâ, fermentũm ex alia cervisia additur, quod Caput vocant; incubat illud coctis, & magno hoc corpori se permiscet, pervadens totum decocti corpus, commovens aqueam ejus ac aëream substantiam, depurans agitatione & fermentatione; conjungens homogenea, separans heterogenea, cõservans totam cervisiam ne corrumpatur. Sic itaque parata cervisia, apta est, ut sit bal-

samus

ſamus radicalis, & verè vitam conſer-
vans in nutriendo corpus. Omnésne i-
gitur pronunciabimus Cerviſias calidas
& humidas, cum Thaddæo Haggæcio,
& Bartholomæo Huberino, aut Placo-
tomo: aut frigidas ſecundo, humidas
gradu primo cum Georgio Piſtorio? Tria
communiter agnoſcimus genera potus;
Aquam, Vinum & Cerviſiam: quæ tri-
bus diverſis gaudent temperamentis,
cauſa noſtri. Vinũ calidum, Aqua frigi-
da, Cerviſia media inter illa eſt. Negat
Fuchſius accuratè ipſius temperamen-
tum deſcribi poſſe ob compoſitionis
modum varium, & rationem mixtio-
nis ignotam. Unum & eſſe & ener-
gia corpus ex tribus corporibus iſtis mi-
xtis, & unitis reſultat, diverſum à tribus
& natura & facultate, quaſi quartum
quoddam. Nam Aquæ à malzo com-
municatur non viſciditas ſola, ſed ſimul
ſpiritus vivificans, germinans, generati-
vus & quaſi vegetans, quamvis ab agita-
tione & toſtione quodammodo confra-
ctus, quem lupulus inſtar glutinis aquæ
adfigit, ne aceſcat aut corrumpatur. Pro-
ut igitur lupulus abundat, aut deficit, a-
mara fit cerviſia. Potus itaq; nutriens

Cervi-

Cervisia est omnis, & quia spirituosa, commodæ digestionis, ni glutinosior aut viscidior sit, aquâ magis calefaciens, minus tamen vino, differensque pro qualitate amaroris, aut viscositatis.

Ergò alba nostra Cervisia hordeacea, (triticeam enim non coquunt) quę ex multa aqua, pauco malzo, & exiguo lupulo coquitur, nutriens quidem est potus, cum tamen ei pauciores spiritus germinantes & vivificantes sint, quia minùs cremoris pollentacei habet quã nigra seu ruffa: minùs illa nutriet; penetrabit at facilè, cum subtilioris sit corporis, neque multa visciditas ei lentum motum det; Præterea avara manus, qua lupulus imponitur, amarorem & calorem ei denegat. Unde frigidior ruffa est, ac aliquo modo subacida cum grato sapore. Quare consuetis eam exhibeo, maximè simplicem, quę defæcata est, & heterogenea ignorat. Hæc enim frigida, diuretica, & aliquo modo ob lupulum putredini resistit. Medici qui Cervisiæ potum, tanquam funestum ablegant, aut bicongiorũ abusum damnant, aut juxta vineta nati sunt, ubi in fascijs vino adsueti naturales potus suspiciunt, *Alba cervisia dotes*

artifi-

artificiales despiciunt, illud ferentes in ore Imperatorium, quod quidam Cæsar Romanus gustans eam cecinit.

Bache quis? aut unde es? tibi Bacchum iuro per ipsum,
Te minimè novi; sed Iove nosco satum.
Tu hircum, is nectar olet, nimirum Gallica tellus
Te flava ex spica, vitis inops genuit.
Dicemus te igitur Cerealem, non Dionysum,
Spicigenam potiùs, & Bromon, haud Bromium.

At aliter de ea cantant nostræ nutrices, quæ plus lactis ab ea quàm vino habere gloriantur. Nectar est sextarijs in plebe; & tutior potus in febribus vino, quod in hac offensa Medici detestantur; cum laboranti menti officiat, ut Hipp. in lib. de Adfect. annotat. At invitè rece- *Vinum.* dunt ab usu vini adsueti. Jocus apud nos est cujusdã senis, qui adflictus maligna febre velle se mori vinum potans, cum ex potu aquæ non promitteretur certa sal⁹, dixit, & evasit, at uxor Medicis morigera, mortua est. Qui igitur hoc exemplo in-

plo innituntur] fallaci, vinum eligunt Puccinum, quod Reinfalicum vocant, frigidum putantes, anili quodam delirio, quia dulce, quia caput non ferit, mẽtem non tentat, ſuperſtratum tamen eſt ſuis fæcibus, & cum ijs ſæpè hauritur, quare eis qui amaram colligunt bilem oberit, viſcera infarciet, flatus in inteſtino ſuperiori cauſabit, qui præcordia prement, ut docet Hippoc. de victus ratione in morbis acutis: Ignem taceo latentem, & tartarum, quo in inteſtinis dejectiones cauſat. Acutis igitur in febribus, qualis & hæc cauſos eſt, dulce hoc vinum puccinum in muſto dare, quod noſtris necarinis minùs aquoſum, ineptiæ mihi videntur, cum focus non oleo, ſed aqua extinguatur. In declinatione quidam, & jam extincto foco refectionis loco panem in eo intingi permittunt delicatulis.

Reihnfall.

Neſcio, quo argumento Necarinum, & Rhenanum vinum ſaccharo inſperſo pronuncietur frigidum, niſi quod ſacchari viſciditate evaporationes fumoſæ vini figantur, ac à mente arceantur. Frigiditatem ſaccharo nemo autorum adſcribit: & ars chymica acres, & u-

rentes ex eo elicit ſpiritus. Succeſſit fortè hoc vino melitidi Dioſcoridis, quod in longis febribus, quæ ſtomachum infirmarunt, dabatur, cum alvum leviter leniret, urinam moveret, & ſtomachum expurgaret, deſijt id tempore Plinij quia cauſabat inflationes. Nunc in declinatione quidam lymphata cum ſaccharo vina propinant, reficiant ut ægros, at prioribus temporibus planè vinum relegāt; nec diuturnus dulcis hujus vini eſt uſus, ne ſitim cauſet, & cibi adpetitum impediat. Adſueti aquatis vinis, malunt ſine ſaccharo bibere, quamvis Thetidis & Lyæi conjugium in ſuo cratere plurimi nolint; ſed phariſæa petant, ut ſonant verſus. Nec mirum, non ita fortia Necarus mittit, nec ita generoſa Rhenus, ut Italia, Gallia, Hiſpania & oriens gignit. Et quæ Auguſtæ venduntur, utplurimum Deo Dea intulit vitium, præpoſtero fervore conjugali. Neceſſariò convaleſcentibus debetur vinum, ut ab igne febrili conſumptus, & à frigidis medicinis debilitatus calor nativus reficiatur & reſtauretur. Vitali enim & naturali robori multū vigoris dat; quin mentem revocat, & animam moventem

confor-

onfortat, & agilem reddit, tremores
tuum, ac debilem incessum corrigit,
entriculum firmat, vertiginem profli-
at, flatus pellit, eructationes prohibet,
ufert inflationes pedum; Velocissimũ
itur ac excellentissimum, corpus & a-
imam refocillans remedium vinum,
lorem suscitãs, vires omnes recreans,
piritus acuens, alimentum in omnes
orporis partes deducens, nutriens, con-
alescentibus dandum, sed non copio-
um, non mustum, sed hornum, aut bi-
um, fragrans, & album. Quæ de po-
u in febre maligna continua. Est & a-
ius potus, qui Siceræ nomine venit, & *Sicera.*
x pomis & pyris conficitur in aqua ma-
eratis, & quasi putrefactis, at cruditates
idetur causare, & adstrictione, cum
ostrates ex sylvestribus conficiant, of-
cere. Ablegavit verò styptica à cura
nacularum, ne expulsionem impedirẽt,
racastorius: ob quã causam fortè meus
Medicus mihi denegavit usum vini co-
oneorum, quod tamen non ita adstrin-
it ut rob oxyacanthæ. Minùs igitur
icera illa habebat locum, quæ ex mace-
atione baccarum oxyacanthæ fit; quæ
erò ex baccis Juniperi magis conve-
Dd 2 niet,

niet, cum eorum Rob Germanorum Theriaca vocetur, attamen vis raphani rustici, & aromatum, quibus corrigitur, non placet in hac febre. Sunt denique alia nostrarum scraptarum anuum panaceæ, quas supersedeo hîc recensere; displicet tantum irrepsisse in hoc Scholio.



CASUS X.

ISCHURIA LONGIOR CAUSA Epilepsiæ & mortis.

VIR quidam nobilis quinquaginta sex annorum, texturæ raræ, picrocholus, in ischuriam incidit vacua vesica per dies tres, dolor in inguine nullus, nec renitentia perceptibilis, urinæ ea paucitas, ut quatuor vix stillando mingeret uncias, suspicio calculi nulla; Aberant enim omnia signa, & symptomata propriè significantia ejus præsentiam. Dubius eram quò rapta esset potus humidorumque ciborum materia. Vixit nobilis hic semper temperanter, nec à cibo farctus reliquit tabulam, nec guttur lyæo perfudit superfluo. Exulavit planè apud ipsum Intemperantia; corporis

exer-

ercitium erat conveniens victui; mẽ-
m acutam sæpiùs exercuit. At hæc
on excludebant ab articulis dolores,
t à renibus calculum, aut à mesenterio
obstructiones. Ne scilicet SOLA INTEM-
RANTIA morborum dicatur mater.
t enim sæpè à natura quędam in nobis
ebilitas, & viscerum dyscrasia, quæ
uasi conceptrices offensarum morbi-
rum in hac vita sunt. Quibus si in-
mperantia vel segnities obstetricãtur,
aviora fiunt mala & sæpiùs recurren-
a; duriterque sævientia. Cum itaque
obilis noster hyeme præterita poda-
icis offensionibus laborasset, renes, ne
liuturno decubitu incalescerent, mar-
ore quod gelu à nive cõtraxit, regioni
num admovit, eos ita pessumdedit, ut
ebilitatus eorum calor impediret e-
ulgentium suctronem. Serum igi-
r, quod in podagra jam viam noverat
l artus, eandem nunc observare mihi
ersuasi, maximè cum de artuum lassi-
dine, & levi quadam tumefactione i-
se æger conquereretur. Alvum adpe-
i pilulis consuetis, quia de stomachi
ravitate querela erat. ℞ Massæ pil. de
iera picra Galeni, & Aloës lotę ā ʒß. ad-

dito stillatitio oleo Therebinthinę. Su
junxi his diuretica, aperitivaq;, clysm
ta item, insessus in aquam, in qua herb
renibus dicatæ incoctæ fuerunt, Po
nil additum fuit ob doloris & sensus gr
vationis absentiam. Et cum sanus pa
cissimè bibisset, nunc æger in die vix u
cias hausit quatuor vini, acidis aquis m
xti: quo æstate & hyeme multis jam a
nis semper in potu usus est. Cum n
jam medicamentis diureticis & aperi
vis incassum laborare viderem; & h
midorũ materia in primis vijs hærer
ob distributentis virtutis errorem, ac e
trema aliquam sentirent tensionem, r
petita sunt clysmata sæpiùs. Bolus
Mithridatio ad ℨs. pondus exhibitu
noctu ante somnum, cujus unã parte
cum copioso evomuit sero, alteram r
tinuit ventriculus, cujus operatione
æger ipse laudavit: consuetis fungi m
neribus cœpit, scribebat, legebat, med
tabatur, dormiebat placidè. Clysma
calefacientia renes, & vesicã, prægnant
diureticis adplicare jussi. Lacessita
tractrix, segnis permansit. Ardori st
machi domesticis remedijs medebatu
Vino cotoneorum, & Granatorum, S
ru

rupo fragorum, cum aliquibus guttulis ſpiritus vitrioli. Solutam alvum clyſtere, pauca urina ſecuta, & parcior potu: at poſtera die ſegnis natura nihil effudit, nec clyſtere monita quicquam egit. Loquebatur nobiſcum de rebus politicis dexterrimè, & ſatis acutè longiùs hora ea veſpera quæ calamitoſum præceſſit Symptoma. Erat enim ingenio acri & politicâ experiētiâ exercitatiſſimo, quo nomine magnatibus & principibus gratus, & à Conſilijs. Sequenti manè, qui fuit dies decubitus nonus, Epilepticus factus, decima expiravit, vir longiori, at ſalubriori vita dignus.

SCHOLION.

VRinam potui reſpondentem copia oportet reddere, ut ſcribit Divinus Senex Cous; æqualem ſemper ac maximè effuſam, inclinantem ad paulò craſſius quàm quod potu ſumptum. 2. Prædictorum. Quæ igitur Urina non ſic procedit, malè prodit, aut ratione virtutis excernentis, aut ratione excreti; & tale vitium Dyſuria dicitur. Quod ſi nihil prodit, Iſchuria nomine-

tur, quæ est adfectus præter naturam in quo supprimitur urina, ut exprimi vel ejici non possit, 6 loc. Adf. 4. Oritur hic adfectus aut vitio renum, aut ureterum, aut vesicæ, aut fistulæ urinariæ, aut musculorum sive colli vesicę, sive abdominis. Vesica, quę nec tensionem, nec gravativum dedit dolorem in pube, utpote vacua, immunis erat apud nostrum ægrum ab hac noxa: Sic urinariam fistulam, & ureteres absolvit ab hoc vitio absentia tensivi, gravativi, vel etiam acuti doloris in regione illorum. Renum verò attractrix vis debilitata à nimio refrigerante externo nihil agebat, sed serosum reliquit in vasis humorem, qui in habitum corporis secessit, hoc gravitatis & tensionis extremorum sensus suo calculo adfirmat. Vocari ait Galenus 3. de sympt. causis 2. hãc adfectionem impropriè Ischuriam. Perdita itaque renum actio attractrix fuit, quia venæ emulgentes desistebant à suctione, ob violentam refrigerationem lumborum ab algido marmore, in gelu & nive refrigerato, & lumbis adposito. Ut enim igneus intensusque calor nocet regioni renum, sic refrigerantia & gelida renum expul-

expulſioni officient. Videatur Balduinus Romſeus Epiſt. ſua Med. 53. quibus rationibus evincat bracteam plumbeam non eſſe lumbis in calculoſis admovendam.

Non craſſam puto renes obſtruxiſſe pituitam, quæ in hoc ſicco corpore, natura melancholico haud copioſa fuit. Nec calculus, quia non pondus, non gravativus dolor, in lumbis ſentiebatur, imò nec tumor, quæ ſymptomata ſunt ſuppreſſi ſeri circa renes, ut docet Marcellus Donatus lib. 4. Med. Hiſt. cap. 8. Ametria igitur renũ & vaſorum emulgentiũ in cauſa Iſchuriæ hujus fuit, hæc cladem tàm feram, &, ob motus convulſivos, terrificam dedit. Ad ſtuporem quaſi temperãs vixit, ſed acidulas aquas ſuo vino in æſtate & hyeme cõmiſcuit. At diureticorum continuus uſus, renes debiles efficit. Siquidem infelix ipſius laterum fertilitas frequentiores funeſtiſſimos calculi partus procreavit. Anno præcedenti, tumida & renitente pube, incidit à calculo in veram Iſchuriã, ſed petra excluſa convaluit. Salius cauſam, cur urinæ retentio ſit lethalis, hanc exponit. Seroſitatem nimirum in venis

Intemperantiã rerum causã fuiſſe, lotij ſuppreſſionis paulativæ.

De Morb. part. c. 14.

relictam commiſceri ſanguini, unde totius molis fiat putredo, ex qua febres cōtinuæ & graves, quale malum noſter non ſenſit æger. Sed juxta pronunciatum D. Senis Coi incidit in convulſiones, Coacarum Aphor. 588. Veſica intercepta, maximeq́ue cum capitis dolore convulſionem quandam minatur. Qui etiam aphoriſmus 1. Prorethon, com. 3. aph. 28. repetitur. Quamvis non videantur loqui de veſicæ interceptione, quam noſter paſſus eſt impropriè, quia facilè cerebrum nervoſis conſentit partibus, ut Galenus in Commento docet. Renes verò parenchyma ſunt; trahunt tamen ob nervos multas nervoſas partes in conſenſum. Heurnius, lumen magnum Bataviæ, militis recenſet hiſtoriam, qui biduo ſuppreſſa urina incidit in convulſiones & perijt. Hic tremulus decumbebat, & mens non conſtabat ei; quod fortè ſequentibus in aphoriſmo non reſpondebit verbis, quæ motam in mentem mutatam, deſipientiam non pernitiem adferre volunt, ſi Epilepſia ſupervenit Iſchuriæ. Noſtro ægro mens ad agonis principium non aberravit. Heurnij miles brevi tempore interijt;

terijt, longiùs obſervavit Salius; qui ait, ſi intra ſeptem non mingant dies, inevitabiliter eos perire, nec poſſe evitare mortem, etiam remota cauſa & lotio provocato, ob accenſam febrem. In Conſultationibus Montani, N. 52. Nobilis quidam Vicentinus proponitur, qui intra mēſem totum vix ſex cyathos urinæ emiſit, licet Medicamentis convenientibus doctè tractatus eſſet; imò ſedecim diebus integris ne guttam urinæ reddidit; poſt hos crudam & turbidam minxit. Vigilavit is diebus novem; à vigilijs immodicis, incidit in convulſiones totius corporis, cum febre, & vocis amiſſione: interque conſultandum ſpaſmodica ſenſit. Quomodo verò ceſſerit hæc cura, altum ſilentium; docent tamen enarrata longiùs dari tempus, quàm ſeptem dies in quibus MORS, ab Iſchuria metuenda.

Præterito menſe mercatoris cujuſdam uxor, pia, & proba matrona, cui erant hæreditarij conflictus cum articulari morbo ſupra duodecennium; corpore craſſa, temperamento pituitoſa, in primo ſenio, redux ex Thermis proximis Leutte, ſeu VVeringenſibus, cum maxi-

maxima & copiosa diarrhæa biliosa & pituitosa, quibus copia seri vehiculum erat, viribus debilis, & lipothymijs obnoxia. Iverat nondum purgato commodè corpore ad thermas, & jam diu insedebat aquis, sperabat aliquod commodum, cum incessus liberior esset; gradu enim testudineo antea incedebat, adeò debilitarat dira podagra pedes. At humectato ita corpore & calefacto aqua Thermarum, fusi humores alvum petebant, disturbabant retentricem nutrientis œconomiæ, ita ut vomitu ventriculus eructaret, & pituitam & bilem, non sine lipothymia, & alvus cum torminibus excluderet sero dilutos humores acres & tenues.

Erat dies ni fallor quintus dejectionis copiosæ, quo accessimus ægram, reducem priori vespera, & tertius, quo urina detinebatur. Eo itaque die præscripta fuerunt, quæ ventriculi functionibus dedicata sunt, & quæ roborant retentricis primarum viarum vim, in forma Trageæ, ℞ Spec. aromat. caryophyllati ʒjs. diarrhodon. ʒß. corall. rub. præp. ʒj spodij de ebore ℈j. coriãdri præp. ℈s. Nucis mosch. ℈ij. macis. gr. iiij. cin-

nam,

nam. ℈js. ſacchari roſ. tab. ℥iij. fiat Tragea.

Poſtera die, cum biliosa excreta alvi oſtenſa eſſent, clyſter fuit exhibitus, ℞ Lactis chalybeati ℔s. p. c. Syrupi de chamomilla ℥ij. Sævi cervini ℥js. vitellorum ovi: N. j. Sacchari Thomæi ℥js. Miſce fiat clyſter. Mitigatus dolor quidem, ſed non ſublatus: Vitali facultati & viribus, quia multum deceſſerat, aqua confortativa talis ordinata fuit, ℞ Aquarum fl. Tunicæ ℥ij. Borraginis, Bugloſſæ ana ℥js. Plantag. ℥ij. cinnamomi acutiſſimi ℥s. Elixir vitæ Matthioli ℥s. Confectionis Alkermes ſine moſcho, & ambra ʒj. corallorum præp. ʒj. Manus Christi perlati ʒvj. Miſce ad vitrum, hujus uſus fuit ad cochlearia duo, ſæpiùs repetebatur. Tertia dies cum alvus adhuc cum doloribus & torminibus, quãvis non copiosè flueret, & urina non procederet, eſſetque dies quinta, exhibiti hi boli fuêre, ℞ Mithridatij Damocratis veteris ℈ij. Salis ononidis ℈s. Miſce, & cum ſaccharo fiant Boli N. ij. Bibebat etiam de hac aqua. ℞ Aquæ petroſelini, Ononidis, Alkekengi linariæ ana ℥j. ſpiritus veronicæ ℥s, ſpiritus Juniperi

niperi ʒj. Vini Malvatici ℥ij. sacchari candi rubei ℥ij. oculorum ♋ præparatorum ʒß. Lapidis Nephritici præp. ℈j. Misce. Sexta die Ischuriâ perseverante, & alvo quieta, cum ob summam debilitatem non liceret ægram aquæ concretæ superimponere, hoc cataplasma ventri superimpositum fuit. ℞ radicis liliorum alborum, Altheæ ã ℥s. herbarum parietariæ, nasturtij aquatici ana Mj. Melilothi, chamomillæ ana Pjs. Malvæ, Mj. Saxifragiæ Ms. granorum juniperi Pij. Alkekengi N.x. sem.anisi,carvi ã ʒj. Coq. in s.q.aquæ communis,ad mollitiem, contusa & pistata,traijce per setaceum, quibus adde Cæpas virides contusas N. IV. Axungię cuniculi ʒvj. olei scorpionum ʒvj. chamomillæ ℥j. Misce, fiat Cataplasma. Renitebat pubes, & vesicæ tumor erat;huic igitur regioni priùs oleis Scorpionum Amygdalarum amararum, & fl. chamamillæ inunctæ superimpositum fuit. Et quia febrilis quidam calor & siccitas linguæ aderat, hunc syrupum cum aqua bibit mixtum. ℞ Vini ribium, ℥ijs. Syrupi de fragis, de succo Limonum, de Rubo Idæo ana ℥js. spir. vitrioli ℈j, M. Cum adsatim de hac mi-

xtura

xtura biberet, manè urinam turbidam ſcabuloſam, ſed paucam emiſit. Jam noſtrum prognoſticum irriſum ab aſtantibus, ut ſiniſtrum, fuit. Incepi & ego ſperare meliùs, quamvis contra ſpem, cum vires admodum proſtratæ jacerent. Fluxit quidem urina, ſed ſibi ſemper ſimilis pauca, confuſa, ſabuloſa; at dolores in genu & pedibus podagricos ſenſit poſtera die, qui fuit decubitus dies undecimus, duodecimo cum febricula, ſpiritus ſublimis, debilitas magna, inclinatio in ſomnum frequens, qui comatoſus adfectus, à quinto die ſemper à nobis obſervatus, decimotertio debilitata ſummè, comatoſa fuit, hoc coma, ut prædixi, ſecuta convulſio, hanc mors eſt circa decimam-quartam decubitus, aut à ſuppreſſa urina undecima.

Complicati hi adfectus, cum magno adparatu crudorum humorum, non citiùs jugulaſſe ægram mirarer, ni dexteritatem medicamentorum noſſem. Salium porrò loqui de Iſchuria non vera, ſeu vacua veſica, qualis hæc non fuit, puto. Ex hac tamen hiſtoria patet, & febrem ut Salius vult, & Epilepſiam ex

Iſchu-

Iſchuria,ut docet Hippocrates oriri, ſed
& longius dari tempus, quàm quod Sa-
lius numerat. Idem & ægro priori ac-
cidit,ut nona die convulſus, decima de-
mum fatis ceſſerit, & placidè obdor-
mierit. Epilepticos inſultus hos Heur-
nius ex Avicenna cauſare ſcribit, humi-
ditatem malæ ſubſtantiæ & fœtidæ, la-
ceſſentem principium nervorum, quod
ab iſtis diris exagitatũ motus hos exci-
tatexorbitãtes. At Carolus Piſo ad p̃ter-
viſos morbos indagãdos natꝰ,hęc explo-
det, qui planè negat in Epilepſia irritari
Naturam, ut inſurgat ad expellendum
noxium & moleſtum; quum ſenſus ta-
ctus in Epilepſia planè perierit. Sentiri
verò volupe, & moleſtum organo ta-
ctus. At quod expultrix ut noxium a-
gnoſcit, illud non vi animalis facultatis,
ſed naturalis percipit, qua etiam excutit,
expellit,ac eijcit quod moleſtant Hujus
organon eſt pars quęlibet corporis, quæ
nutritionis functiones ſubit. Antipa-
thia igitur,non progreſi adgreditur ho-
ſtem, quem quivis ubi invenit loco op-
pugnat, propellit & protrudit ac eijcit.
Lucta igitur cum & talis fiat in Cerebro,
ſpiritus animales ſimul ad opus concur-

runt,

runt, & in motu aberrant, superiùs ut sæpè sæpiùs dictum. Causam opplentem superiùs etiam ablegavimus, nec hîc admittere animus.

Quod porrò volũt copiam seri mortem accelerare, in venis si relinquitur, quia aut stuporem aut torpedinem adfert, quod in matrona ad somnum semper inclinante visum, aut quia nativum calorem sua frigiditate suffocat, aut quia putredinem causat, ex qua febris, in ęgro nobili non admittere queo, quia parcissimus in potu fuit, & multum seri, medicamentis & clysteribus alvo ejectũ, quin vomitus seri copiosus plurimum absumsit. Non igitur potuit suffocari calor nativus, (qui tamen in humida pituitosa matrona aliquid simile passus;) nec mutari in igneum; liber enim fuit à febre: Matrona hæc, & cujus in sequenti historia fit mentio, obscuram vel mitem habebant febrem. Sed serum sanguini mixtum, quum refrigerati renes non elicerent ex venis, in venis mansit, hic ad mentis arcem adscendit, & quia nobilis picrocholus & subtristis erat, biliosorum humorum & salsorum tincturam secum advexit, quibus facultati

expellenti molestum fuit; ideoque insurrexit in hostem & turbulentos Epilepsiæ motus dedit. Docet hoc Hippocrates aphor. 592. Coacarum prædict. In biliosis urina intercepta mortem brevi affore significat. Præterea ingeniosis spiritus ad motum sunt mobiles, facilè qui concitantur. Erat denique ei cerebrum, quod in infantia similes motus terrificos plures passum est, imbecillum. Cerebrum itaque lacessitum ab hoste infenso, illum adgressus, quamvis viribus impar, hostem & hospites simul ejecit; serum verò figens humiditate frigida spiritus in extremis, & opprimens in cerebro, torporem introduxit, soporem & mortem. Spiritibus enim nil magis contrarium est, quàm nimia humiditas.



DECAS SEXTA.

CASVS I.

EX ISCHVRIA *Mors.*

MATRONA quædam nobilis calculi doloribus consuetis fatigata, à domestico lithontriptico suppetias petijt. Erat illud Lapis in vesicula fellis bovina concretus, quem in vino infundebat; de quo hausit, & simul aqua dulci lavit. Ex quibus cum emolumentum sentiret nullum, me, at ægrè, admisit vocatum. Clysma difficulter adplicari passa, quod etsi anodynis & diureticis prægnans, exiguum effectum dedit. Pilulę ex Terebinthina guttatim urinam promovebant, cum increscente dolore, & sabulo excluso. Alter Medicus me absente doloribus narcotica opposuit; nox quieta secuta, cum mentem obfuscassent, causam non abstulissent. Ego symptomatibus negavi dedicandam esse curam, quum torpor somnum exceperit, illum dysuria. Quare alvum lubricare clystere, quod diureticis gaude-

bat, volui; & potu urinæ materiam ſubminiſtrare largiori juſſi. At arenúlarum promotio ſequebatur, non ablatio doloris: nec mirum, excludebant Medicamentorum uſum congruum perſonantes ædes Hymenæo filiæ; qui & exhilaravit decumbentem matrem: ut videretur meliùs degere. At lumborum dolor, & dyſuria, nunquam ceſſabant. Hæc vino purgante tertius interveniens Medicus abigere tentavit. Acta eſt hac Tragœdia more malo hujus ſeculi, ut unius Medici ſcenam, alterius exceperit. Purgatio ſerum à renibus avocavit, & alvo reddidit; Diureticorum efficacia, & Anodynorum virtus jacebant. Non olei amygdalarum dulcium recenter expreſſi ℥iv. Spiritus vitrioli guttæ viij, quicquam linierunt. Fatigata itaque doloribus, vigilijs, medicamentis, febricitare cœpit, ſed ſubobſcuriùs, & maximè debilitari, ideoque ſummo mane alter vocatus Medicus, compeſcere dolores laudani opiati gr. vi. cum vino Malvatico ſumptis voluit; à quibus in Iſchuriam incidit veſica vacua. Inguen ſiquidem nec pondus, nec dolorem ſenſit, in lumbis tamen vehementem ſenſit dolorē,

Cōſuetudo magn° Tyrannus.

cujus

cujus speciem describere nequivit. Tricesima igitur post omnimodã suppressionem urinæ hora placidè obdormivit. Erat facie rubra, corpore subcrasso, melancholia, quinquaginta circiter annorum.

SCHOLION.

SUperstitiosa agnatûm pietas negavit indagare causam hujus Ischuriæ sectione. Vesicæ vitium non erat, non tumor in pube, tensio nulla; renum itaque actio naturalis deperdita jacebat; vesica venit in consensum. Lib. finit. Med.3.de caus.sympt. 2.

Serum verò renes non deponunt ad ureteres, aut vitio proprio, quum impeditus est transitus ad inferiora, aut à tumore, aut ab obstruente, quod vel grumus sanguinis, aut lapis est. At talis obstructio vix in ambos cadit renes. Renes etiam ob errorem non deponunt ad ureteres alienum, quum serum ad renes non perveniat, vel quia paucum, vel crassum, vel aliò commotum, aut non in corpus distributum, ut argutè docet Felix Platerus Tract.1.lib.2.c.8.

In nostra ægra viscera integra vide-

bantur, nec ſerum in abdomen depoſuerunt, ut in hydrope accidit; nec ambos renes obſtructos dicere licet. Diſputabatur, quò ſerum, quod non deerat corpori, motum eſſet. Quidam à purgante avocatum dixit, alter narcoticis adſcripſit. Hujus ſententiæ fateor me fuiſſe, at ſi renum actionem probè conſidero, attractricis & expultricis perditio erat. Officiunt verò narcotica magis animalibus quàm naturalibus actionibus. Felix Platerus fani Apollinis apud Germanos culmen, ſemen hyoſquyami ſuo pulveri lithontriptico addit: & ſemen papaveris albi Emulſioni. Quin Aſyncriton, & Philonium Romanum cum calculum pellentibus jungit, & clyſmatibus opium addit. Rationem adfert, ſe hoc facere, ut dolorem ſimul leniat, & calculum pellat. Tract.2. c.12. In ardore urinæ, ob ulcera renum, aut veſicæ opium, & narcotica alia cum convenientibus exhibet. Tract.3. lib.2. cap.10. Eadem in obſervationibus proprijs in his adfectibus præſcripſit. Peucerus, magnum etiam Germanię lumen, Theriacam miſcet ſuæ potioni lithontripticæ cap.18. Practicæ ſuæ. Nec hoc

eſt neo-

est neotericorum inventum; Paulus Ægineta lib.3.cap.45. ad dolorum acumen & vigilias, antidotum Sotira & Philonis, bona esse pharmaca scribit. Senex Pergamus, in libro de Theriaca ad Pamphilianum, Theriacam dari habentibus in vesica lapidem ex apij, & petroselini decocto; renum vitio ex mulso, adserit. In antidotum Mithridaticam Xenocratis, quæ est libro 2. de Antidotis, succus papaveris ingreditur; est verò illa dedicata doloribus renum.

Idem venerandus lib. 10. de comp. med. secundum loca, cap.1. Nephriticis medicamentis jungit narcotica ex opio, semine papaveris, semine hyosquyami, cortice mandragoræ. Haud itaque narcotico adscribamus, quod emulgentium renum vasis, vim attrahendi sopierint, animalem facultatem quidem soporant, non naturalem qualis est attractio renum seri, & depositio ad vesicam, cum videamus in somno infantes lectum permingere, quæ tamen actio mixta est, ex animali & naturali simul.

Purgatio vix nocuit; Galenus enim libro, de Renum Adfectuum, dignotione & Medicatione; vomitum laudat si l. 1.

ventriculus repletus; clysteres, si superfluitates in intestinis sunt: imò purgantia etiam pluribus vicibus repetita probat; taliaque quæ vasa & inanes corporis regiones ingrediuntur; quibus subjungit demum ea, quæ vias & renes dilatant, calculos deprimunt, & dolores mitigant. Cap. 4. & 5. Ad præcautionem alvum liberam expetit: sic enim liberè profluent urinæ. Felix Platerus, purgantia ea probat, quæ blandè alvum movent & laxant, abducendo salsos & serosos humores, ichoresque: ac necessarium purgantium usum suadet, quia dum natura purgantibus stimulatur ad excretionem, simul calculi ad descensum promoventur. In observationibus tamen video illum negligere purgantia, & clysmatibus, ob eam utilitatem, quam in praxi præscribit, uti. Montanus in Consilij hiera picra in forma pilulari Stomachi causa purgat.

Historia. Retulit mihi quidam Gemmarius nostrás, se Monachij interfuisse sectioni cadaveris Monetarij primarij, curatrices cui manus ego in calculo ante aliquot annos adhibui: cujus viscera integra, absque ulla labe, in uretere lateris dextri calcu-

calculus, in reni sinistri cavitate duos minores hæserunt. Mortuus est hic ob urinæ vacua vesica suppressionem. Ægrum quidem cõquestum fuisse de purgationibus nimijs, quibus fatigatum fuit corpus, & quæ tenesmum lethalem causarunt.

Sanè nimia purgatio in cruciatibus calculi mihi semper subjecta est. Acerbi dolores spiritus dissipant animales, & à principio nervorum multum virtutis cogunt defluere, hinc vigiliæ multę, quæ etiam spiritibus obsunt: quod si validioribus purgationibus exagitatur corpus, destruetur naturalis vis, adpetitus à calculo prostratus pessundabitur, ventriculi coctio per se labefactata proteretur, animalis virtus dissipabitur. Purgantia non violenta, non fortia ægræ nostræ exhibita fuêre: sed vires vim passæ, & debiles, impares erant huic oneri. Caput multis vaporibus turgebat, facies rubicunda, inflammata quasi, ideoque narcotica magis nocuêre, quæ oppleto à sero cerebro somnum introduxerunt, qui in coma desijt, & hoc in mortem. Memini, nec sine stupore, me cuidam *Historia.* seni diarrhæa supra vires fatigato, exhi-

buisse Theriacæ trium annorum scrupulos duos, cujus effectum manè laudavit summè, at cum quinto die in Apoplexiam incidisset, me suspectam habuisse postea semper Theriacam in senibus catarrhosis, & omnibus alijs humidum cerebrum habentibus. Mortis igitur hujus matronę nobilis causa, cum sectio denegata non enodarit, dubia adhuc est: persuadeo tamen mihi à regurgitatione Seri subitanea, vel raptu ad cerebrum, adjuvantibus narcoticis eam à somno præternaturali morti traditum fuisse; purgationes illas in vino diuretico nihil obfuisse.



CASUS II.

CALCULI MAGNI ET PLURES ex vesica senis excisi.

MERCATOR quidam Augustanus senex, sexaginta novem annorum stranguria periodica pluribus laborabat annis; Exacerbabatur enim malum, aëre frigido & hyeme, in æstate mitius erat: Singulis annis majori recurrebat cum crucia-

cruciatu; Ardor à mictione acerbus, licet non semper, nec in æstu cœli, aut anni. Urina crassa, turbata, pituitosa, in qua rarissimê innatabant sanguinis vel puris rudimenta. Suspicio primò calculi erat; quare purgato Cassiæ floribus corpore, aut alvo clystere humectato, Therebinthina in bolo data est. Aquæ diureticæ propinatæ, corpus innatavit aquis dulcibus calefactis in solio per quatuordecim dies. Sopitus his dolor ad tempus, secesserunt arenulæ, triumphus cantabatur, sed ante victoriam, cum circa brumam recrudesceret malum. Æstas erat illi commoda, expatiebatur longiùs; in hyeme, qua inclusus suo æstuario sedendo legit, legendo obdormivit, deteriùs vixit. In perinæo nec dolorem sensit, nec in pube pōdus: urina sæpè profluxit clara, maximè in æstate, functiones reliquæ fuerunt integræ. Removerunt hæc omnem suspicionem calculi vesicæ, & cum recurrerent dolores, repetita priora sunt pharmaca, à quibus levamen sentiebat.

Laborabat tùm Nobilissimus quidam senex, ordinis Senatorij, Ædilis urbis, stranguria, de cujus causa dissensio erat inter

inter Medicos, cum hic calculo, alter de stillationibus, tertius debilitati vesicæ adsignaret. Calculi suspicio Nobilissimum senem subijcit explorationi cū cathetere, cujus liber introitus in vesicam senem hunc nobilissimum absolvit quidem à lapide, sed cruciatus causavit. Ansam dedit historia hæc, ex mente omnem suspicionem calculi eijciendi, maximè cum recordarer præcedentes morbos catarrhosos, & fœtus destillationis, quum ipsi mens aliquando obfuscata & oculi, epiphora sæpiùs caligarent, & alter oculus suffusione lumine privaretur, quibus successit stranguria hæc. Debilitatem itaque vesicæ stranguriæ causam pronunciavi, quæ commune in senibus vitium. Post itaque purgationes & alvi eluitiones, anodyna dedi diureticis mixta. ℞ Syrupi de Althea Fernelij ℥iij. Fragorum ℥ij. spiritus vitrioli gut. VI. misce, dosis erat ℥js. Arenulæ ab hoc abscesêre, & viæ munitæ sunt. Præscripsi etiam conservam magnam, ℞ Conservæ Malvæ ℥iij. Radicis Altheæ conditæ ℥j. Trochiscorum Gordonij, Alkekengi ana ʒj. cum Syrupo de Limonibus fiat mixtura. Sumpsit magnitu-

nitudine jugiandis; Lavacro insuper u-
us, dolor dedit inducias. Imaginari ita-
que mihi non potueram magni alicujus
alculi præsentiam, ex renibus descen-
ere arenulas majores urinæ monstra-
ant. Cogitavi itaque de leniendo do-
ore, de abstergendis arenulis, de deter-
enda via urinæ. Jussi itaque radicem al-
heæ in brodio carnis decoquere; cujus
sus erat diuturnus. Præscriptus & hic
ulvis fuit. ℞ Pulveris vesicæ capreti
ræparatæ ℥ʃs. seminum quatuor frigi-
orum majorum ana ℈j. papav. albi ʒij.
eminis portulacæ ʒj. radicis consolidæ
najoris ℈ij. Liquiritiæ ℈iiij. Gummi
ragacanthi ℈j. Trochiscorum Alka-
engi cum opio ʒj. Sacchari candi vio-
cei ʒvj. Sacchari rosati tabulati ℥ij.
Misce, fiat pulvis, dosis erant drachmæ
uæ cum vino aut aqua malvæ. Ardor
rinæ hoc pulvere mitigatus, rursus o-
nnem suspicionem de calculo amo-
it: maximè cum in pube pondus nul-
m, & supinus decubitus deterior esset,
àm erecto corpore ambulatio. Ve-
cæ Capreti usum prædicat Ronseus
Diabete.

Cint.

—— *Cineres vel iunge Lycæi*
Vesicæ exustæ rorantis lacte capellæ,
vel potiùs Tauri. ——

Hujus veſicæ præparationem deſcribit Caſparus Nævius in ConſilijsCratonis lib.4. Conſ.19. Senex ille Nobiliſſimus, de quo modò etiam facta mentio, prædicavit apri ſylveſtris maſculi veſicam, tanquam præſentiſſimum remedium in ſtranguria. Miraculi enim inſtar ſe levamen ex ea ſentire adfirmavit. Si enim ejus pulveris tantum in vino accepit, quantum cuſpides duo cultri capiunt, toto eo die à ſtranguria liber fuit. At noſter Mercator nihil commodi ex ſimplici veſicæ uſu ſenſit, ſubſtituit itaque in pulvere prçſcripto veſicæ capreti. Poſt brumale æquinoctium anni 1622. dolor nec medicamentis ſopiri, nec leniri potuit. Medicis itaque fruſtra laborantibus explorationem per catheterem à lithotomo, quam hactenus omnes averſi ſubterfugimus, fato quodam adpetivimus.

Lithotomus impingendo inſtrumēto in calculos, pronunciavit juglande minorem adeſſe aliquem. Medici vocati, aliud, quàm operationem manua-

lem

lem quæ sectione fit, non esse auxilium unanimiter pronunciavêre. Æger audita hac sententia maluit uno cruciatu absolvere tot equuleo similes exacerbationes. Incisio itaque à lithotomo facta mense februario Anni 1623. & ex vulnere perinæi extracti sunt lapides tres minores, singuli pendentes drachmam semis, post hos tres majores, quorum unus erat ponderis ℥js. ʒß. alter ℥j. ʒiij. Tertius drachmarum decem; carebant aspredine omni. His sic exemptis feliciter cura vulneris inchoata & absoluta fuit, urina consuetum repetijt locum, sine molestia profluens. Supervixit biennium & menses tres, mortuus tandem apoplecticus annum septuagesimum secundum agens, anno Christi 1625. mense Maij.

SCHOLION.

Senibus est stillicidia & difficultates urinæ vitia sunt communia, teste Sene Divino Coo, 3. aph. 31. Quia aut acres humores ad vesicam descendunt, quos ferre diutiùs vesica jamdebilis nequit, ideoque difficultate quadam excernitur etiam illud quod minimum in vesica

est,

est, hinc guttatim mingitur: aut quia corpus vesicæ debile est, cujus mucus quo illinitur absumptus est, undè facilè serũ, quod natura salsum, sentit. Aut quia sphincter occludens vel aperiens vesicæ collum debilis est, aut à frigore externo, aut quia nervi resolutionem passi, aut quia virtus animalis debiliter descendit.

In nobilissimo sene acres humores, salsi & nitrosi abundabant, hi pedibus vitium œdematosum intulêre, & ulcera; vesicæ offensionem, abradendo ejus lẽtorem, quare stimulata insurrexit in hostem, ac guttatim cum domo exclusit. In nostro ægro dysuria frequentior fuit, profluxit stillando diu noctuque, qua vasculum canali urinario adplicavit, ne lectum cõmacularet, quia invitè fluxit. Ponderis in inguine absentia, ac doloris, nisi à mictione facta, in calculum caussam reijcere diminutæ, ac simul depravatæ mictionis non permisit: quare acres humores accusati, illis medicamenta opposita fuêre. Et licet arenularum proventus opem diureticorum flagitarent, nolui tamen fortioribus hostem propellere, ne in illud discrimen senem conij-

conijcerem, in quod Canonicus quidam *Hist*... S. Mauritij, Patricius noſtrâs, cui ex uſu fortiſſimorum diureticorum lapillus in canalem extra veſicam truſus, viam urinæ planè occluſit; Perinæo cui inciſo lapis ſatis magnus exemptus eſt. Senex vinum non declinans apoplexia obdormivit. Lenientia igitur & urinam fundentia juſſi eſſe pharmaca in noſtro ſene, haud ignarus quibus deſtillationibus hactenus obnoxius fuerat. Latebat etiã me illud quod in veſica locatum, nec ſciebam quale ipſi & quàm magnum corpus eſſet; ſcirem verò quàm crudele auxilium majori calculo deſtinatum ſit. In quod tamen, licet vehemens & crudele, conſentire coëgit acerbitas cruciatuum, & quod de lapide conſtaret certò. Medicamen Nobilis illius ſenis, quo imbecillitati veſicæ occurrebat, novum non eſt, licet Bavaricus quidam Ambrax edentulus id delirârit, quum Auguſtanorum Medicorum figmentum diceret. Sic enim canit Ronſeus.

Arcano quodam naturæ munere mirum
eſt,
Viſcera viſceribus paribus prodeſſe ſubinde,

Illico namque ferunt, tolli quoscunque dolores
Vesicæ, quoties Vrinæ κύστις edatur
Fœmina si scrophæ sumat, mas mandet aprugnam.
Idem vesicam ovis laudavit in diabete.
Aut paschalis ovis vestitæ vellere nigro.

Conservæ florum malvæ usus etiam nobis placuit, nec sine autore, ut videre est in Centuria VI. historia 58. Amati Lusitani, ubi maximis ad hoc malum decantatur laudibus. Loco diureticorum fortiorum, quæ acres rapuissent ad renes humores Altheæ radicis decoctum substitutum est.

Lectimingis in nostro Nosocomio familiaris est hic pulvis. ℞ Stomachi Gallinæ, mastichæ, galangæ ana ʒj. Agrimoniæ, oculorum cancri, alhimillæ ana ℈ij. capularum glandium ʒij. Nucis myristicę ʒj. Erinacei cum toto combusti ℥j. Sacchari albi ℥j. Omnia in tenuissimum pollinem redacta misceantur.

***



CASUS III.

[F]OETVS MORTVVS A MORtua matre sponte prodiens.

DEFECIT in partu uxor balneatoris in laudatissimo urbis nostræ balneo, à qua vicesima septima à mor[t]e hora cum sonitu mortuus prodijt in[f]ans. Factum 31. Augusti anno 1615.

SCHOLION.

EXemplum rarum, similes tamen leguntur hujus historiæ, apud Schen[k]ium. Non fuit causa motus violentus, [q]uum jam quieta per 14. ad minimum [h]oras jacuerit more patrio super asserē. [N]ec expultrix matricis adsurrexit ad o[p]us, defecit illa in vivente: nec infans se [c]ommovit, jam dudum mortuus, quod [e]x signis manifestum erat.

Placet historiæ huic aliam subnecte[r]e, de fœtu mortuo, & putrido exciso ex [v]entre matris vivæ, cujus historia Ger[m]anicè depicta à Medico Güntzburgē[si], mihi ostensa fuit, dedit sauciæ, nec *Historia.*

adhuc planè ſanæ, teſtimonij loco; ego Latio ſic donavi.

Ulmani Fabri incolæ Leinheimenſis in Marchionatu Burgavienſi uxor, nomine Barbara, gravida ſic benedicente Deo facta, nonum complevit menſem: eo dolores parturientis ſenſit, fuit is 27. Martij Anni 1623. ſed invalidos, nec labor parturientis, nec diligentia obſtetricantis quicquam promovit, manſit in utero quod enitendum erat. Nec ardentes preces, nec ſuſpiria lachrymis conſperſa Deum expugnarunt, niſi quod animam fœtus ad ſe vocarit. Cadaver uterum in tumorem ſuſtulit, & abdomen turgeſcere fecit, jàcens in cavo tranſverſim. Octo tranſierunt ſeptimanæ in quibus nil conaminis in excludendo moleſtum ſenſerit, nec dolores nec parturientium nixum. Vires matris interim labefactatæ à fœtu putrido, & fœtente hecticum corpus dederunt, ac ſi oſſa incluſa cuti eſſent. Adflicta ſingultientibus votis mortem inclamavit, & ardenter efflagitavit.

Conclamatis ſic & deploratis jam omnibus, miſericordia Dei eam reſpexit, & Marchioniſſam Burgavienſem movit.

t, ut ejus miserta in Hospitale recipe-
t Güntzburgi, ut ibi excideretur pu-
idum, quod matri necem minitaret.
uo igitur chirurgi, consilio submini-
rante excellentissimo Domino Ada-
no Hebich Medico clarissimo Illustris-
mæ principis viduæ Marchionissæ in
ünzburg, ventrem infra umbilicum
ansversim ad pubem versus aperue-
int, in qua regione jam signa apertionis
ventre à putredine conspiciebantur.
nfans putridus & solum ossibus ac cal-
aria cognoscendus exemptus fuit, lo-
us vulneratus mundatus, consutus &
onvenientibus medicamentis tracta-
is, & jamjam curatus, nisi quod ad con-
olidandum reliquum, opus habeat po-
ùs emplastris cicatrisantibus, quàm
anu medico. In festo ascensionis Do-
nini eo anno factum est. Subscripserat
ledicus, Adamus Hebich, & data erat
pistola 30. Maij 1623. Fuit nobiscum
æc adflicta, visa à plurimis, epistolam
stendit, cujus descriptionem Latinam
sse volui, tradidi tibi amice lector ea
ua accepi fide. Rousseti tractatus &
eram esse, & sæpius accidisse, ostendet,
mulque docebit operationis modum.



CASUS IV.

VENTUS EX UTERO EXclusus.

QVÆDAM nostrâs uxor textoris biennio gestavit uterum; persuadebat sibi primum vivum inesse utero fœtum: at legitimum partus tempus prætergrediens, sententiam mutavit. Varijs consilijs usa, quid in utero latitaret, ex nullo tripode certum oraculum. Tandem biennio elapso, cum dolore parturientium simili, ter pepedit, ut cum Poëta loquar, seu ut ipsa expressit, ter cum maximo conatu flatum ex utero per pudenda exclusit. Ei adhuc cum flatibus torquentibus conflictus. Retulit ipsa 27. Jul. 1617. cum alterius causa urinam adferret, ut essem ex matula ob paucos obolos vates.

(*†*)

*

SCHO

SCHOLION.

A Flatu seu vento negat Felix Platerus molam prodire, quam ventosam vocant Tract.3.lib.1.c.3. quum mola aliquod novum sit procreatum in utero; flatus utero inclusus novum non sit genitum, sed aliunde irrepens. Quare inflationem uteri posse vocari adfirmat, negat molam. Hanc non fieri nisi ab aëre externo, idque maximè post partum, dum internum orificium uteri adhuc amplum & apertum est; in uterum qui irrumpens, eum implebit, & distendendo dilatabit. Alio tempore cum uterus ante conceptum parvus sit & crassus, cavitasque illa quàm semen in conceptu implere debuit, admodum angusta, aër externus illum ingredi nequit. Nec flatus intrinsecus geniti ad dolorem eum distendere poterunt, quia uterus crassus est, qui non nisi à copioso distendi potest. At tàm copiosum flatum ex qua materia procreabit natura? Paucum illud sit quod cavitatem angustam illā ingreditur, at ex pauco, nisi nutriatur, magnum vix fiet. A quibus autem flatum nutriri aut augmentari dicamus? *An mola ventosa.*

Videatur Tract. 2. c. 13. Multa sanè praeclara monstrat hoc Apollineum lumen; non tamen fabulas decantasse alios autores opinor. Est in manibus Campani carmen in Acciliam, Poëticam libertatem vocitarem;

Laxo poplite, cruribus levatis
Lucinam geminans, quater pepedit:

ni Schenkius in suis mirabilibus autorum agmen citaret, qui exemplis illud demonstrant; Marcellum Donatum, Dodonçum, Valescum de Taranta, Matthæum de Gradibus. Rodericus à Castro adfirmat intrinsecè uterum inflari posse; argumenta hujus sententiæ ex lib. 2. de Morbis Mul. cap. 22. subjungere placet. Primùm, quòd uterus non solum sit locus generationi dedicatus, sed etiam talis per quem purgatur corpus; quare facilè aliquid alieni adfluet eò. Secundò, quia innatus ei calor, æque ac alia cavitas flatus generabit. Tertiò, conqueri mulieres de distentione in pectine, ubi situs uteri; & de pungitivo inibi dolore, qui utero ut nervosæ parti proprius. Quartò, Hippocratem inflationis uteri curationem docere, & signa Diagnostica monstrare, lib. 2. de

Morbis

Morbis Mulierum circa finem. Subscribit Aëtius Tetrab. 3. Sect. 4. cap. 78. flatusque gigni adserit, aut ex grumo sanguinis, aut alia materia. Rodericus à Castro, molam ventosam ex morbido semine fieri vult, Lib. de Morbis Mulierum, 3. cap. 8.

Sanè uterum quod extendere & inflare debet, cavitatem ejus ingrediatur, incrementum recipiat, aliàs non distendet. Amplior in quibusdam est mulieribus uterus, vel à natura, vel ab humiditate relaxatus, & illis qui sæpius conceperunt non ita crassus, adque dilatandum aptus. Prout igitur cavitatis uteri spatium est, recipietur materia; quæ si violenter irruit, ut est Aër externus, violenter etiam distendet; at quod sensim augescit, & uterum dilatat, qualis est etiam mola ventosa, parvum initiò habebit corpus, & incrementum ab aliquo alio accipiet. Quod autoribus semen est morbosum, in utero hærens præter naturam, exutum vi & virtute plastica. Otiosum hoc semen calor uteri fovet, mutat, & quia seminis natura inspirituosa & tenuis, non

putrefaciendo corrumpitur, ſed attenuando in aëreum corpus attollitur. Retentrix igitur uteri vis ſemen intemperie morbidum, & inhabile ut producat hominem, occluſum diutius retinet ac fovet, calor corrumpit, & elemento aliquo ſimile producit corpus, quale Aërium putatur. Cum verò ſeminis moles, etſi ab ambobus decidat, parva ſit, uterum diſtendere non valebit, ut abdomen attollat, & gravidationem mentiatur, niſi ab aliquo foveatur, & incrementum ſumat. Denegat ſanguinis ei adfluxum Mercatus, nec ſine ratione, quum is per vaſa umbilicalia, quibus hæc mola privatur, deferatur ad embryonem, ex uterino hepate, quo etiam caret. Hippocrates tamen noſter, lib. de Natura Pueri, non reijcit menſtruorum adfluxum, audiantur verba autoris. Quæ ultra de-
„ cem menſes utero geſtare ſibi viſę ſunt,
„ eæ hoc quem referam modo, falluntur.
„ Cum uteri à ventre flatum ſuppeditan-
„ te diſtenduntur & intumeſcunt: tunc
„ mulieres ſe concepiſſe exiſtimant. Et ſi
„ menſes minimè prodeuntes in uteris
„ collecti fuerint, longioremque moram
fecerint, ſubinde alij eò confluunt, in-
terdum

terdum quidem flatibus, qui à ventre "
procedunt, permixti, interdum verò in- "
calescentes. Tunc quoque sanè non pro- "
deuntibus mensibus, & in tumorem "
sublatis uteris, mulieres utero sibi gesta- "
re videntur. Deinde quandoque men- "
ses sua sponte erumpunt, aut cum alij in- "
super ad uteros ferantur, & priores de- "
turbent, etiam flatus egreditur &c. His manifestum falsam ingravidationem Divino Sene nostro à flatibus fieri; Flatum verò recipi à ventre interdum in uterum; vel à collectis in utero menstruis gigni, qui augmentum ab adfluente sanguine flatuoso seu flatibus permixto capit. Rationes sunt, quia menstruus sanguis retinetur ad uterum, deinde sensim alius adfluit sanguis; ad quid enim adflueret si non incrementum daret flatibus. Denique, quod sanguine ex utero effluente simul flatus prodeunt, ac si defecisset nutrimentum. Quæ sive Hippocratis seu Polybij mens, augmentum flatuum ab additione vult; non placet quod ex menstruo generatos adfirmat, Cum sanguis extra vasa pu[illegible]rescat, non in flatus solvatur: exque semine aliquid solum novi gignatur, quamvis citra cō-

mistionem seminis, & mulieris & viri nihil nasci queat, unde nulla mola ex uno semine prodit: Nec defendi potest à menstruo flatuosam molam foveri, augeri ac incrementum capere, quamvis negare non possim flatuosum sanguinem in uterum fluentem molæ molem augere posse, & reliquum sanguinis crassioris in grumam abire, cum aqua spirituum mater humidum, seu aqua, teste Hipp. lib. de Natura pueri. Non retulit ægra an siccus flatus, an cum grumis, aut mensium diuturniori fluxu reliquerit hospitium, quare dubius quid asserere possim, manum de tabula.

Innumeras molas deyci. Historia.

Placet subijcere de carnosis molis quædam singularia. Negavit quidam uno abortu plures excludi molas. Vidi ego uxorem juvenem abortientem innumeras molas. Præcessit eas embrio inclusus suis membranis, hunc uber sanguinis fluxus, carnosaque mola secuta. Debili & prostratæ, manus medicas reficientes porrexi. Sensit hæc sequentibus diebus pondus quoddam in utero; lochijs suppressis adscri-

adſcripsêre mulieres, quare drachma unâ ſæpius repetita pulveris hyſterici promovere voluerunt, (extat hujus deſcriptio in Diſpenſatorio) prodiêre lochia, & numerus molarum carnoſarum, ſed exiguarum, quæ referebant renis figuram, nec longitudine primi articuli pollicis, & latitudine majores erant, ſingulæ proprijs membranis veſtitæ; quodam cum appendiculo, quod vas umbilicale fœtus referebat. Non prodibant ſine conamine parturientium ſimili. Cum pondus eorum exitu circa pubem non ſublatum eſſet, peſſarium præſcripſi, ex quo innumeræ aliæ prodiêre ejuſdem figuræ, ſine copioſis lochijs, primis circiter ſeptimanis duabus. Purgato corpore ad thermas exiccantes miſſa prolifica mater redijt, & ſana multis annis eſt. Semini ne copioſo, aut ſucco nutriēti luxurianti adſcribam ſarcoma, Platerus, qualem adfirmat producere, non habeo, quod dicam.

Sic Aurifabri cujuſdam uxor, corpore, ut videbatur, plethorico in juventute, cujus habitus ob multos abortus in cacochymicū aliquo modo declinavit, *Historia.*

deci

decimatertia ſeptimanâ à conceptione abortivit embryonem cum lochijs convenientibus, purgationis diebus abſolutis, vacuum ſe habere uterum putans, ad conſueta redijt officia domeſtica, at paucis ſeptimanis elapſis, vivam in utero moveri ſenſit infantem, quam juſto tempore enîxa eſt, cum duabus molis carnoſis; hepar uterinum corruptum ac putridum erat, lochia copioſa, ichoroſa, fœtida, ac putrida, grumi ſanguinis plures, febris continuè fatigans, quamvis non ardens, Epileptici inſultus, tandem ſeptimo decimo à partu mors.

Hiſtoria 1626. Hoc anno quædam ex plebe duos infantes vivos peperit, & poſt duas ſeptimanas duas molas carnoſas, & poſt infantes ſtatim grumos ſanguinis duos. Satis hæc commodè vivit.

An in virginibus molæ generetur. Hiſtoria. Molam in matribus familiâs, quibus vir ad latus cubat, impiger ſolutionis nocturnæ, gigni non mirum, at in virginibus, monſtrum mihi videtur. Retulit mihi Collega honorandus, Excellentiſſimus D. D. Verbezius, in gynæceo quodam Generoſæ, virginem eſſe, quæ ſingulis menſibus cum menſtruo carnoſum quid, inſtar molæ deponit. Virgi-

nem

nem esse his mihi persuasit rationibus. Primum quòd generosa in suo gynæceo ignoret virum; Secundò, quod virgo nõ exuta sit honestis moribus, nec de integritate ulla sit suspicio. Tertiò, quia singulis mensibus quasi eijcit. Quartò, quia ipso Thersite non sit venustior. Mercurialis lib. 1. cap. 3. Molam fieri eodem modo quo caro, cujus origo non est semen, sed sanguis. Multo itaque sanguine ad uterum fluente fit mola, quia sanguis globatur ab utero, qui deinde ab alio influente nutritur. At si uteri corpus in virginibus consideratur, & exigua ejus pensitatur cavitas, in utero has gigni molas mihi vix persuaderi patior. Cum manifestum, menstrua, in purgatione virginum in uterum non fluere, sed ad collum ejus, & ex hujus vasis deponi. Videatur historia Columbi. Et licet illis concedam, qui scribunt in uteri fundũ ea ferri, id facio, quia pernegant molas fieri sine semine. Quod si fœminarum semen causare has molas concederem, quod aut attritio, aut solax imaginatio promovit, quod invitis illis virginibus negant esse insolens, audio tamen Rodericum a Castro negantem semen

fœmi-

fœmineum ex mẽte Hippocratis efficax esse ad producendam molam, quia paucum, frigidum, & humidum. Et ut ex albumine & vitello ovi generatur nihil, nisi accedat galli semen; ita ex semine fœminæ, & menstruo sanguine nihil producitur: sed quod uteri calor cubans, fovens ac transmutans agit, corruptio dicenda est, non aliquid novum generatum. Sine siquidem commistione seminum viri, & mulieris nihil nasci potest, Tract.2.c.3. F. Plateri. Concludo itaque cum his autoribus molam non nasci, nisi ubi commixta sunt viri & fœminæ semina; virgines has mixturas ignorare, quæ & hæc loca inviolata habere debẽt. Itaque non malas à virgine excerni hoc puto, nisi aliquis hymenæum furtivum ei canat, de quo suspicio esset mala; quod singulis mensibus vix fieri potest; sed grumos sanguinis compactiores; qui in cervice uteri æq; colligi possunt.



CASUS V.

MORTUUS INFANS CUM *pendulis intestinis, involucro vasorum umbilicalium inclusis, extra abdomen.*

VXor cujusdam lanij, qui intestina mundata cum annexis visceribus separatim vendit; nobis Kuttelwäscher/ peperit infantem integrum & perfectũ, sed mortuum; cui intestina cum omento per umbilicum ex ventre propendebant, involuta & tecta membranis ijs quibus vasa umbilicalia involvuntur. Mater toto gestationis tempore ægra, tempus consuetum prævertit partus.

SCHOLION.

IMaginationis in fœtu deformando sæpè major agilitas quàm utilitas: Extant hujus rei exẽpla apud autores plura. Memorabile est illud quod magnus Sennertus describit lib. 4. cap 4. de Febribus; quod Pragæ visum 17. Julij anno

1610. Natus enim ibi fuit puer quoad alias partes ſanus, verùm inteſtinis, hepate, ventriculo, liene extra abdomen (viſcera apud noſtrum non aderant) cujus tamen cutis divulſa non fuit, propendentibus. Cujus depravatæ conformationis cauſa fuit imaginatio, quam mater cõcepit tribus aut quatuor ante partum menſibus, cum vituli mactati inteſtina, & viſcera ex abdomine aperto propendere vidiſſet. Sic & noſtrę quotidiè ob oculos erat totum illud quod ex abdomine ſeu ventre bobus eviſceratur, inteſtina nempe, ſumen, ventriculus, viſcera. Impreſſit hæc imaginatio illi quod in utero gerebatur, ita ut miſer infans exta pendula ex umbilico monſtraret, quæ natura in ventris cavo voluit eſſe abſcondita. Quomodo hoc fiat, doctiſſimæ rationes apud Autores legi poſſunt, ego poſt Homerum Iliada ſcribere nolo.



CASVS VI.

EXTVBERANTIÆ STEATOmatosæ glandularum Mesenterii cum pustulosis vesicis serum continentibus.

QUIDAM ex plebe pauperculę, triennio multis doloribus in abdomine vexatæ, hoc anno in molem venter assurrexit, qui distinctas extuberantias seu tumores monstravit. Mulieres plures in utero latitare fœtus imaginabatur sibi, maximè cum mater motum infantis in utero sentiret. Partui vicina exacerbati sunt in abdomine dolores, qui post enixum infantem debilem, ut qui à baptismo paucis expiravit horis, non desiêre; medium tamen abdominis in se concidit, inæquali remanente ventre, cum latera turgida, & in tumorem sublata extuberarent. A partu lochia nulla, dolor ventris ingens adhuc, tumor minimè decrescens, sed adcrescens indies. Nescio quæ ipsi medicamenta oblata sint, ad molam ejiciendam, at defecit misera tandem, ce- *Peperit medio Augusti 30.*

expiravit. 1. Septembris sectio eius instituebatur 1625.

dente anima doloribus, & extincto calore, privato suo humido; tota utpote emaciata. Singultibus crebris efflagitavit sui cadaveris apertionem, ut causa suæ acerbitatis in apricum veniret latẽs. Mos geritur, secatur cadaveris abdomen, nec difficile erat, quum musculorum caro contabuerit exiccata. Aperta itaque cute cum peritonæo, quod lacerum & erosum ab ichore bilioso apparuit, serum effluxit bile tinctum, & duæ moles globosæ in conspectum veniebant, quæ peculiari investiebantur tunica, adhærentes mesenterio, à quo mutuarunt cingentem membranam; quæ subdura erat, & hinc indè pustulosis vesicis luxuriabat, plenis sero. Discissis his molibus serum effluxit primò multum, quo distensæ fuerunt duplices membranæ & infarctæ, ut in tantas moles assurgerent; deinde glandulæ adparebant multo ac copioso cum adipe, materiæ steatomatis non absimilis. Cavitates quas in ventre hæ moles non replevere, eas serum occupavit. Madebant eo omnia quasi in ventre contenta inferiori, quæ etiam ita corrupit, ut fœtor diligentiorem inhiberet indagationem.

Excrescẽtias has glãdulosas utrinq; à mesẽterio pendisse principiũ verò in lũborũ vertebris sũsisse: monebat D. Geiselbrõner.

Exi-

Exiguus uterus, hepar flaccidum, luridum, ejus cystis turgida, & infarcta crassiori felle, Lien exiguum; Pulmones sicci, & lituris gangrænosis maculati; sanguis paucus, & non nisi in magnis circa cor vasis ater prodijt. Cadaver totum exangue videbatur, & caro musculorum omnium consumpta; contabuit enim misera, & cutis ossa, & nervosas partes degebat. Glandulosas extuberantias facile erat sectione à mesenterio removere, ideoque eas separatim secuimus.

SCHOLION.

Mesenterium multorum morborum focum esse secunda decade multis autoritatibus evici; hæc historia ejus monstrosam fœturam exposuit. Casparus Bauhinus magnus ille Anatomicus, p.m. glandulas mesenterij scyrrhosas fieri scribit, illas sequi corporis absumptionem. Fuit tumor hujus emortuæ non scyrrhus, verùm glandulis supercreverat quædam pinguedo, aut adeps, qualem in steatomate observavi, quibus serum copiosum cōmixtum erat, quod distendit membra-

nas investientes, & in vesicas quasdam sustulit; ex quibus & transudavit in cavitates. Moles verò una altera major erat: sinistræ partis minor dextræ, ponderis aliquot librarum, magnitudine capitis infantis trimestris circiter. Scribit felicis memoriæ Felix Platerus, se in mesenterio porcorum vesicas aqua plenas adnatas vidisse. Aretæus lib. 4. cap. 1. hydropis quandam describit speciem, ubi ex vesicis aquæ plenis abdomen intumuerit. Cordęus comm 5. ad lib. priorem Hippocratis de mulieribus, miram historiam de vesicis adnatis, omnibus partibus in abdomine contentis, ad numerum octingentesimum, quibus omne cavum repletum fuit, quę ventrem attollebant, ita ut ascitidem mentiretur; annotat. Habet & Anholzius observationem de vesiculis sero refertis, & pinguedine peritonæi adnatis. Lieni, Hepatique vesicas amplas, & latas vidit adnatas Felix Platerus. Tumorem fungosum hepati adnatum in puella hydropica idem observavit, ex quo serum putat destillasse. Moles seu extuberantiæ nostræ ægræ ex genere tumorum illorum erant, quibus plura insunt corpora,

pora, accessit tamen quàm proximè ad steatomatis speciem. Consistebant ij in mesenterio, cujus duplex membrana, sero impleta & infarcta erat, ut in tantam molem distenderetur, qua secta & sero emisso glandulæ, & copiosus adeps conspiciebatur, ut observavit mecum Doctissimus collega Dominus Doctor Lucas Byler; qui referebat, cum peritonæum secta cute lacerum, & serosum ab Ichore bilioso conspiceret, se recordari ante annos tres in consilium vocatum fuisse ad puellam quandam septem annorum, quæ & consumpta, & dolores patiebatur circa umbilicum. Quam mulierculæ à lumbrico cui nomen indigitant, & vulgò vocant den Geitzwurm/ rodi existimabant, ea propter fundulos tribus vicibus adplicuerunt, quos à lumbrico consumptos putabant. Cum verò rem penitiùs consideraret, putrefactos potiùs (ob fœtorem ingratum) vidit, quàm à lumbrico voratos; Tertio die puellæ defunctæ Cadaver ipso præsente fuisse apertum, secta cute peritonæum eodem in loco quo dolores patiebatur vivens, à sero acri & bilioso

erosum fuisse conspectum, qui à lumbrico excitati putabantur. Quæ Bylerus.

An verò hæ excrescentiæ hydropem asciten causarint in ægra nostra, non decido, A malo habitu omnes species hydropis procedere testis est Aretæus. Et sanè paupercula hæc, malum habitum, imò hecticum habuit, in quo nulla viscera carebant labe. Excrescentiarum harum causas fateor me ignorare, ut qui viventem non videram unquam: illas puto tensivos dolores, ichorem acrem lancinantes causasse.



CASUS VI.

MENTUM IN MONSTROsum tumorem tuberum excretum.

Venit in Nosocomium 1622.

MENTUM cuidam seni mulieri, Barbara Mengin dictæ, adeò excrevit, ut mediam ulnam Augustanam in longitudine & latitudine etiam adæquaret; duritie scyrrhum repræsentaret. Pars dextra gingivarum increvit, & ex ore ad pu-

ad pugni vel ovi anserini magnitudinẽ excrevit. Qui tumor ulcus cavum ac profundum habuit ad medij digiti longitudinem, eo in loco ubi dens evulsus fuit: hoc cibus humidus, & potus eo adpellens formavit. Tumor menti fuit durus, & renitens, concolor, & solum dolens ob pondus: at gingivarum laxior. In mento exulceratio nulla, nisi ubi ab adpellente attritum fuit. Excrevit tandem in ingentem molem, & oris introitum quasi totum occupavit, mors itaque lenta superveniens doloribus eripuit. Aperto tumore, in cadavere caro nulla fuit visa, putredo nulla; sed quod excrevit steatomati seu natæ Italorum simile fuit sævum referens; Tota moles pendebat resecta à corpore libras sex ponderis Augustanorum, & quartam partem libræ, quod sunt Unciæ centum.

SCHOLION.

MOnstrosum hunc tumorem cur in numerum Natæ Italorum posuerim, paucis exponam. Retulit ægra sensim admodum tumorem hunc accrevisse; primordia sumsisse in ore. Cum enim primum senium ingressa, serviret quibusdam patritijs & mercatoribus in coëmendis varijs, & majori onere carnis pondus ex macello portaret, sensit aliquid in ore distendi, seu ut vulgariter pronunciavit, rumpi, quod ob absentiam doloris planè neglexit. Gingivarum itaque pars dextra luxuriare cepit, ac in tumorem attolli, intumuit, & simul mentum cujus cutis æqualiter in latitudine & longitudine ita ab succrescente distensa fuit, ut intra annum monstroso tumore extuberaret; Qui purus erat admodum, ut scyrrhum mentieretur, eum tractare nolui, cum in nervosis locis scyrrhos tractatos in cancrosa degenerasse viderim ulcera. Nec Chirurgus manum admovere voluit, qui negavit se toto cursu praxis suę chirurgicæ, qui fuit annorum sexaginta quatuor, talem tumorem conspexisse.

M. Iohãnes Vndersinger. p.m.

Magna

Magna verò hæc moles, & monſtroſus tumor menti nullam læſit facultatem, quamvis extuberans ex ore gingiva cibi introitum præpediret. Dolor nullus niſi à pondere, renitentia & duriries ubi ubi tãgeres, ſola caro gingivarum luxurians mollis erat, concolor, tamen ob diſtenſam cutem vaſorum divaricationes oculis expoſitæ erant. In exulcerata luxurie gingivæ fœtor ex aſſumptis.

Diſſectus, à morte ægrę, tumor, ſpongioſum album erat quod accrevit, ſævum compactum referens, ut in abdomine & renibus bonum videre eſt, ſine ulla humiditate; Cavum quod erat à dente exempto relictum, illud continebat, quod ex potu & cibo eo declinavit; partes verò ejus nec erant humidæ, nec putredinem paſſæ ſunt.

Peccetius lib. 1. cap. 28. Natam ex genere tumorum ſteatomatum eſſe ſcribit, oririque in omnibus corporis partibus, eandemque cum illis agnoſcere cauſam. Steatoma verò tumorem eſſe exprimens ſaniem ſævo ſimilem, ob pituitoſum humorem ſenſim lenteq; auctum, coadunatum & induratum, ſeu in ſub- *Nata qd?*

substantiam sævo similem coctum. Idem c. 25.

Et hanc natam in nostra ægra fuisse steatomatosum tumorem ex Pauli descriptione lib. 6. cap. 36. adfirmare possumus, quia ejus contentum, sevo simile fuit, tumor ipse durior, ac ad tactum renitens, fundum solidiorem habens, maximè ubi adhæsit incurvationi maxillæ. Aëtius Tetrabibli 4. lib. 3. cap. 8. Steatoma ait esse tumorem adipem in se continentem, mole tuberum, concolorem, & ad tactum lenem, in principio quidem pusillum, sed temporis progressu ampliatum. A meliceride & atheoromate discerni tactus mollitie, quod videtur cum mente Pauli pugnare; qui ait dignosci steatoma à reliquis abscessibus, quod durior sit illis, & ad tactum renitens. Sed Aëtius mollitiem hanc respectu strumæ potiùs intelligit, quàm Atheoromatis & Meliceridis. In causa omnes chirurgi cōsentiunt, quod ab humore pituitoso prodeat. Mihi videtur Platerus noster propiùs accedere, & veram causam adsignare Tract. 3. cap. 3. in titulo de causis: ubi succum nutrientem crassiorem horum abscessuum

Causa nata.

cau-

causam ponit: peccantem vel qualitate, vel quantitate. Ut enim ejus symmetria ad alendas partes adprimè conveniens est, sic ejus ametria earum substantiam depravat. Natura adpulsum siquidem succum cum discutere nequit, quia aut uberior, aut corruptus, mutare adgreditur; in sano corpore adpositione decenti, in ægro indecenti: Humor itaq; alibilis seu nutrimentum hoc adpulsum vel adhæret, vel adnascitur, vel innascitur parti, quare ipsa incremētum sumit, non dissimile sibi ipsi colore, quum illud quod adponitur succus sit familiaris, & similis ei parti cui adponitur, & quasi alimentum, sæpiùs sola copia luxurians, adferens secum mollitiem, aut duritiem, succus siquidem hic, est alimentum, tertiæ coctionis soboles, cujus peccatum nullum aliud, quàm quod crassius est, aut tenuius, aut copiosius. Nostræ ægræ ideò album erat, & crassū ac durum, quod Alimentum hoc futurum luxuriabat circa nervosas & osseas partes, illorumq; futurum alimentum erat, unde & membranæ ex eo generatæ sunt, quibus humor inclusus cohærebat. In scyrrhum non abijt, quia calor


coquens

coquens harum partium fuit in alimentum, ut sic loquar, adpositivus, non indurans, qualis ad scyrrhi perfectionem requiritur: quare ex adpulso quotidie alimento, in molem excrevit pars: & quia succus familiaris fuit, qui sensim non ἀθρόως in illum locum fluxit, indolens mansit. Rectè porrò nos non manũ adhibuisse docemur illo Peccetij lib. 1. cap. 28. Nata quæ vasis est implicata, nullo pacto attingi debet, propter periculum, quod sanguinis hœmorrhagiæ inest.

Historia. Memini me in Italia in quodam ordinis S. Francisci in Collo natam eximi vidisse, quam magna hœmorrhagia, has mors excepit. Nos non hujus causa, sed quia à nervosis partibus non pendula fuit, sed ita firmiter adhæsit, ut ipsum mentum esse videretur; spasmum itaq; & calumniam declinare decrevimus.

☞ FIGURA MENTULÆ ☜ MONSTROSAE.

CASU






FIGURA MENTULÆ MONSTROSÆ.





CASVS VIII.

MENTVLA MONSTROSA.

CONSISTENTIS vir ætatis, habitus crassi, sed cacochymici, ruber facie monstravit in Nosocomio monstrosam mentulam, verrucis prægnantem innumeris, acinos botrys adglomeratione æmulantes. Pars quædam tumida, renitens, cuti concolor, instar globi rotunda abdomini adhærebat, quæ capiti modò nati infantis magnitudine respondebat, hæc carebat verrucis. Coles ad stuporem magnus, tumidus, longitudinis cum scroto circiter ulnæ Augustanæ. Præputium retroactum circa glandis radicem, nescio quem tumorem cristæ dedit, qui copiosis, subfuscis verrucis luxuriens, glandem instar collaris moderni, quod ex multiplici panno ad fimbriam flocculis ornato, conficitur, ambivit. Glans tuberosa, & in vesicam quasi sublata, palma fuit longior, & pugno major, ob ligamentum aliquo modo retracta, quam verrucæ obtegebant

A. B. C. D.

copio-

coppiosissimæ, quales in collo gallorum
Indicorum conspiciuntur, cum furor
cos agitat. In hoc tuberoso virgæ capi-
te sinus fuit repertus, in cadavere disse-
cto, in quem è pene defluxit serũ. (Ab-
erat enim corpus penis à scyrrhoso hoc
excavato tumore spatio verè trium di-
gitorum), quod per foramen saltim stil-
lavit, at canalis ligneus, quem panum
2. vocant, (ein kleine lehren/) immissus, li-
berè & adfatim fluxit, omne id quod ex
vesica eo depositum fuerat. Intrusit &
eum & retinuit sine aliquo dolore. Cor-
pus penis non intumuit, ut sectio do-
cuit, sed quod ambiebat testes & colem,
scyrrhosum pro hospite tumorem re-
cepit, ac innumeros in superficie cutis
luxuriantes monticellos verrucarum:
Undique enim compressæ copiosę, par-
væ, duræ ac arctè in se invicem glome-
ratæ ac connexæ pustulæ, verrucis myr-
mecijs non dissimiles, cutem colis &
scroti ambiebant, vestiebant ac coope-
riebant. Scrotum ipsum durum, reni-
tens, extensum magnitudinis capitis vi-
ri, tuberosum, inæquale, quasi hernio-
sum, ac si sarcocele universi scroti esset.
Cutis superficies verrucis copiosissimis
tege-

regebatur. Monſtroſiorem mentulam vidi nullam, quam mirabantur & collegæ honorandi, ac chirurgi exercitati. Cum miles eſſet, quibus Venus ludo eſt, & ſcortari ab eis non alienum, luis venereæ credebatur ſoboles, at Medicus & chirurgus ejus Noſocomij miſerum ad me ablegarunt, cum nullam aliam haberet labem. Vulnus ante plurimos annos in bello glans penis accepit ab haſta, quod neglectum, fungoſa contraxit labia: quæ tamen non potui obſervare. A glande præputium vi fuiſſe retractum retulit, quod tandem in verrucoſos intumuit monticellos. Scio monſtroſiorem fuiſſe hanc mentulam, quàm meus depinxit calamus, aut delineatio alterius pingentis. Hæc mentula reſecta 1626.
à corpore, adpenſa ad libram, & diſſecta fuit, cum miſer anno hoc in Noſocomio ex cachexia hydropica expiraſſet.

SCHOLION.

MOnſtroſo & tubero mento, men-tulam ſubijcio menſtroſam, cujus diſſectionem ſubijcio paucis. Daniel Geiger Medicus & chirurgus, Doctor, hęc ſcripſit de hac Monſtroſa mẽtula. Quod nuper] me diſſectioni ſcroti alicujus monſtroſi intereſſe paſſus ſis, Vir.E.gratias quas poſſum maximas, memorabilis certè, nec mihi unquam antea viſus fuit adfectus. Quod verò etiam ex me, quid illic obſervarim, ſcire deſideraſti, neſcio an tuo iſthoc deſiderio ſaltim ex parte ſatisfacere queã &c. Videtur autem tumorem illum ſcroti præter naturalem puſtulis verrucoſis; (verrucarum nomen huc quadrare omninò mihi perſuaſum habeo; quid enim verrucę nominis ſit, videre eſt apud Fr. Peccet.lib.1.cap.33.p.47.) parvis, copioſis, ac arctè invicem compreſſis, in circumferentia, ſeu cute refertum, planè ſcirrhoſum fuiſſe, ſuamque originem & incrementum à pituita quadam craſſa, lenta ac indurata traxiſſe. Galenus enim (quod E.T.me non monente optimè novit) duplicem conſtituit ſcir-

rhum,

rhum, unum durum, indolentem & pertinacem, renitentem, ex humore melancholico naturali oriundum: alterum verò subdolentem ex crassâ & glutinosâ quadam pituitâ provenientem. Hanc si ego distinctionem cum nostro tumido scroto conferam, vix me falli puto, si & illud scyrrhum minus exquisitum, (vel si confidentiùs paulò loqui liceat, scirrhum œdematosum. [Peccet. cap. 29. p. 377.] seu œdema scirrhosum dicam) qui à pituitâ crassè glutinosâ, & lentâ suum habuerit principium indigitem, quod verò sequentibus evidentiùs patebit. Nam primò huic meæ opinioni non ægrè, prava victus defuncti ratio, & cacochymica ejusdem corporis dispositio, subscribere videtur. Secundò, materia in illo tumore contenta, quæ subcandida, crassa, glutinosa, & pinguedinis instar solidioris indurata, uberi vaccino simillima fuit, adeò ut non tantum videri, sed & sectione audiri potuerit. (Es hat gekrüstlet / wie ein hartes Kühe eyter) Tertiò locus; scyrrhus enim uterq; partibus utplurimum corporis siccioribus & durioribus (Peccet, cap. 29. p. 376.) utpote ligamentis,

tendonibus ac musculórum capitibus accidere solet, rarissimè mollioribus. Hic autem præputium halbardachâ ictu læsum, & temerè neglectum, fluxionem primò recepit, à quo tandem crescendo malum, ad scrotum etiam & proxima vasa spermatica devenit. Est autem præputium ceu universa totius corporis cutis ex genere spermaticarum seu nervosarum, adeò ut eam ipse Galenus, nervum sanguine præditum nominarit. Quartò, principij & incrementi ratio: Incipit enim primò (ut modò dictum) in præputio, ab hoc sensim sese extendendo totum occupavit scrotum, quod scyrrhosorum minus exquisitorum certum signum. Peccet. c. 29. p. 379. Quintò, forma externa; fuit enim tumor magnus, immobilis, durus, & pilis carens. Peccetius ibid. Sextò color, concolor enim fuit, & corporis seu potius scroti vivum colorem retinuit.

Ex quibus certè plusquam satis patet, tumorem hunc verè scyrrhosum, sed minus exquisitum fuisse. Ego quidem valdè dubito, an non etiam tenuissimæ huic pituitæ, melancholici succi quid commistum fuerit, ratio dubitandi hæc

est,

est, quod color dissecti tumoris mihi quibusdam in locis plumbeus, vel saltim ad plumbeum inclinans visus fuerit, & in testiculis (quibus tamen utrisque duæ exteriores tunicæ, ἐλυτροειδὴς & ἐρυτροειδής, quantum ego quidem cernere potui, defuerunt) humor quidem ater & fuscus latitarit, ac venæ & arteriæ dissectæ cruorem valdè crassum, nigrum & siccum quasi extillarint. Non vererer hunc tumorem etiam carnosum dicere, cum ipse Peccetius lib. 1. cap. 23. p. 330. strumas seu glandulas (quibus tamen eadem ferè cum nostro tumore materia est) non tantum scyrrhosos, verùm etiam ex Aëtio carnosos vocet tumores. Et hæc paucula quæ nuper in dissecto scroto notavi, habui, quæ T. E. tradere volui. Delineationem verò prædicti scroti, jam præmisi. Congruit autem cum ea scroti forma, quam antè plures menses, cum illud primò inspicerem, habuit. Quæ Geigerus noster Collega medicus; cujus delineationem, utpote congruam, te privare nolui amice lector.

Color fals. humoris causantis testis mihi.

Cum hic æger hoc anno 1626. mense

Novemb. die 18. mortuus esset in noso-comio nostro, quod pijs eleemosynis sustẽtatur, cachecticus, & jamjam ad hydro-pem pede lento gradiens, cum pedes ejus jam sentirent molem, pectus angustiam, anxietatem, & spiritus sublimis esset ac difficilis, placuit cadaveris monstrosam dissecare mentulam, quam à corpore resectam, & phalangi adpensam, librarum pondus habere cognovimus quatuor & medium. Cute sectione aperta penis, adparuit corpus albidum, compactum, durum, renitens, cuti firmissimè adhærens, quod ad corpus usque penis dissectum, ipsum integrum consuetæ longitudinis & latitudinis adparuit; facilis ejus à tumore scyrrhoso erat separatio; glans penis fuit exigua colore albida, sed ejus cutis globosa, in tumorem extensa, in superficie tuberosa, verrucosa, seu innumeris verrucis invicem compactis supervestita, intus sinum quendam habuit, qui videbatur in scyrrhosa illa duritie insculptus, in quem penis ab hoc sinu longius retractus, serum deposuit, quod per panum ex corpore exijt.

Tumor hic originem sumsit, serpsit-

apos-

apositione ab hac parte læsa, & totum penem ambivit, & in succo testium maximam molem causavit, ac si sarcocele universi esset scroti. Testes verè testiculos nominare potuerimus, quorum jam tumori scirrhoso adhærebāt membranæ vestientes, ipsi corporis exigui, contracti ac corrugati (eingeschmorgelt) imminuti, corrupti, fundentes incisi nescio qualis putredinis subcœrubeum cruorem. Scrotum itaq; hoc magnum, inæquale, & decies, aut pluries communi scroto major, durum, subalbidum tumorem continebat, siccum, renitentem, & in dissecando sonorum, ac si acies cultri cartilaginosas transiret partes, non dissimilem uberi vaccarum. Sarcocele verè nominare nequeo, etsi & hęc substantia dura, pedetentim circa testes genita sit, quum non subrubra, sed albida fuerit, & quia originem in pene, non scroto sumpserit. Notham igitur si sarcocelin quis dixerit, cum & illa scirrhosus sit tumor, me non habuerit repugnantem. Ex contusione vasorum spermaticorum F. Platerus, succo ex vasis illis exudante copiosiori fieri sarcocelin scribit. Tract. 3. p. 234. Credibile luxu-

riantem humorem nutrientem mentulæ cutem copiosiorem adglutinatum, hunc scyrrhosum dedisse tumorem; Est autem nutrimentum cataneorum, ac nervosorum corporum ultimum subalbidum; hinc factum, ut & verrucarum corpora glandulosa, ac albida dissectione inventa sint. Non sunt mihi cum ipsis rixæ, qui omnia suis humoribus adscribunt. Et ex colore tumorum, de causa eorum argumentari volunt. Malo ego cum Platero illo futuro alimento dicto, humori id adscribere. In optimi viri nuper pulmonibus glandulosa reperimus corpora, maximè in dextræ partis lobo, coloris pulmonum; majores & minores, sinistræ lobus aliquo modo corruptus, & gangrænosis litturis variegatus, hic aliquando, hujus partis laboravit pleuritide, à qua liberatus defluxu in pedem. Spiritus ipsi erat difficilis aliquo modo, sed haud pro notatu hujus adfectus.



CASUS IX.

MVCRO CALAMI VOLATILIS, *seu sagittæ ferreus per triginta Annos in oculo hospes, mirè per palatum reiicitur.*

VIGILIÆ omnium Sanctorum anni M.DC. XXIV. portentum obtulerunt mihi tale. Nobilis quidam Augustanus, qui mihi puero olim congerro erat, ferreum monstrabat mucronem calami volatilis seu sagittæ, quem ab arcu olim pueri mittebant, eum screatu forti ex superiori palati camera deduxit, ac ex ore projecit. Hic articuli primi minimi digiti longitudinis erat, ater ferrugine, lignum conspiciebatur adhuc inhærens, quod exesum quoad exteriora seu friabile, penitiora erant salva. Anni elapsi jam fuère triginta, menses duo, cum is puer metæ proximus stans in sinistri pupillam oculi seu humorem crystallinum à sagitta ab arcu volatili ictus erat; ceci-

dit ab ictu ſupinus, ſagittæ manum admovens, ut hoſpitem novum, inſolentem ac infeſtum loco pelleret; ac inter extrahendum frangitur ſagitta juxta cuſpidem ferream, quæ in oculo relinquitur; dolor & tumor ſtatim oculum occupant, quos lac muliebre lenivit, & intra octiduum mitigavit; relicto mucrone in oculo, & vulnere concidente. Cicatricem etiam nunc vulneris diſſecantis pupillam videre licet. Mihi & alijs circumſtantibus affirmavit ſanctè, nullum ſe faſtidium, nec accidens aliquod evidens, quin nec dolorem in oculo triginta illis annis ſenſiſſe.

Æſtate præterita tertiana duplici, in autumno catarrho laboravit, qui caput ſupra naſum gravativo ſenſu moleſtavit, ideoque dum fortiùs nares mungit, mucro hic ferreus ad naſi foramina permovetur ſuperiora, at cum per ea non poſſet ferri, forti quadam attractione, qua ad excreandum utimur, in palatum deſcendit, ex quo per os expuitur, cumque inter decidendum ſonitus cujuſdam rei durioris audiretur, ſublatus agnoſcitur hoſpes vetus, & clenodij nunc vices ſupplet. Mihi verò qui

huic

huic actui præsens fui, ac ad chirurgum ducem egi, refricuit memoriam illius ætatis, qua nec adolescentes dicimur, nec pueri sumus.

Degit toto hoc anno commodè, nec quicquam sinistri in lævo oculo, nec in palato sentit mali. Nec mirum, cum satis commodus his triginta annis oculo hospes fuerit, nec præter visum, qui vulnere periit, quicquam labefactarit. Excreavit verò mucronem hunc pridiè S. VVolfangi anni dicti.

SCHOLION.

MEns hominis in cerebro, tanquam in specula, providè suas operationes perficit: huic sub fronte in cameris duabus locavit Natura solers speculatores duos, qui admonent de nocente, & exhilarant ob amatum. Rotundæ hę sunt orbitæ exteriùs, ut facilè volvantur speculatores, versus interiora oblongæ: hujus superiorem fornicem frontis os efficit, sphenoides posteriorem cameræ partem constituit; latera & inferiorem partem format os maxillæ: In his cameris speculatores locati, vol-

vuntur beneficio musculorum ; & tres simul opus adgrediuntur, humor, nimirũ, cristallinus, vitreus, aqueus, ne in parvo mundo non sit aqua supra fundamẽtum, quæ pelluciditatem & splendorem adjuvet. Vestiuntur ij proprijs suis tunicis, coërceri cum humor gaudeat. Pupilla in uvea pro janua data, per quam imagines videndæ illuminatæ luce externa introeunt, quas mens vi per nervum opticum missa dijudicat. Ingressa est etiã per hoc foramen spicula seu cuspis sagittæ, aqueum mox ut hostis suo disturbavit loco, corneam læsit, nec adnatę pepercit, quę tumore phlegmonode & dolore saucia jacuit. Medela erãt ophthalmica dextrè adhibita, & lac muliebre, quod dolorem mitigavit. Delituit in oculi camera ferrea hęc cuspis, & ubi latitaret negabat dolor tangẽdo inquirere. Chirurgi & ophthalmici Medici dubitabãt an hospes insuetus sine dolore, aut dilatatione loci latitare posset; quicquid puer saucius adfirmaret. Tumore enim & dolore sopitis ac abactis, oculus videbatur sano minor, ob jacturã aquei humoris, vulnusq; erat conspicuum ac jam concidebat; ideoq; in extrahendo sagittam,

tam, perditam fuisse cuspidem sibi imaginabantur. In intimam oculi cameram intrasse mihi persuadeo, quum spicula fuerit tenuis, & ab arcu vi emissa, in qua cum aqueus & frigidus humor hospitarit, noxam non dedit, nec inflammationem causavit, nec illi nervus alius, præter, qui visui destinatus, quare & sine dolore tàm longo tempore ibi hæsit.

Sagax tamen natura huic ferreo cuspiti noluit esse hospitium perpetuum, sed ex diversorio, lento tardoq; gradu emovit. Cuniculos itaq; per corneam fecit, motu testudineo, qualis non causat dolores, & in osseam pervenit camerã, ubi per foramẽ ossis quarti maxillę Bauhini transeundum fuit. At quomodo, & cur sine dolore, mirari licet, rimari nequeo. Catarrhum munisse nervosa vix puto, in palatum venisse ad antrum, seu nasi cavitatem planum, ex quo in palatum retroacta est. Sine læsione ulla prodijsse, sagacitati naturæ, & benefico Deo adscribendum. Multa sibi Natura reservavit, quę suos ministellos adhuc celavit.

CASVS



CASUS X.

AUREUS NUMUS QUEM Ducatonem cruciatum vocant supra biennium in faucium isthmo hærens & casu exclusus.

CIvis quidam Augustanus in mercatura vini serviens; anno millesimo, sexcentesimo quarto, ingentes dentium dolores passus, audijt à medicastra quadam aurum purissimum prę sentissimum esse anodynum, & nobile medicamen mitigans acerbitates otontalgiæ. Quare ex suo thesauro recondito elegit portugalensem ducatonem cruciatum, quem dentibus super imposuit, & lecto se commisit, dies erat decimustertius decembris, in quo in somnum prolapsus, dormivit diu, experrectus aureum non reperit, nec quò se receperit novit, excutitur lectus, purgatur domus, nullibi aureus numus invenitur. Chirurgi in collo negabant latitare posse; cum nec viderent, nec æger fastidium ibi pateretur; symptoma siquidem cum in degluciendo

tiendo nullum, in loquendo exiguum etiam post aliquod spatium tempori esset: hospitium igitur aut in stomacho aut intestinis sumpsisse credebant. Raucus post aliquot menses factus, accedente simul aliqua corporis consumptione, Medicos vocavit in consilium, querelam suam de aureo devorato numo exposuit, sanctè adfirmans illum in isthmo faucium adhuc hærere. Chirurgi in ore patulo cum instrumentis quærebant hospitem insolentem, & insuetum, qui nec videri nec tangi poterat. Mutati itaque hi Medici, vocatur Archiater, qui ex raucedine illa diuturna & magna, corporisque consumptione, nescio quid suspicãs decoctum, chinæ radicis propinavit & sudare jussit: ex qua cura deteriùs habuit, cum corpus non nutrietur, sed magis contabesceret. Alij igitur Medici posteris vocati mensibus, debili & hectico propinarunt emulsiones humectãtes, quibus isthmos ille madefactus, aureum numum mobilem eructavit; duodecimo siquidem februarij anni millesimi sexcentesimi septimi cum felem in proxima arbore lande ex gleba per arundinem petere

vellet,

vellet, ſimul etiam aureum hunc excluſit hoſpitem, jam biennis & menſibus duobus in faucibus latitantem, cujus pars inferior alba videtur, ac ſi mercurius tinxiſſet; nunc inter clinodia baliſtarum Auguſtæ, in quorum ſodalitio ſæpè inter primores fuit, ſervatur, ac albida videtur. Supervixit plus tribus luſtris, cum nova uxore factus iterum pater.

SCHOLION.

Binis decadibus ſuperioribus morbos tumultuantes, & tortuoſas membrorum flexuras, ne tempus privarem tumultuoſum ſimilibus hiſtorijs dedi: ſic portenta quædam, monſtra, inſolentia ſeu inſueta in hac conjunxi, habuerunt hæc tempora non aliena. Aureo abſorpto numo deglutiendo placuit claudere, ut ſimiles labra lactucas haberent ſimilima. Sacra auri fames, & divitiarum multa abſumptio his tempeſtatibus ſemper eſt; pereunt, imò perierunt numi noſtri, injuſtum tempus deglutivit, optio conſumpſit phantaſtica, caritas abſorpſit inſolens. Venter remanet famelicus, & egeſtatis ubique

trophæum. In isthmo faucium si cum Ducatone hoc plurimorum hærerent opes, spes fortè quædam esset recuperandi.

At propero ad numum deglutitum, qui in isthmo faucium, sæpè à vino madido, latitavit multis mensibus. Hospitium mihi latitare videtur, nescio an spatium distinctionum musculorum gutturis, an cartilago vocem formans eum receperit, ubi aperitur & clauditur, cum raucus fuerit. Oculorum subterfugit sanè aciem, nec instrumentis indagari potuit. In imo igitur latitavit faucium, & alicui corpori adhæsit, quod vestigium, partis ejus albidum monstrat. Deglutitionis opera cum integra fuerint, vocis depravata, hujus instrumentis fortè se inseruit.

Exercitatis Anatomicis, utpote sagacissimis naturæ indagatoribus, hanc quæstionem excutiendam relinquo. Glandulis adhæsisse mihi imaginari nequeo, distinctioni musculorum gutturis insinuasse se non audeo pronunciare.

Et hæc sunt illa, quæ tibi amice lector, in hac secunda mearum Observationum Medicinalium parte, commu-

nicare volui. Laborem me adgressum esse magnum haud diffiteor: at in magnis & voluisse sat est. In praxi exercitatis non omnia hæc videri rara, haud dubito. Monstrosiora si ipsis visa, rariora si ipsorum sub cura fuêre, ea, si prosunt, negat charitas proximi, latitare, nec christianus concedit animus. Candidis hæc scripsi animis, eâ quâ intellexi fide; illi sincera arripiant mente: effrontes non moror, nec qui theonino rodunt dente, cum mihi res cum hominibus, non bestijs sit. Juppiter haud voluit Momum evitare, minor ego Jove multis numeris, curo nulla. Expecto & flagito solum annotatas sedulitate Medici Christiani officiosa historias avidus medicas. Extra usum bonum nostis esse sterile; exemplis ac historijs fidelibus politiores lævigari omnes doctrinas. At vellem ad hanc aram frequentiora exolventium esse donaria, quàm nuncupantium vota.

Novi in quibusdam à communi Medicorum opinione me discessisse, quum opinio.

At quia opinionibus nostra Medicina prægnans, fœtu eam privari nolui

meos

meo; ut felicissima mater semper maneret opinionum.

Non iuravi in verba Magistri. Et *Horat.*
Mihi res, non me rebus submittere conor.

Mordicus tamen ea defendere nondum est animus. Corrige ergò amanter potiùs, quæ displicent, quàm oppugna violenter. Haud enim in arenam tecum descendo.

Medicamenta, si artem, mea, minus sapiunt Spagiricam, si arcana, si magnalia chymistarum non habent, haud mirabere. Dego Augustæ, augusta ubi audio & video; ac Augustam veneror; Hæc suæ Reipublicæ interesse dicit, ut *Decret. Senatus Aug. decreto 1.* Medici Augustani, Hippocraticam, Galenicamque doctrinam, veram nimirum ac rationalem sectentur. Suspexeram jam olim magnalia ac arcana, quæ ab illis, qui soli priscæ Medicinæ, & philosophiæ veræ sectatores se jactitabant. At despectus me sequebatur, & pluris medicamentum redimebatur, quàm ex eo æger emolumentum caperet. imò sæpiùs majorem corpori, quàm loculo dabat noxam. Spirabant magna, imò maxima multi, qui reformationem phar- *Inferius Iudicia lege.* *

macopœarum Dogmaticorum adgressi sunt; omnibus ego dum genu jam flectere vellem, concidissem, ni me saniorum monita ad certa, clara, usuque longè comperta revocassent: Aures & vellicabant meas jussa Patrum Patriæ nostræ; quæ Medicamentis, tutis ac innoxijs, quibus longa experientia ac priscorum Medicorum autoritas famam jam pridem fecit, & quæ docta posteritas multiplici usu fida esse comprobavit, utendum esse præcipiebant. Itaque modò nata, alijs educanda reliqui, & prudentia, quæ illi senescentia putabant, amplexus sum. Oraculum illorum probans, quod talia medicamina multos orco eripuisse, plurimos verò nova, & modò nata tradidisse, dicit. Novi Herophili dictum, divinum verè: Medicamenta & manum Dei & nihil esse. Nunquam quidem exclusi quæ spagirica produxit ars, si experimentum rationi, & hanc illi jungere noveram dextrè. Temerarium horum usum, & sesquipedalia eorum nomina, ac immeritas laudes, Thrasonum cristas; Spiritum Capitanei. De Spavento sublimem, & Thesali gloriam puto; si interroges eorum mystas, cur,

Decret. 4.

gua-

quare, quamobrem, te ridendo vocitarent Grammaticum. At hos ego in heteroclitorum numerum pono, quos cõjugare malum, declinare bonum est: Sacerdotes Libithinæ, & vespillonum. Promi condi sunt, quorum ego fastuosâ, dolosâ, horrisona, cristata verba detestor, non tamen iniquus sum veris chymicis, qui fideli animo, in proximi salutem, non suas quærentes laudes, & gloriam, produnt non celandas salutiferas medicinas; quique arte sua pauperioribus non eripiunt, ob charum pretium, medica auxilia.

* *Extractũ epistelæ Ingolstetteri vide.*

Deniq; Tullium si non sapiunt, Tullianum mihi locum suspectum, utpote carceris, scias; nec Romæ Medicis datũ fuisse quietum semper hospitium. Fruêre his interim, dum tempus & occasio fœtus excludent plures, VALE.

OMNIA AD GLORIAM ET laudem veri & soli Archiatri, cui patiens mortuus nullus, quiq́ nostra vita, & resurrectio à mortuis, JESU CHRISTI, *Dei & hominis, Salvatoris ac Medici Animi & corporis.*



APPENDIX AD Epilogum.

Quæ lumen Epilogo adferunt hæc sunt Epistola.

IOHANNES INGOLSTETTERUS MEDICUS & Physicus Ambergæ, amicissimus mihi Basileæ, 12. Septembris anno 1617. hæc ad me scripsit. Vicinia nostra, ex fomite vel Praga, vel Noribergico tractu adducto, infecta peste fuit, & etiamnum est alicubi, experimenta habemus omni exceptione majora insignis efficaciæ; Quia tamen Quercetanus Pharmacopœa sua, ut inscribit, restituta, (ut interpretor), nõ tàm bono publico, quam HONORI suo & LOCULO, adeò pretiosa sunt pleraque, ut vulgo, cujus semper maxima pars est, præsertim pauperum, quorum in restitutione generali non minor est habenda, non saltim ex lege charitatis, sive Christiana, sive naturali, non sint solvendo) non absque rationes alias ostendit; autor sui pharmaco-

macopœo nostro, homini in chymia melius exercitato, quàm pro re sua & vulgi, istas quoque tentaret. Ex arte feliciter quidem, sed nescio, an eo fructu, quem pollicetur Quercetanus. Quod ideò moneo, ut quæ restant, si libet ex ipso audias, (erat enim is lator harum literarum) ex me omnium primus, & pro arbitrio communices cum quibus voles. QUID ENIM SUNT SECRETA, NI PROBENTUR usu, cui servire nos maximè oportebat? Usus autem qui satis certus est, mihi qui frequentissimus est. Quæ Ingolstetterus.

De Quercetani Pharmacopœa Dogmatica hæc ad me Magnus ille Casparus Bauhinus Basileensium Archiatros, & Praxeos Professor ordinarius Illust. Ducis VVürtenbergici Medicus, de dato 16. Septembris 1620. P. M.

Quercetani Pharmacopœa, qualis sit, aliàs scripsi, cujus autorem non esse certus sum, ut qui linguam Latinam non caluerit, sæpiùs is ad me literas dedit, sed idiomate Gallico, quia is de facie mihi notus fuit: Autorem suorum scriptorum optimè novi, qui nunc etiam mortuus. Quare ipsius medicamenta hacte-

nus non curavi, In veteri et Regia via subsistens, potius ægrorum, quàm vel mei vel pharmacopœi loculi rationem habens. Quæ magnus ille Medicus.

Has literas tũ Magnus noster Mindererus p. m. legeret, exclamavit, laudare se illos Medicos qui in hac via ambulẽt, & joco admonuit, maneremus insistẽtes regulis veteris Grammaticæ Medicæ. (Liebe Herren Collegæ, laßt uns bey der alten Grammatic verbleiben) qui jocus nunc in proverbium in collegio abijt.

(*†*)

*

INDEX HISTORIARUM SEU Observationum.

DECADIS QUARTÆ Casus.

DECADIS QUINTÆ Casus.

DECADIS SEXTÆ Casus.

2. Cal.



EXCELLENTISSIMI ET CLARISSIMI MEDICI KAUFBYrensis Iohannis Georgii Brenggeri litera ad Philippum Hechstetterum Medicum Augustanum.

S. PERGRATUM mihi accidit nuper Augustę cum essem, Nobilis ac Clarissime D. D. amice honorande, quod videre te, tuoque colloquio frui, atque ita amicitiam, cujus rudimenta pridem per literas jeceramus, tecum contrahere mihi datum est: quam ut illabefactatam conservem & foveam, placuit mihi aliquid literarum ad te dare, ut sic vel absens, quando coràm non licet, tua consuetudine ac conversatione gaudeam.

Vidi superiori anno libros observationum tuarum medicarum, quos filius meus D. Matthæus, petenti mihi communicaverat, præclarum sanè industriæ tuæ, eruditionis & in Praxi medica peritię, nec non studij atque animi tui publico commodo inserviendi monumentum;

tum; quâ opera multam apud omnes bonos inijsse te gratiam non est quod dubites. Cum autem quædam quæ tunc inter legendum mihi occurrerunt, memoria teneam, de ijs si paucis tecum conferam, id tibi molestum non futurum arbitror.

Pergratum mihi fuit legere, quæ de viribus & operationibus diversis Gummi Goæ, ex proprijs observationibus notasti, nobisque communicasti. Memini enim Cl. D. Mindererum, quondã alicubi de isto gummi asserere, quod corpus turbet, vomiliones cicat, & quodammodo naturam Antimonij sapiat, ac proinde imbecilli ventriculo noceat; quę causa fuit cur hactenus ab ejus usu abstinuerim. At nunc lectis tuis, non vereoor illud cum Syr. de Rhab. vel Rosato solutivis exhibere: ad illam tamen dosin, qua tu ejus gr. xj. cum Elaterij ℈ß. simul alicubi dedisti, ego non ausim ascendere.

De viribus opij & narcoticorum, cũ D. Felice Platero facis, cui & ego subscribo. Suspecta mihi semper fuit vetus opinio, quod nimirum ista per summam quandam frigiditatem, narcosin & stu-

porem

porem inducant. Non quidem me latebat frequenter id fieri, ut ab externo frigore tale πάθος membris inducatur: atqui & hoc sciebam non sequi hunc effectum, nisi prius insignis atque evidens actualis frigiditatis sensus membris impressus esset, qualem cum ex usu narcoticorum in corpore percipi minimè viderem, non potui mihi persuadere, quod eadem ratione hîc ut illic stupor inducatur. Italis medicis, qui veterem opinionem mordicus defendebant, non ausus fui contradicere, at postquam Basileam venissem ante annos 37. à clarissimo D.D. Felice Platero in mea sententia confirmatus sum.

Zenechti Arsenicalis aliquot diversas compositiones proponis, verùm ut libere fatear, quid in præservatione à peste ei tribuere debeã, valdè anceps sum, video ejus usum probari ab alijs, ab alijs reprobari. Frivolam arbitror rationem eorum qui putant tali amuleto cor assuefieri venenis, ut postea ab eo, minus lædatur, sed fortius veneno pestilenti resistat. Sunt qui ei præferant amuletum ex solo hydrargyro paratum. Equidem utrum alteri præstet ignorare

me

me fateor, cum perſpectum non habeam, qua ratione vel abigant, vel retrahant venenum à corde: niſi fortè ab occulta quadam proprietate vim habeant infringendi & cohibendi actum ſecundum veneni peſtilentis, ne poſſit inficere cor. Ego plus fiderem ſimpliciſſimo, quod ex ſolo arſenico albo & citrino conſtat, quàm quod bufonem & alia plura ſimul venena recipit. Fieri enim poteſt, ut illa mutuo ſe oppugnent, atq; alterum alterius actionem impediat, nobis id ignorantibus.

Memorabilis eſt obſervatio illa de Hydrargyro aſſumpto, ac per mictionem excreto, difficile eſt explicare viam, quâ ad veſicam migravit, nam quod per ſubſtantiam epatis tranſeundo, venam cavam ingreſſum ſit, & inde per emulgentes ac renes ad veſicam perrexerit, veriſimile non eſt. Sed & illud mirabile eſt, quod aſſumptum, partum acceleret, quod qua ratione fiat, non ſatis perſpicio: an quia naturam ſtimulat ad ſui excretionem, illa verò excitata fœtũ ſimul propellit? at hac ratione quodvis catharticum exhibitum idem præſtaret, attamen in hac quæſtione ſolvenda eſ

da eò minus desudandum censeo; cum de certitudine istius effectus nondum nobis constat.

Urachum in homine pervium non esse, neque fœtum in utero materno per illum urinam emittere, cum D. Bauhino asseris. Qnod enunciatum an universaliter verum sit, non immeritò quis dubitaverit, cum plerique anatomici secus statuant.

Andreas Vesalius Anatomicorum nostri sæculi corypheus, in præclaro suo opere anatomico, scribit urinam fœtus per Urachum effluere, in quandam vesicam (allantoidem dictam) inter duo involucra fœtus, Chorion & Ammion interjectum, quam peculiari figura fol. 674. depingit atque ob oculos ponit. Quis est autem qui credat tantum tamque gravem authorem, data opera lectores vano & inutili figmento ludere, ac decipere voluisse? Quid dicam de Felice Platero p.m. viro clariss. medico & anatomico exercitatissimo, Præceptore utriusque nostri fidelissimo, veritatis scrutatore studiosissimo, Majorumque authoritatibus non ita addicto, quin rationem & experientiam illorum placitis

citis præferret. Hic licet allantoidem tunicam ignoret, ſcribit tamen in ſuo de ſtructura humani corporis libro. p. 163. item Tab.38.fig.2. Urinam fœtus per Urachum ad umbilicum deferri, indeque expurgari, atque à fœtu ſecerni. Quæ ſententia rationi maximè videtur conſentanea, ne ſc. fœtus corpus tenerum ab urina lædatur & exulceretur. Equidem de fide ac diligentia clariſs. D. D. Bauhini non dubito, qui habet Ambroſium Paræum inſignem chirurgum aſſentientem; at nec minori fide digni ſunt Veſalius & Platerus Anatomici peritiſſimi. Horum igitur ſententias planè contrarias conciliari nullo modo poſſe mihi perſuadeo, niſi dicamus neutram univerſaliter veram eſſe, particulariter autem in diverſis individuis, & hanc & illam locum habere.

Aſſeris tu, ſerum quod in hydropicis per umbilicum effluit, viam capere per venam umbilicalem, quæ à cavo hepatis ad umbilicum protenditur. quam dehiſcere ſcribis & dilatari, ut aquæ effluenti viam præbeat. Id vero, pace tua, veriſimile mihi nequaquã videtur. In puerulis bimulis & infrà, in quibus

vas illud nondum coaluit & induruit, tale quid contingere posse, non negârim: at in adultis plane impossibile duco, vel vas illud, quod in ligamentum jam degeneravit denuo dehiscat & diletetur. Accedit quod serosus humor in cavitate abdominis extra vasa collectus venam illam subire, & per eam effluere non possit, etiamsi pervia adhuc esset. Et propterea cum cl. D. Platero Tomo 3. suæ Praxeos pag. 272. aquam rectà per umbilicum è ventris cavo, non per venā umbilicalem effluere; ego quoque statuo. Et quando incidimus in mentionem istius venæ, libet mihi & hoc addere, quod aliquādo observârim, vermem in illâ stabulari, quem vulgò den Geitzwurm vocant. Erat puella semestris quæ hoc affectu laborabat, valdè inquieta, cum febricula quadam inordinata. cum autem pharmaca parum proficerent, Mater ejus Nobilis fœmina, suspicata quod erat, umbilico filiolæ imposuit unum è pisciculis, quos fundulos, nostri Grundeln vocant, vivum, fascijsque alligavit quotidie semel, & per Horas 24. ita relinquebat, vermis autem depascebatur pisciculum semper relictis

ossicu-

osficulis, ac mox subducebat se iterum in venam illam, ceu habitationem propriam. Accidit autem post 8. vel 10. dies, ut fasciæ prædictæ laxatæ, non nihil deorsum delatæ ab umbilico recedentes pisciculum secnm traherēt, hinc vermis prædam insecutus ex umbilico totus excidit, unde regressum in vas umbilicale invenire non potuit, & sic extra corpus per ventrem infantis extensus mortuus 22. repertus fuit, semipedali longitudine, figura terete latiuscula, pellicula non tenui ac lævi, qualis lumbricorum esse solet, sed duriuscula seu subcrustacea, colore pallido ex luteo albicante. Hinc αὐτόπτης didici famam illam vom Geißwurm/ quam superstitiosam & anile figmentum antea credideram, non vanam sed veram esse, licet medicis practicis vermium hoc genus sit ignotum: non secus atque alterum die Miteſſer genandt / de quo multa Dudithius in Epistolis suis, ad VVencesl. Raphanum.

Aloen vim habere conglutinandi, astringendi atque etiam eruptiones sanguinis compescendi, cum Dioscoride rectè asserit: at quod propter ea aperien-

di hęmorrhoides, facultatẽ illi denegas, non probo. Nã foris quidẽ vasis admota, emplastica virtute Sanguinẽ sistit: devorata verò & in corpus distributa, tum venas hepatis, tũ hœmorrhoidas quoq; aperit. Docet hoc Mesue, item Brasavolus in examine succorũ, ubi de nobili quodã scribit, cui quoties aloen sumebat, ora venarũ fuerint aperta. Quin etiã Jac. Sylvius asserit experientia sibi constare, ꝙ ex frequẽti usu ejus hœmorrhoides tumere incipiant, & quibus jam prius fluxêre, inde frequentius, largius ac periculosius fluãt. Dioscorides igitur loquitur de applicatione externa aloes in farinam tusæ, quod nimirũ sanguinis eruptiones ex hœmorrhoidibus cõpescat. Consentiunt ista cum Galeni enunciato l. 3. Tẽperament. c. 3. Quod nihil foris intusque parem agendi vim habeat.

Cæterùm ut cessem, jam ipsa charta me monet. Vale vir clariss. & loquacitati meæ ignosce, & quæ à me sincero animo scripta sunt, tu candidè interpretare. Kaufbürnâ Junij Anno 1625.

Tui studiosissimus

Jo. Georg. Brengger D.

RESPON-



RESPONSIO PHILIPPI HOCH-ſtetteri ad Excellentiſſimi Medici huius literas.

S. COLLOQUIA, quæ calamus cum diſ-ſitis longius dat, maturiora eſſe audivi. Mihi gaudeo, quod cum viro omnis Doctrinæ cumulatiſſimo amicitia quædam per literas intercedit. Fuere illæ ſuaviſſimæ, & floſculis refertæ doctiſſimis, ex quibus neſcio quæ fragrantia meum vellicavit animum, ut totus in eas diſudem. Proponis vir Clariſſime, ex præpropero meo fœtu quæſita; exoptarem ſuppreſſum in plures annos. Prodij dum illa ſcriberem non ex Triphonis antro, ſed ex morbo quodam acutiſſimo & maligno, quem mihi quotidiani labores in Noſocomio Auguſtano conciliavêre, milites Bavarici adfricavêre. Vires dum expecto domi priſtinas laſſus, & baculo modò incedens, Caſus ſeu hiſtorias Medicas, quas juſſit praxis obſervare viſitantibus mon- *Cauſa ſcribēdi hiſtorias has.*

monstravi Collegis, quærulo plausu illi
publicationem postularunt.

Ruminare itaque eas libuit, & meis
opinionibus onerare. Onus sensi sanè
historijs esse mea scholia, quæ aliena sa-
pere videntur. Multorum desiderio
satisfacere volui, ac promissis stare. Vul-
gabat eo tempore Sebastianus Mülle-
rus ALOEDARII D. Mindereri p. m. edi-
tionem secundam, quod sine alijs ejus-
dem autoris compositionibus noluit
prodire: ut sit hedera, quæ librum hunc
vendibiliorem redderet. Collegi eas
diligenter, & ad Dispensatorij nostri
normam eis ordinem dedi, singulis suas
utilitates & auctoris usum adnectens.

Gummi Gamãdræ historia.

In Gummi laxativi seu Gamandræ præ-
paratione, cogitationes meas ita effutij,
ut nescio quæ maturiora de eo dare pro-
miserim. Steti itaque promissis, & quo-
modo eo sim usus, planè, & dextrè ape-
rui. Venit illud in nostram civitatem
si rectè memini Anno M.DC.IX. fuit-
que monstratum mihi à claro & exerci-
tatissimo Pharmacopœo Domino. Sig-
harto p. m. qui ut ejus facerem pericu-
lum flagitavit. In natalitijs itaque Chri-
sti ejus anni hydropicæ, cui dono da-

tum

rum fuit, exhibui, ſeptem grana in vino odorato, quorum effectus felix, ſine vomitu, ſine torminibus, ſine virium debilitate, purgans per alvum ſerum copioſum. Mirabar effectus felicitatem in ſene, cui tuſſis & diſpnœa jam ſupra viginti annos thoracis contenta, ſeu pulmones fatigaſſent, quævè toties phthiſica fuit pronunciata. Repetij ipſo non ingratum medicamentum, cujus effectus ſemper idem. At quid in viſceribus non integris efficiat Medicus boni, Tua & experientia & prudentia novit. Alijs igitur etiam hydropicis exhibui, cum ſucceſſu apud plurimos fauſto. In Moniali quadam Cachectica, inflata, cum Rhab. & Agarici infuſo, in quo diſſoluta fuit Mannæ Uncia ſemis, grana tria quatuorvè exhibui, quæ vomitum quidem cauſarunt, at dejectionem convenientem, & utilem ſimul promoverunt, unde ſæpius repetitum fuit. Vomitum ego Agarici infuſo adſcripſi, quia prius à Gummi hoc nil tale vidi, quare remoto Agarico, ſolum Rhabarbarum infudi, ac in eo gummi hujus grana dedi quatuor, & ijs cacochymiam depuli. Vomitus eam primò planè non

moleſtavit, at cum poſt quatuor menſes hanc eandem repeteret potiunculam, eam evomuit. Sic anno 1614. Johanni Georgio Bilero, qui à plurimis, cum hydropicus eſſet, & gangrænoſos haberet, ac exulceratos pedes, derelictus fuit. (Magnus Guetmannus eum thoracis hydrope pronunciavit laborare) in Octobri, dedi grana ſeptem, in aqua betulæ, & petroſelini ℥ij. acetata ſpiritus vitrioli guttis duabus, in qua Rhabarbari drachma una fuit, infuſa prius, correcta ſyrupo cinnamomo, à qua evomuit primò, pituitam copioſam, craſſam, ac lentam, viſitavi hominem anxius tertia hora à ſumpta potatione, reperi dormientem, ſed liberius ſpirantem; itaque cum non deteriùs haberet, eandem tertia repetij die potiunculam, quæ ſine torminibus, ac ſine omni lipothymia, (quartus enim erat menſis decubitus), nec magna linguæ ſiccitate, libras quatuor ſeri expurgavit; quin vomitus non hominem moleſtavit. Repetitus hic potus, quinto quoque die, adjunctis alijs aperientibus, multum emolumenti dedi. Auxi quidem ſæpiùs Gummi doſin, & ad grana decem adſurrexi, quæ Auguſtanas menſuras

furas circiter quatuor feri expurgarunt, quod carnis brodium redolebat. Mensium trium spatio sanum restitui templo & Eleemosynæ, cui præfuit; & cujus me Medicũ mortuo Magno Guettmanno p.m. esse voluit. Dexter hic effectus Collegas meos vocavit ad usum hujus Gummi, sed illi eo ita timidè usi, ut sæpiùs frustrarentur effectu. Naturam ejus hanc deprehendi, ut superiorum partium infarctus vomitu, inferiorum dejectione expurget. Maculam quidam ei adfricabant eam, ut dicerent alteratam esse Antimonio, at cum sit succus purus, sordibus nullis infectus, uniusque & sibi semper similis colore, illud non libuit credere. Eo anno etiam meum volui esse purgans, (Purgavi verò consuetè) & scrupulo semis bilem tenuem, post crassam, mucum item ac pituitam, quæ mihi catharroso in ventriculum ex capite decidit, & serosum per posticum expurgavit humorem, cum squibalis, & alijs longa remora recentis ac putridis humoribus, biduo integro, sine molestia, sine vomitu, ita ut & ægros plures visitare liceret. At posteris annis magis vomitu adgressum

 me est,

me est, & incrementum crassam ex ventriculo protusit, ea cum vehementia, ut ante ejectionem inquietudinem corporis causarit, quam vehementiam hactenus non sensi amplius. Nuper cum cuidam hydropico exhiberem, aquæ jugum excrevit per os cum maxima allegviatione. Notavi illis parcendum esse, quibus natura difficilem largita est vomitum, sincerum plus agere, quam cum alijs purgantibus mixtum, in pilulis parum, cum infuso plurimum operari, non percolari, neque exprimi, quod me movit cur Monardis opinionem reliquerim, & orientale dixerim, maximè cum audirem Augustanos quosdam nobiles ab illis redimisse mercatoribus, qui orientalis Indiæ companiæ præsunt, & Schorerum quendam Augustanum, qui plurimis annis Bantami vixit, agnoscere viderem.

Nolo acerbiora de mortuis.

Ne igitur Reudenius succenseat, ajo si illum de hoc gummi sinistrè sensisse. Cum elaterio usus sum in fortiori corpore. Prospiciendum cui, non quid detur. In forti ego natura exhibui dextrè, ut è longinquo materiam ducerem, quod usus Gummi non præstitit. Hoc noven-

novennio ad libras plures ægris innumeris præscripsi in Nosocomio & extra illud, neque quærelam ullam de prostratione ventriculi audivi: subterfugi verò illos utplurimum; quibus erat insuetum vomere, aut quibus deerat structura corporis apta ad vomitus facilitatem. Sæpiùs ad grana adscendi XIII. sed eundem effectum novem dabant. Quæ de Gummi illo fusiùs, cum videam me ab alijs ob annotationem peti.

De Narcoticorum viribus, & eorundem correctione satis me in meo immaturo fœtu explicavi.

Zenecthorum compositiones plures recensui, non ut probem eas, adversus pestem, quemadmodum planum est ex eis rationibus, quibus amuleta tanquam vana & superstitiosa eliminare conor; adfirmo tamen interdum ægris gratificandum, ut habeat animus cui fidat; cum terrenis anima terrestri ergastulo inclusa nimium gaudeat.

De Uracho Cl. Bauhinus lib. 1. Theat. Anat. cap. 11. pronunciat, impervium illum esse, & respondere ligamento, cum à fundo prodeat vesicæ, ut eam exten-

sam

ſam ac ſuſpenſam detineat, ne huc atq; illuc moveatur: Adultis in tenuiſſimũ filamentum deſinere, quo veſica peritonæo adnectitur, & quaſi ſuſtentatur. Arantium & Varotũ ſic ſenſiſſe, Veſalium & reliquos ſecuiſſe Bruta. Reprehendit tamẽ Hieronymus Fabritius lib. de Formato Fœtu c. 7. Arantiũ, quod negarit in homine reperiri Urachũ, & adfirmarit lotium per pudẽdam emitti. In homine enim Urachum evidentiſſimè videri, qui tamẽ poſtea nec unicus, nec amplus, per totum, ut in Cornigeris, ſed in plures minutiſſimas fibras ſit diſciſſus, emittere tamen in tunicam chorion, quaſi percolando urinam. Quæ fibræ, in quas Urachus dividitur, cum minutiſſimæ ſint, auſum dederunt tribus illis ſolertiſſimis Anatomicis, ut Urachum impervium dixerint: nec id ſine ratione. Quid enim naturam cogeret, ut urinam in infantibus per minutiſſimas urachi vias, quaſi percolando, eijceret: cum alia ſit ratio ſeri à renibus depoſiti in veſicam; Hoc cum ſanguine renes attrahunt, & per colatorium renum, tanquã ſincerũ quid, & ſine ſanguine in veſicam deponitur, Ex veſicę fundo jam ſincerũ

ſerum

ſerum imò urina deponitur: at hæc percolatorio non habet opus. Fœtus urinæ copia non eſt magna, ut non poſſit retineri in veſica; Varolus vult, pueros tempore partus veſicã lotio plenam habere, quare anteq̃ eſcam capiunt plurimum mingere. Urinę nulla eſt utilitas, hãc Galenus acrem facit, læderet itaq; fœtum, & peculiarem ſemper poſceret tunicam, q̃ T. E. cum alijs allantoidem vocat, quæ tamen in humano fœtu ſemper non eſt, imò & canes & feles, & alia utrinq; dentata allantoide deſtituuntur, ut ſagaciſſimus Fabritius lib. citato cap. 5. docet; qui negat antiquitatem ſecuiſſe alios fœtus, quàm bovinos & ovillos. Cum igitur tunica hæc rariſſimè hominis fœtũ cingat, quæ peculiariter dicata urinę eſt, urinam ſanè ſudori permiſceri mihi perſuaderi non patior. Sanguis enim quo nutritur infans, paulatim deſcendit à matre ad fœtum, ut docet Hippocrates, & talis ſanguis, è quo urina jam ſecreta eſt, per matris renes, quem ſolus ille ichor comitatur, qui tertiæ coctionis excrementum eſt, & in ſudorẽ abit, cujus uſus eſt maximus, tùm fœtui quaſi innatãri, quia munit membranas ne à fœtu lædantur,

tur,

tur, tùm exeunti, cum vias effluendo lū-bricet ac humectet. Urina itaque secundæ coctionis excrementum in fœtu paucissima erit, cum in eo coctio nec hæc, nec prima fiat, sed appositione saltim fœtus in utero nutriatur & augescat, quæ sunt tertię coctionis opera. Quod itaque in vesicam descendit parum erit, & quasi tertiæ coctionis excrementum. Vesalium non accuso, nec Platerum excuso, putat tamen Fabritius hos nec homines nec alia secuisse bruta quam cornigera, ut superiùs adnotavi. Ad illud quæsitum, an possit illa dilatari vena, quæ jam ligamentum est, clarissimum Bauhinū qui hoc adfirmat Anat. Theatro lib. 1. cap. 11. respondere jubeo, ac alios autores, quos eo in scholio cito. Eructantem ex umbilico justam quantitatem puris vidi, sed ex quo loco prodierit, omissa sectio non edidit: scio Bauhinum hepatis excrementa per umbilicum purgari velle, ego ibi Plateri mentem secutus sum. Non ita occalescere umbilici vasa puto, ut dehiscere, nimium humectata, nequeant: sic enim duritie obessent. Octava historia Decadis 2, id docet.

Aloën

Aloën jam olim in scholis negavi aperire hœmorrhoides per se, sed movere acres humores ad has venas, q̃ acredine hac feriunt eas ac stimulant, ut sanguinẽ eructent, aut corrosæ fundant. Purgat. n. aloës Bilẽ & pituitam salsam. Novi Platerũ Aloën laudare in hypochondriaca passione, quia lũgiori usu mariscas aperiunt. In tumidis ob causã dictam fortè fiet. Abstersione & detersione puris me⁹ ibi ęger opus habuit, locutus itaq; de aloë ibi, ut provocabatur ad materiã auxilij: novi multa extra corp⁹, & intra diversos habere effectus: at aloës non sua acrimonia aperit venas; id. n. & extra ageret corpus, sed illa vi qua etiã alia purgantia solent hœmorrhoides reserare, quãdo scilicet fundunt illos succos, qui acredine venis integritatẽ demunt, aut sollicitant stimulãtvè earum expultricẽ: qui igitur naturam frequentiori aloës usu ad sollicitandã alvum adsuefecerũt, his humores descendunt ad sedẽ, quasi omnes, acres solicitãt, aut adperiunt venas, q aloë adscribitur innocuo. Novi quendam ex suppositorio è hieræ Logadij speciebus cõposito, onus alvi una cũ sanguine provocasse; at duro oneri & acribus junctis Aloen.

aloë

aloë id adſcripſi. Quæ fuſius ad T.E. literas, ignoſcat ubertati.

Hiſtoria de verme, quem Geitzwurm vocat, cõmunicata grata eſt, fido videnti, fabulam hactenus putavi. Fundulum ex una parte vidi conſumtum, adſcripſi calori abdominis, nõ vermi, ignarus unde illuc pervenire poſſit, & cur rodat piſces, nõ carnes hominis. Ibi generari vix poſsũ mihi imaginari. Riſi ſæpè muliercularum medicamentũ, quod ex pulvere ſabinæ, & vitro pulveriſato, ac melle excepto in formam Electuarij conficiũt, & in putamine juglandis umbilico ſuperponunt, ac ſi glires interficere cogitarent. Dracunculoſin meis liberis vidi q. omnibus, reſpondebant illis pilorum radicibus, quas in achoribus vocãt Költſen. Vermem aut animal vivum pronũciare non potui; irrequieti fuêre, uſq; dũ novacula demerentur.

Sed claudere his placet; ſatisfacere ſi V.E. non licuit, ſciat me ipſum non ſemper ſufficientem eſſe. Vale ac æquo conſule animo. Auguſtæ Vindelicorum Anno 1625. Auguſti 20.

ποσ-

προσφώνησις
ad

EXCELLENTISSIMUM
Medicum Auguſtanum D. PHILIPPUM HÖCHSTETTERUM, *amicum plurimùm colendum.*

VT lampas lucem præbens mortalibus, ipſam
Se abſumit: ſtudijs ſic Medicina bona;
Dum prodeſt alijs, dum publica commoda quærit,
Se abſumit miſeram. Quis niſi mentis inops
Scriberet, inſomnes ageret noctesque diesque,
Ut verè ingrato conſuleret populo?
Quis niſi mentis inops? Nemo ni ſpiritus illos
Entheus & plenus Numinis alliceret.
Contemptus quippe eſt Medicinæ rectior uſus,
Cuncta Magis, vanis, ſtipitibusque ſcatent.

Det meliora Deus! Tu pergis ſcribere Doctis,
HÔCHSTETTERE, & quæ ſunt placitura bonis.
Jova tibi celſa cœli profundet ab arce,
Præmia, quæ nulla ſunt peritura die.

Eliæ Ehingeri Profeſſoris & Bibliothecarij Auguſtani
M: DC. XXVII.

PROGRAMMA

AD CLARISSIMI DOMImini Philippi Hôechſtetteri Medici Auguſtani obſervationum rararum librum.

OBſervent paſsim ſcriptores cognita lippis,
Hæc temnit Medicus rara Philippus amans.
Ergò dehinc rari lethæũ flumen adibũt,
Rara dehinc fatis tempora meſsis erunt.
Pro libito inſontes irã exercere Megæra,
Tiſiphone fruſtra tela vibrare volent.

Poſt-

Postmodò de tenui censu libitina queretur,
Subtractum naulum iure querere Charon.
Pro raro, quæ laus, quæ fama, labore sequetur?
In medicis nunquam lippus, at Argus eris.

Vrbanus Schlegel, Philosophiæ & Medicinæ D. & Nosocomij Fuggerici Physicus.

IN NOBILISSIMI AC EXcellentissimi D. Philippi Hæchstetteri, Augustani, Medici patriæ, & Illust. ac Generos. D. Fuggerorum Medici experientissimi, utramq; observationum rararum Decadem.

SCribere tractatus docti indoctique laborant,
Passim, sed vario scribere fine parant.
Qui volitare per ora virûm cupidè expetit aptam
Materiem voto quamlibet esse putat:

Præfigit titulũ, juncturus tigribus agnas:
Ingentẽ montis, quæ sit opella muris:
Aut aliena suo vendit sub nomine: quondam
A magni ingenij scripta profecta viris:
Insipidosvè sales joca vel scurrilia fingit,
Quæ nil artificî, nil rationis habent:
Sive vetustatis (ne quisquam intelligat) orco
Verba ex lethæo jam cariosa vocat.
At quicunq; priùs cuncta enucleata, novique
Luce libri dignũ nil superesse putat:
Mancipia instituit, ne fortè indagine cœcas
Rimari causas ulteriore velint.
Rectiùs hi medio procedunt tramite tecum,
Plurima qui calamo digna relicta vident:
Seu breviore stylo Medicinæ prisca coarctent
Dogmata: seu methodo commodiore locent:
Seu nova naturæ doceant arcana, probentque
Per causas, nullis antè notata libris.

Qui

Qui mirãda doces artis mysteria nostrę,
Hœchstettere, artis lumen, ocelle, decus:
Quę Tibi propterea debetur gratia? raris
Pro meritis meritò gratia habenda frequens.
Viderat huncce Tuum nostri pars magna laborem
Collegî, priùs ac viderat ille typos:
Qui Tibi maturum cunctanti emittere fœtum
In lucẽ, hos sociâ mente tulere sonos.
Quæ mora tanta subest? quare dignissima cerni
Publicitùs, pateris nocte silente tegi?
Ecccine quæ dextrè diuturnos gesta per annos
Et perspecta Tibi, longa caligo premat?
Ecccine nil Medici quicquam Te commovet orbis
Ardor, tam præstans esurientis opus?
Collegium amas, quod, Te quoq; sceptra gerente (dria
Annua, celsæ instar crevit in alta ce-
Peregrinorum facilis suffragia sentis,
Hęc sibi qui cupiũt rara legenda dari:
Ægrorum species in publica sparge stupendas,

Minaq; morborum monstra reperta refer.
Invidus audires, si tam preciosa talent
Privato sineres consenuisse situ.
Sic fati, mente bis pellexere morantem
Bis decades ternas elicuere domo.
Perge igitur celebrem raris extendere famam (vas
Scriptis, & decades texere perge no
Sic Te, quot Decades rari meditare labori,
Tot jubeat vitæ vincere secla Deus.

Collegæ suo honorando l.m. applausit Elias Geiselbrunner Medicinæ Doctor.

In Observationes singulares & mirabiles V.Cl. Medici experientissimi Domini D. Philippi Hœchstetteri Epigramma.

DVm mirabilia eveniunt quamplurima passim
Omnib. in regnis, Vrbibus, Imperiis:
Non mirum Parvo in Mundo contingere mira,
Mira animo, multis, corpore mira modis.

Hæ

Hæc observare, hæc altâ perpẽdere mẽte
Quemlibet arte sua:; hoc hos sapientis opus.
Hoc Medici, hoc Physici subtiles, Historiciqúe,
Hoc cum Theiologis Astrologi faciũt;
Et quis non Medicum mactandum laude putabit
Qui mira his libris, raraqúe multa notat?
Multa notat, fors quæ veniens mirabitur ætas:
Pæonia huic grates dicet agetqúe cohors.

Debiti officij ergò

P. Meiderlinus.

INDEX RERUM ET VERBORUM quæ in hac secunda Parte observationum continentur.

A.

Ani-

Chy-

Neo-

F.

L.

Man-

Nata

Pro-

ictu

T.

FINIS.

ERRORVM CASTIgatio.

Menda effugere cum hic liber non potuerit; copiosis potiùs, qàum pauci featere fecit calamus scribentis præpro perus, literarũ positoris Latinitatis suf focatio, correctoris in hoc genere scri ptionis judicium exile; & autoris nego tiosæ curæ, Sic igitur illa emenda.

In Præfatione, facie 2. lervæo, l. ler næo. facie 5. malliat, l. malleat. in 7. Sua dæ, l. Suada in 10. sacris, l. acris. Pagina 2 protundi l. profundi, elicere, l. elicerem

P. 3. i

.ipse, l.ipsi. interruptu, l. interruptũ.
3. Sanguine, l. Sanguini. 9. dicis, l. dicit.
in cerebr. & in lege pro &, ut, p. 19.
oratum, dele m. 23. venenatum l. ve-
natam. p. 31. humidiora & crudiora, l.
midiore & crudiore. 33. supervacanea,
upervacaneo. 38. morsus, l. morsu. 44.
indonam, l. Vindonẽ ibid. passus, l. pas-
ous. 46. hypocausto, l. hypocausta ibid.
o Hippocrati desinit, adde, ver. 48.
tto, l. tutte. 49. nunciat, l. pronunciat.
parlant. l. pareant. 60. incensæ, l. men-
61. esitatur, l. esitantur. ibidem pro in
ge ex. 63. fundulas. l. fundulos. 64. mu-
ari, l. mutuare. 69. copiæ, l. copia. 71. se-
ici, l. fennici. 72. dydatiles. l. hydatiles.
id. ad rem, l. aërem. 80. l. vbergällig. 83.
uro, l. asaro. 93. servis, l. conservis. 94.
ofluit, l. profuit. 96. habui, l. habuit. 98.
alio, l. qualia. 99. infexerit, l. infecerit.
o. Expultricis dele s. 101. retentam e-
m molestam, l. molestum. 105. primã,
rimũ. 108. quando, l. quanto. 113. facci-
, l. succino. 119. diaphragica, l. diaphra-
na. 130. quiccunq;, l. quicquam. 137. su-
icabor, l. suspicabar. 138. huc, l. hac. i-
d. semp. l. simpl. 148. tectũ, l. lectũ. 152.
serunt, l. inserviunt. 53. calcitra, l. cul-
tra. 157. positam, dele m. ibid. in margi-
ne, le-

ne, lege minori pro priori.168.ut. l. at. i
bidem ldet,l.ledet.175.aqua,l.aquæ,184
noxavi,l.noxavê.187.à ſpiritus, l.ſpiriti
bus.190. Arthletica,dele h.190.ſuis,l.ſu
ris.195.xyphonidē, dele n. ibid. droma
chi,l.Andromachi.196. ut.l. &.208. di
l hi. 209. & malũ in eod. &c. ſic lege,eſ
malum in eodem hoc anno. 223. neet, l
meet. 250.poſſet, l.poſſit.269. ſunto, l
ſumpto.272.conveniet, l. cõveniat. 275
pylo,l.pyloro.281. impeditio, l. impedi
tus,ibid.quod l.quæ.289.curata, l. cura
tu.291.ricibus,l.vicibus.293,poſt calam
aromatici ʒij,erat ſcriptũ albi, (delevit
judex ille inter philomelam & coculũ
duo hæc z.) tu lege, zinziberis albi.294
Enulæ albi,dele albi.298.ſale,l. tale. 302
dixerunt,l.digerunt.203.cõtitur, l. eo u
titur.305.duitur, l.ducitur. 306. ſeparaſ
ſent,dele n.312.in margine.Piſantes,l.pi
tiſantes.318.illinc.l.illius,327. metum, l
metu.329.eum, l. tum. 340.lacij, l. lucij
345.1616.l.1606.347. concedit, l. cõçidit
348,perſolatione,l.perſolutione. 349.e
nim, l.nec.354. ſacilis,l.facilis. ibid. re
tæus,l.Areteus. 358. noxiam, l. noxam
371.convulſio. dele.o. 372. ſedo peto, l
ſclopeto.377. chirurgidũ, hoc dum de
le. 379.naturalis, dele s. 385. protuſa, l

pro

protrusa. 389. lipothomiam, l. lipothymiam. 400. nẽpe, adde, vinũ. 402. Athenæa, l. Athenæo. 412. nosocomijs, l. nosocomis. 413. multum, l. maltũ. 421. suctronem, l. suctionem. 432. molestant, dele n. 437. melancholia, l. melancholica. 441. subjecta, l, suspecta. 446. Lycæo, dele c. 447. senibus est, l. & 448. cum l. cũ. 457. in spirituosa, l. est spirituosa. 459 salsam, l. fulsam. 460. grumam. l. grumũ. 465. solax, l. salax. ibid. malas, l. molas, eod. verso, hoc l. hac ibid. suspicio mola, l. nulla. 468. in margine pendisse. l. pepẽdisse, 469. exiguum, l. exiguus. 475. bonũ, l. boum. ibid. exprimens, l. exprimẽtum. 478. hans, l. hanc. 487. succo, l. sacco. 488. cataneorum, l. cutaneorum. 496. biẽnis, l. biennio. 592. in titulo hęc l. hæ. itẽ 1617. l. 1607. Quæ alia sunto, pro candore tuo, & prudentia emenda, movent mihi hæc stomachum. At homo alterius qui est, & suus potuisset esse reprehensionem incurret.] Tu ex calce tituli judica & vale.

FINIS.

